MISSALE AMBROSIANUM



Copertura di Evangeliario, detta
« Dittico delle cinque parti »

(Ravenna, fine V secolo).

MISSALE AMBROSIANUM

MISSALE AMBROSIANUM

IUXTA RITUM
SANCTÆ ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

EX DECRETO
SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II
INSTAURATUM

auctoritate
IOANNIS COLOMBO
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis
Archiepiscopi Mediolanensis
promulgatum

MEDIOLANI - MCMLXXXI

Composuit, in paginas digessit, typis exscripsit atque religavit Domus editorialis Marietti - Casali



IOANNES COLOMBO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS

UNIVERSO CLERO AC POPULO AMBROSIANO

MISSALE AMBROSIANUM, quod hoc Decreto promulgamus et edimus, primus est ac principalis proventus liturgicæ illius renovationis, quam Ecclesia Mediolanensis, in suarum tramite vivacium traditionum, persecuta est iuxta spiritum atque principia Constitutionis « Sacrosanctum Concilium » Vaticanæ Synodi II et a Nobis iam præbitas rationes [1].

Nam Patrum Synodalium verba nitida quidem sunt atque firma: « Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime agnitos æquo iure atque honore habere, eosque in posterum servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi opus sit, caute ex integro ad mentem sanæ traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur » (SC, 4). Hinc ritum nostrum servare simulque renovare ad fidem dilectionemque nostram erga Ecclesiam Ambrosianam, sed et ad obtemperationem præceptorum Concilii duximus pertinere. Nunc autem, omnibus dubitationibus vel difficultatibus vel obstantiis superatis, gaudemus Ecclesiam nostram novum suum possidere Missale, seu « Librum orationis et fidei », in quo et vera filiorum ipsius indoles et eius lineamenta historiæ quodam modo perlucere videntur.

Ex Concilii doctrina omnibus evidenter patet Missalis reformationem cogitari aut effici non potuisse velut opus quo veteres restaurarentur textus vel erudite formæ primigeniæ quærerentur. Quin immo, ut renovatio illa vitalis exsisteret, oportebat ut sapienter et quædam inveherentur immutationes et aliquid etiam concederetur creationis libertati. Ita enim solummodo rem efficaciter acturi eramus cum ipsa natura vere consentaneam liturgiæ, quæ signis visibilibus utitur ad res divinas invisibiles significandas (cf. SC, 33), et eius proinde didacticæ ac pastorali intentioni coniunctam. Ceterum, ut notum

[1] Cf. Epistulam Pastoralem « Custodire e rinnovare il rito ambrosiano » die XXI novembris a. MCMLXX missam, in « Rivista diocesana milanese », 58 (1970), pp. 736-740.

est, « liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationi obnoxiis, quæ decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint, quæ minus bene ipsius Liturgiæ intimæ naturæ respondeant, vel minus aptæ factæ sint » (SC, 21). Eadem enim, prout mysteriorum Christi memoriale ipsa putatur, immutabilis sane est et universalis; cum vero exhibere creditur et operari semper et ubique salutem, assumat necesse est formam ac linguam quæ vere et significanter populo hic et nunc, definito quodam humani cultus tempore et in peculiaribus vivendi condicionibus degenti loquantur. Quæ omnia declarant atque probant cur antiqua orationum genera demissa vel mutata sint, novæ vero voces imaginesque sint insertæ et, ut paucis absolvamus, plena facta sit recognitio quam Concilium ipsum proposuit.

Proprium autem et singulare, quo evidentius quam antehac novum hoc Ecclesiæ Ambrosianæ sacramentarium designatur, illud est, quod formulariis, quæ vocantur, copiosis variisque ditatur. Quod patet præcipue in eo quod « proprium de tempore » dicitur, quippe quod, mysteria salutis commemorans, insigne quoddam theologicum lumen semper in traditione nostra inoffensamque præstantiam servaverit et nunc usque continuet. Hæ tamen divitiæ euchologiam quoque afficiunt quæ ad Sanctorum intercessionem, ad rituales celebrationes, ad suffragia respicit defunctorum. Præsertim vero animadvertimus quædam ex toto Missarum formularia esse confecta pro diversis necessitatibus, quæ in pastorali munere nostræ ætatis atque huius Ecclesiæ nostræ præcipui videntur momenti. Tantæ denique varietati atque copiæ felicem conferunt consummationem duæ anaphoræ, nempe « Missæ in Cena Domini » et « Missæ in Vigilia paschali », ab antiqua nostra liturgia profectæ et opportune nunc restauratæ vel auctæ, quarum usus in aliis quoque adiunctis permitti poterit definitis.

Ad hæc omnia tam late renovanda, Missale nostrum rem hausit spiritumque ex libris Scripturæ sacræ vel Patrum, potissimum autem ex scriptis beatorum Ambrosii ac Leonis Magni; item non pauca deprompsit ex nostris aliisque præclaris ac vetustis sacramentariis, suggestionibus interdum ac sermone e Concilii Vaticani II documentis adhibitis. Neque, ad rationem materiemque sumendas, deesse poterat fons ille copiosus Missalis Romani a Paulo VI f. regn. editi. Etiamnum sapientissimam servavimus normam a præclaro illo Episcopo proditam, a quo ritus noster, traditio sacra nostra nomen acceperunt: « In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen et nos hominis sensum habemus » (*De Sacramentis,* III, 5); quam sententiam his licet vertere verbis: « Omnino sequi enixo affectu volumus Ecclesiam Romanam; nolumus tamen de prudenti nostra cedere libertate ».

Hic autem aptus est locus gratias agendi maximas Sacræ Congregationi pro Cultu Divino, quæ sæpe nos benigne confirmavit, direxit, adiuvit. In primis vero gratissimorum devotionem animorum pandere cupimus Ei qui plus quam octo annos dilectus spectatusque noster episcopus ritu nostro preces effudit, nunc autem augusto nomine a nobis PAULUS VI appellatur; cuius nisi subvenissent consilia privatique quin etiam interventus, nec animus fortasse nec facultas nobis affuissent ut novum Ambrosianum Missale ad effectum deduceremus, vel certe non tam absolutum ipsum protulissemus talique habitu præditum quo iam exstat.

Hoc igitur Missale nunc commendamus non solum presbyteris qui eucharistiæ præsidebunt, sed universæ quoque « Ecclesiæ oranti » Ambrosianæ, vocatæ ad memoriam salvificam Domini, donec ipse veniat, recolendam. Equidem fore vehementissime speramus ut novus hoc « Liber Sacramentorum », dirigens ac firmans mysteriorum Redemptionis celebrationem, clero populoque validum fiat alimentum fidei in Christum mortuum et resuscitatum; exemplar exsistat ac signum vividum communis eorum liturgicæ pietatis; sensus iniciat acutissimos ad catechesim christianæ communitatis peragendam, quæ in Missali deprehendit secumque intime repetit itinera magna celsosque actus historiæ salutis.

Itaque, dum Deo grates agimus qui tantum nobis donum contulit, et clerum fidelesque sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ confidimus promptis, gratis, lætis animis ipsum esse suscepturos, constituimus ut a Nobis editum novum Missale, unice adhibendum, atque observanda institutio qua ordo eucharisticæ celebrationis disponitur, obligatorie vigeant in omnibus ecclesiis et parœciis Ambrosiani ritus diœcesis nostræ a die XIV novembris anni MCMLXXVI, quo iuxta liturgiam nostram prima dominica coletur Adventus.

Mediolani, die XI aprilis a. MCMLXXVI, Dominica Palmarum.

† Ioannes Colombo
Card. Archiep.

CAROLUS MARIA MARTINI
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS

Quæ post MISSALE AMBROSIANUM, ab archiepiscopo cardinali Ioanne Colombo die XI aprilis a. MCMLXXVI promulgatum, noviter in idem, Sede Apostolica confirmante, inducta sunt, vel ad ritum missæ vel ad textus pertinentia, pariter in hac, quam imprimimus, editione promulgamus.

Mediolani, die VIII septembris, a. MCMLXXXI.

† Carolus Maria Martini
Archiepiscopus



SACRA CONGREGATIO
PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 2347/74

MEDIOLANENSIS

Concilii Œcumenici Vaticani II præscripto obsecuta, ut Ritus particulares « ad pristinam sanctorum Patrum normam » restituerentur necnon ad hodierna requisita et condiciones accommodarentur, Mediolanensis Ecclesia perspicaci studio opus perfecit, quod Missale Ambrosianum edicitur.

Commissio Ritui Ambrosiano recognoscendo præposita non solum in laborem instaurationis diligenter incubuit, verum etiam munus locupletandi studiose adimplevit sive thesauris novi Missalis Romani utendo sive textus novæ creationis exarando, ut instantibus pastoralibus necessitatibus satisfaceret atque meliore æquatione vita ac pietatis cultus Ecclesiæ localis patefierent.

Spes eadem, quæ Missali Romano edito affulsit, nunc Missale Ambrosianum comitatur, ut sacerdotes et christifideles Mediolanensis sanctæ Ecclesiæ non solum valeant « animorum suorum erga Deum pietatem copiosius alere, haustis ex novo Missali precationibus », verum etiam perennem fontem possideant, e quo rectam doctrinam necnon divitias omnes hauriant, quas propriis formis ac vocibus « de mysteriis » eucharisticæ celebrationis traditio Ambrosiana suppeditat.

Quapropter instantia Eminentissimi Domini Ioannis Cardinalis Colombo, Archiepiscopi Mediolanensis, per litteras die 8 novembris 1974 datas, accepta, vigore facultatum huic Sacræ Congregationi a Summo Pontifice PAULO VI tributarum, textus Missalis Ambrosiani lingua latina exaratos, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textu autem imprimendo mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Sacram Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 30 novembris 1974, in festo S. Andreæ Apostoli.

Iacobus R. Card. Knox
Præfectus

† A. Bugnini
a Secretis

INSTITUTIO MISSALIS AMBROSIANI

INSTITUTIO MISSALIS AMBROSIANI

PROŒMIUM

1 Missale Ambrosianum, iuxta suam pristinam traditionem, peculiarem indolem illaque principia et normas, e quibus est ad mentem Concilii Vaticani II recognitum, Institutionem propriam iure postulat Generalem. Rationes autem ad doctrinam pertinentes pluraque præcepta Institutionis Generalis Missalis Romani, nuper editæ, Missale quoque, novum et instauratum, Ambrosiani ritus afficiunt, ipsique sic applicantur ut ex eadem in Institutione Generalis Missalis Ambrosiani exaranda visum sit plurima ad verbum fideliter haurire.

2 Cenam paschalem cum discipulis celebraturus, in qua sacrificium sui Corporis et Sanguinis instituit, Christus Dominus cenaculum magnum, stratum (Lc 22, 12) parari mandavit. Quod quidem iussum etiam ad se pertinere Ecclesia semper est arbitrata, cum de iis statuebat, quæ, in disponendis hominum animis, locis, ritibus, textibus, ad sanctissimæ Eucharistiæ celebrationem spectarent. Normæ quoque hodiernæ, quæ, voluntate Concilii Œcumenici Vaticani II innixæ, præscriptæ sunt, atque novum Missale, quo Ecclesia ritus ambrosiani in Missa celebranda posthac utetur, iterum sunt argumentum huius sollicitudinis Ecclesiæ, eius fidei immutatique amoris erga summum mysterium eucharisticum, atque continuam contextamque eius traditionem, quamquam res novæ quædam inductæ sunt, testantur.

Testimonium fidei immutatæ

3 Missæ natura sacrificalis, a Concilio Tridentino, quod universæ traditioni Ecclesiæ congruebat, sollemniter asserta [1], rursus enuntiata est a Concilio Vaticano II, quod circa Missam hæc significantia protulit verba: « Salvator noster in Cena novissima sacrificium eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo sacrificium crucis in sæcula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiæ dilectæ sponsæ memoriale concrederet mortis et resurrectionis suæ » [2].

Quod sic a Concilio docetur, id formulis Missæ continenter exprimitur. Etenim doctrina, quæ hac sententia Sacramentarii Veronensis presse significatur: « quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur » [3], apte accurateque explicatur in Precibus eucharisticis; in his enim sacerdos, dum anamnesin peragit, ad Deum nomine etiam totius populi conversus, ei gratias persolvit et sacrificium offert vivum et sanctum, oblationem scilicet Ecclesiæ et hostiam, cuius immolatione ipse Deus voluit placari [4], atque orat, ut Corpus et Sanguis Christi sint Patri sacrificium acceptabile et toti mundo salutare [5].

Ita in novo Missali lex orandi Ecclesiæ respondet perenni legi credendi, qua nempe monemur unum et idem esse, excepta diversa offerendi ratione, crucis sacrificium eiusque in Missa sacramentalem renovationem, quam in Cena novissima Christus Dominus instituit Apostolisque faciendam mandavit in sui memoriam, atque proinde Missam simul esse sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiatorium et satisfactorium.

1 Conc. Trid., Sessio XXII, 17 sept. 1562: DS 1738-1759.
2 Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 47; cf. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* nn. 3, 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 2, 4, 5.
3 Cf. Sacram. Veronense, ed. Mohlberg, n. 93.
4 Cf. Prex eucharistica IV.
5 Cf. *ibid.*

4 Mirabile etiam mysterium præsentiæ realis Domini sub speciebus eucharisticis, a Concilio Vaticano II [6] aliisque Ecclesiæ Magisterii documentis [7] eodem sensu eademque sententia, quibus Concilium Tridentinum id credendum proposuerat [8], confirmatum, in Missæ celebratione declaratur non solum ipsis verbis consecrationis, quibus Christus per transubstantiationem præsens redditur, sed etiam sensu et exhibitione summæ reverentiæ et adorationis, quæ in liturgia eucharistica fieri contingit. Eadem de causa populus christianus adducitur, ut feria V Hebdomadæ sanctæ in Cena Domini, et in sollemnitate Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, hoc admirabile Sacramentum peculiarem in modum excolat adorando.

5 Natura vero sacerdotii ministerialis, quod presbyteri proprium est, qui in persona Christi sacrificium offert cœtuique populi sancti præsidet, in ipsius ritus forma, e præstantiore loco et munere eiusdem sacerdotis elucet. Huius vero muneris rationes edicuntur et perspicue ac fusius explanantur in gratiarum actione Missæ chrismatis, feria V Hebdomadæ sanctæ; quo videlicet die institutio sacerdotii commemoratur. In illa enim collatio potestatis sacerdotalis per manuum impositionem facta illustratur; atque ipsa potestas, singulis officiis recensitis, describitur, quæ est continuatio potestatis Christi, Summi Pontificis Novi Testamenti.

6 Sed hac sacerdotii ministerialis natura etiam aliud quiddam, magni sane faciendum, in sua luce collocatur, id est regale sacerdotium fidelium, quorum sacrificium spiritale per presbyterorum ministerium in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, consummatur [9]. Namque celebratio Eucharistiæ est actio Ecclesiæ universæ; in qua unusquisque solum et totum id agat, quod ad ipsum pertinet, respectu habito gradus eius in populo Dei. Quo efficitur, ut etiam rationes quædam celebrationis magis attendantur, quibus sæculorum decursu interdum est minor cura adhibita. Hic enim populus est populus Dei, Sanguine Christi acquisitus, a Domino congregatus, eius verbo nutritus, populus ad id vocatus, ut preces totius familiæ humanæ ad Deum admoveat, populus, qui pro mysterio salutis gratias in Christo agit eius sacrificium offerendo, populus denique, qui per Communionem Corporis et Sanguinis Christi in unum coalescit.

Qui populus, licet origine sua sit sanctus, tamen per ipsam participationem consciam, actuosam et fructuosam mysterii eucharistici in sanctitate continenter crescit [10].

Traditio non intermissa declaratur

7 Cum præcepta enuntiaret, quibus Ordo Missæ recognosceretur, Concilium Vaticanum II præter alia mandavit quoque, ut ritus nonnulli restituerentur « ad pristinam sanctorum Patrum normam » [11], iisdem videlicet usum verbis ac S. Pius V in Constitutione Apostolica « Quo primum » inscriptis, qua anno 1570 Missale Tridentinum est promulgatum. Temporibus sane difficilibus, quibus catholica fides de indole sacrificali Missæ, de ministeriali sacerdotio, de reali et perpetua Christi sub eucharisticis speciebus præsentia in discrimen fuerat adducta, id S. Pii V imprimis intererat, ut recentiorem traditionem immerito oppugnatam servaret. Re quidem vera Missale illud anni 1570 paulum admodum distat a primo omnium anno 1474 typis edito Missali, quod vicissim fideliter repetit Missale temporis Innocentii PP. III.

Pariter Missale Ambrosianum anni 1594 non longe abest a Missali anno 1475 typis edito, nonnullis tamen a Missali S. Pii V acceptis.

8 Progressu autem temporum, illa «sanctorum Patrum norma», quam sectabantur Missalis S. Pii V emendatores, locupletata est innumerabilibus eruditorum scriptis. Postquam enim Sacramentarium Gregorianum anno 1571 primum editum est, vetera Sacramentaria Romana et Ambrosiana critica arte sæpe typis sunt divulgata, perinde ac vetusti libri liturgici Hispani et Gallicani. Itaque Missale Ambrosianum anni 1609, iussu

[6] Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 7, 47; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 5, 18.

[7] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Humani generis:* A.A.S. 42 (1950) pp. 570-571; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei:* A.A.S. 57 (1965) pp. 762-769; Sollemnis Professio Fidei, 30 iunii 1968, nn. 24-26: A.A.S. 60 (1968) pp. 442-443; S. Congr. Rituum, Inst. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, nn. 3 *f,* 9: A.A.S. 59 (1967) pp. 543, 547.

[8] Cf. Conc. Trid., Sessio XIII, 11 oct. 1551· DS 1635-1661.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 2.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 11.

[11] *Ibid.,* n. 50.

Card. Archiep. F. Borromeo editum, fidelius rettulit antiquiora exemplaria; quod pressius factum est in editione anni 1902, iussu Card. Archiep. A. C. Ferrari.

Plurimæ sic preces non levis præstantiæ spiritualis, eo usque ignoratæ, in conspectum prodierunt. Traditiones pariter priscorum sæculorum, antequam ritus Orientis et Occidentis constituerentur, nunc idcirco melius cognoscuntur, quod tot reperta sunt documenta liturgica. Præterea progredientia sanctorum Patrum studia theologiam mysterii eucharistici lumine perfuderunt doctrinæ Patrum in antiquitate christiana excellentissimorum, ut S. Irenæi, S. Ambrosii, S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Ioannis Chrysostomi.

9 Quapropter « sanctorum Patrum norma » non postulat solum, ut conserventur ea, quæ maiores nostri proximi tradiderint, sed ut comprehendantur altiusque perpendantur cuncta præterita Ecclesiæ tempora ac modi universi, quibus unica eius fides declarata est in humani civilisque cultus formis tam inter se differentibus, quippe quæ vigerent in regionibus Semiticis, Græcis, Latinis. Amplior autem hic prospectus cernere nos sinit, quemadmodum Spiritus Sanctus præstet populo Dei mirandam fidelitatem in conservando immutabili fidei deposito, licet permagna sit precum rituumque varietas.

Inter hanc varietatem Ritus Ambrosianus « legitime agnitus et æquo iure atque honore habitus » ad normam Concilii Vaticani II, « caute ex integro ad mentem sanæ traditionis recognitus est, et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donatus » [12].

Instaurationes in Missale Romanum allatæ, quæ ceterum non semel Ambrosiani ritus traditionem asciscunt, attentius perspectæ sunt, ita ut a Missali Romano iam recognito Ambrosianum ipsum plura nunc mutuaverit, iis videlicet proprietatibus servatis quæ eiusmodi constituunt traditionem. Cum enim inter principia et normas Concilii Vaticani II nonnulla habeantur « quæ tum ad ritum Romanum tum ad omnes alios ritus applicari possint ac debeant », normæ tamen praticæ eiusdem Concilii « solum ritum romanum spectare intellegendæ sunt, nisi agatur de iis quæ ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant » [13].

Ad novas rerum condiciones accommodatio

10 Novum igitur Missale, dum testificatur legem orandi Ecclesiæ Ambrosianæ, fideique depositum a Conciliis recentioribus traditum tutatur, ipsum vicissim magni momenti gradum designat in liturgica traditione.

Cum enim Patres Concilii Vaticani II asseverationes dogmaticas Concilii Tridentini iterarunt, in longe alia mundi ætate sunt locuti; qua de causa in re pastorali valuerunt afferre proposita et consilia, quæ ante quattuor sæcula ne prævideri quidem potuerunt.

11 Agnoverat iam Tridentinum Concilium magnam utilitatem catecheticam, quæ in Missæ celebratione contineretur; unde tamen colligere omnia consectaria, ad vitæ usum quod attinet, nequibat. A multis reapse flagitabatur, ut sermonem vulgarem in sacrificio eucharistico peragendo usurpari liceret. Ad talem quidem postulationem, Concilium, rationem ducens adiunctorum illa ætate obtinentium, sui officii esse arbitrabatur doctrinam Ecclesiæ tralaticiam denuo inculcare, secundum quam sacrificium eucharisticum imprimis Christi ipsius est actio, cuius proinde efficacitas propria eo modo non afficitur, quo fideles eiusdem fiunt participes. Idcirco firmis hisce simulque moderatis verbis edictum est: « Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur » [14]. Atque condemnandum esse pronuntiavit eum, qui censeret « Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere » [15]. Nihilominus, dum hinc vetuit in Missa linguæ vernaculæ usum, illinc animarum pastores eius in locum congruentem substituere catechesim iussit: « Ne oves Christi esuriant ... mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex his, quæ in Missa leguntur, exponant atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis » [16].

[12] Cf. *ibid.*, n. 4.
[13] Cf. *ibid.*, n. 3.
[14] Conc. Trid., Sessio XXII, Doctr. de SS. Missæ Sacrificio, cap. 8: DS 1749.
[15] *Ibid.*, can. 9: DS 1759.
[16] *Ibid.*, cap. 8: DS 1749.

12 Propterea congregatum, ut Ecclesiam aptaret ad proprii muneris apostolici necessitates hisce ipsis temporibus, Concilium Vaticanum II funditus perspexit, quemadmodum Tridentinum, didascalicam et pastoralem indolem sacræ Liturgiæ [17]. Et, cum nemo catholicorum esset, qui legitimum efficacemque ritum sacrum negaret lingua Latina peractum, concedere etiam valuit: « Haud raro linguæ vernaculæ usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit », eiusque adhibendæ facultatem dedit [18]. Flagrans illud studium, quo hoc consultum ubivis est susceptum, profecto effecit ut, ducibus Episcopis atque ipsa Apostolica Sede, universæ liturgicæ celebrationes quas populus participaret, exsequi liceret vulgari sermone, quo plenius intellegeretur mysterium, quod celebraretur.

13 Verumtamen, cum linguæ vernaculæ usus in sacra Liturgia instrumentum sit, quamvis magni momenti, quo apertius exprimatur catechesis mysterii, quæ in celebratione continetur, Concilium Vaticanum II admonuit præterea, ut aliqua Tridentini præscripta, quibus non omnibus locis erat obtemperatum, ad exitum deducerentur, veluti homilia diebus dominicis et festis habenda [19] et facultas inter ipsos sacros ritus quasdam monitiones intericiendi [20].

Potissimum vero Concilium Vaticanum II, a quo suadebatur « illa perfectior Missæ participatio, qua fideles post Communionem sacerdotis ex eodem sacrificio Corpus dominicum sumunt » [21], incitavit, ut aliud optatum Patrum Tridentinorum in rem transferretur, ut scilicet ad sacram Eucharistiam plenius participandam « in singulis Missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent » [22].

14 Eodem quidem animo ac studio pastorali permotum, Concilium Vaticanum II nova ratione expendere potuit institutum Tridentinum de Communione sub utraque specie. Etenim, quoniam hodie in dubium minime revocantur doctrinæ principia de plenissima vi Communionis, qua Eucharistia sub una specie panis suscipitur, permisit interdum Communionem sub utraque specie, cum scilicet, per declaratiorem signi sacramentalis formam, opportunitas peculiaris offerretur altius intellegendi mysterii, quod fideles participarent [23].

15 Hoc pacto, dum fida permanet Ecclesia suo muneri ut magistræ veritatis, custodiens « vetera », id est depositum traditionis, officium quoque explet considerandi prudenterque adhibendi « nova » (cf. Mt 13,52).

Pars enim quædam novi Missalis preces Ecclesiæ apertius ordinat ad temporis nostri necessitates; cuius generis sunt potissimum Missæ rituales et pro variis necessitatibus, in quibus traditio et novitas opportune inter se sociantur. Itaque, dum complures dictiones integræ manserunt ex antiquissima haustæ Ecclesiæ traditione, per ipsum sæpius editum Missale Ambrosianum patefacta, aliæ plures ad hodierna requisita et condiciones accommodatæ sunt, aliæ, contra, uti orationes pro Ecclesia, operis humani sanctificatione, omnium gentium communitate, necessitatibus quibusdam nostræ ætatis propriis, ex integro sunt contextæ, sumptis sententiis ac sæpe ipsis locutionibus ex recentibus Concilii documentis.

Ob eandem porro æstimationem novi status mundi, qui nunc est, in vetustissimæ traditionis textuum usu, nulla prorsus videbatur inferri iniuria tam venerando thesauro, si quædam sententiæ immutarentur, quo convenientius sermo ipse cum hodiernæ theologiæ lingua concineret referretque ex veritate condicionem disciplinæ Ecclesiæ præsentem. Hinc dicta nonnulla, ad existimationem et usum bonorum terrestrium attinentia, sunt mutata, haud secus ac nonnulla, quæ exterioris quandam pænitentiæ formam prodebant aliarum Ecclesiæ ætatum propriam.

Hoc denique modo normæ liturgicæ Concilii Tridentini pluribus sane in partibus completæ et perfectæ sunt normis Concilii Vaticani II, quod ad exitum perduxit conatus ad sacram Liturgiam fideles propius admovendi, qui per hæc quattuor sæcula sunt suscepti, præsertim vero recentiore ætate, maxime studio rei liturgicæ a S. Pio X eiusque Successoribus promoto, et in Ecclesia Ambrosiana ab Archiepiscopis A. I. Schuster, I. B. Montini et I. Colombo.

17 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 33.
18 *Ibid.,* n. 36.
19 *Ibid.,* n. 52.
20 *Ibid.,* n. 35, 3.
21 *Ibid.,* n. 55.
22 Conc. Trid., Sessio XXII, Doctr. de SS. Missæ Sacrificio, cap. 6: DS 1747.
23 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 55.

Caput I

DE CELEBRATIONIS EUCHARISTICÆ MOMENTO ET DIGNITATE

1 Celebratio Missæ, ut actio Christi et populi Dei hierarchice ordinati, centrum est totius vitæ christianæ pro Ecclesia tum universa tum locali, ac pro singulis fidelibus [1]. In ea enim culmen habetur et actionis qua Deus in Christo mundum sanctificat, et cultus quem homines exhibent Patri, eum per Christum Dei Filium adorantes [2]. In ea insuper mysteria redemptionis ita per anni circulum recoluntur, ut quodammodo præsentia reddantur [3]. Ceteræ autem actiones sacræ et omnia opera christianæ vitæ cum ea cohærent, ex ea profluunt et ad eam ordinantur [4].

2 Maxime proinde interest ut celebratio Missæ seu Cenæ dominicæ ita ordinetur, ut ministri atque fideles, illam pro sua condicione participantes, eos fructus plenius exinde capiant [5], ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum sui Corporis et sui Sanguinis instituit illudque, velut memoriale passionis et resurrectionis suæ, Ecclesiæ dilectæ sponsæ concredidit [6].

3 Quod apte fiet si, attentis natura aliisque adiunctis uniuscuiusque cœtus, universa celebratio ita disponatur, ut consciam illam, actuosam atque plenam participationem fidelium inducat, corporis nempe et animi, fide, spe et caritate ferventem, quæ ab Ecclesia exoptatur et ab ipsa celebrationis natura postulatur, et ad quam populus christianus vi baptismatis ius habet et officium [7].

4 Quamvis fidelium præsentia et actuosa participatio, quæ ecclesialem celebrationis naturam apertius manifestant [8], aliquando non possint haberi, eucharistica celebratio sua efficacia et dignitate semper est prædita, quippe quæ sit actus Christi et Ecclesiæ, in quo sacerdos semper agit pro salute populi.

5 Cum autem Eucharistiæ celebratio, sicut et universa Liturgia, fiat per signa sensibilia, quibus fides alitur, roboratur et exprimitur [10], maxime curandum est eas formas et elementa ab Ecclesia proposita seligi et ordinari, quæ, attentis personarum et locorum adiunctis, actuosam et plenam participationem intensius foveant et fidelium utilitati spiritali aptius respondeant.

6 Hæc itaque Institutio eo spectat ut tum lineamenta generalia præbeat, quibus Eucharistiæ celebratio apte ordinetur, tum regulas exponat, quibus singulæ celebrationis formæ disponantur [11].

[1] Cf. Canc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 11; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 2, 5, 6; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus,* n. 30; Decr. de Œcumenismo, *Unitatis redintegratio,* n. 15; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, nn. 3 *e*, 6: A.A.S. 59 (1967) pp. 542, 544-545.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 10.

[3] *Ibid.,* n. 102.

[4] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5; Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 10.

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 14, 19, 26, 28, 30.

[6] *Ibid.,* n. 47.

[7] Cf. *ibid.,* n. 14.

[8] Cf. *ibid.,* n. 41.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 13.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 59.

[11] Cf. pro Missis in cœtibus particolaribus: S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Actio pastoralis,* 15 maii 1969: A.A.S. 61 (1969) pp. 806-811; pro Missis cum pueris: Directorium de Missis cum pueris, 1 novembris 1973: A.A.S. 66 (1974) pp. 30-46.

CAPUT II

DE STRUCTURA MISSÆ EIUSQUE ELEMENTIS ET PARTIBUS

I. DE GENERALI STRUCTURA MISSÆ

7 In Missa seu Cena dominica populus Dei in unum convocatur, sacerdote præside personamque Christi gerente, ad memoriale Domini seu sacrificium eucharisticum celebrandum [12]. Quare de huiusmodi sanctæ Ecclesiæ coadunatione locali eminenter valet promissio Christi: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (Mt 18, 20). In Missæ enim celebratione, in qua sacrificium crucis perpetuatur [13], Christus realiter præsens adest in ipso cœtu in suo nomine congregato, in persona ministri, in verbo suo, et quidem substantialiter et continenter sub speciebus eucharisticis [14].

8 Missa duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, quæ tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant [15]. Siquidem in Missa mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi paratur e qua fideles instituantur et reficiantur [16]. Quidam autem ritus celebrationem aperiunt et concludunt.

II. DE DIVERSIS ELEMENTIS MISSÆ

De lectione verbi Dei eiusque explanatione

9 Cum sacræ Scripturæ in Ecclesia leguntur, Deus ipse ad populum suum loquitur et Christus, præsens in verbo suo, Evangelium annuntiat.

Ideoque lectiones verbi Dei, quæ elementum maximi momenti Liturgiæ præbent, cum veneratione ab omnibus sunt audiendæ. Quamvis autem verbum divinum in lectionibus sacræ Scripturæ ad omnes homines cuiusque temporis dirigatur iisque intellegibile sit, eius tamen efficacitas expositione viva, idest homilia, utpote parte actionis liturgicæ [17], augetur.

De orationibus aliisque partibus ad sacerdotem pertinentibus

10 Inter ea quæ sacerdoti tribuuntur, primum locum obtinet Prex eucharistica, quæ culmen est totius celebrationis. Accedunt deinde orationes, id est oratio super populum, oratio post liturgiam verbi, oratio super oblata et oratio post communionem. Hæ preces a sacerdote, qui cœtui personam Christi gerens præest, ad Deum diriguntur nomine totius plebis sanctæ et omnium circumstantium [18]. Merito igitur « orationes præsidentiales » nominantur.

11 Item ad sacerdotem, munere præsidis cœtus congregati fungentem, spectat proferre quasdam monitiones atque formulas introductionis et conclusionis in ipso ritu prævisas.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5; Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 33.

[13] Cf. Conc. Trid., Sessio XXII, cap. 1: DS 1740; cf. Paulus VI, Sollemnis professio fidei, 30 iunii 1968; n. 24: A.A.S. 60 (1968) p. 442.

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 7; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: A.A.S. 57 (1965) p. 764; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 9: A.A.S. 59 (1967) p. 547.

[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 56; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 10: A.A.S. 59 (1967) p. 547.

[16] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 48, 51; Const. dogm. de divina Revelatione, *Dei Verbum,* n. 21; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 4.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 7, 33, 52.

[18] Cf. *ibid.,* n. 33.

Natura sua hæ monitiones non exigunt ut omnino ad verbum proferantur forma qua in Missali exhibentur; unde expedire poterit, saltem in aliquibus casibus, veris communitatis condicionibus aliquatenus eas aptare [19]. Sacerdoti præsidi etiam spectat verbum Dei nuntiare, necnon benedictionem finalem impertire. Ipsi insuper licet, brevissimis verbis, introducere fideles in Missam diei, antequam celebratio inchoetur; in liturgiam verbi, ante lectiones; in Precem eucharisticam, ante præfationem; necnon universam actionem sacram, ante dimissionem, concludere.

12 Natura partium « præsidentialium » exigit ut clara et elata voce proferantur et ab omnibus cum attentione auscultentur [20]. Proinde dum sacerdos eas profert aliæ orationes vel cantus non habeantur, atque organum vel alia instrumenta musica sileant.

13 Sacerdos vero non solum tamquam præses nomine totius communitatis preces effundit, sed etiam aliquando nomine dumtaxat suo, ut ministerium suum maiore cum animi attentione et pietate adimpleat. Huiusmodi preces secreto proferuntur.

De aliis formulis in celebratione occurrentibus

14 Cum Missæ celebratio natura sua indolem « communitariam » habeat [21], dialogis inter celebrantem et cœtum fidelium necnon acclamationibus magna vis inhæret [22]: etenim non sunt tantum signa externa celebrationis communis, sed communionem inter sacerdotem et populum fovent et efficiunt.

15 Acclamationes et responsiones fidelium salutationibus sacerdotis et orationibus illum participationis actuosæ gradum constituunt, qui in omni Missæ forma a fidelibus congregatis præstandus est, ut actio totius communitatis clare exprimatur et foveatur [23].

16 Aliæ partes, ad actuosam fidelium participationem manifestandam et fovendam valde utiles, quæ universo cœtui tribuuntur, sunt præsertim actus pœnitentialis, oratio universalis, professio fidei et oratio dominica.

17 Demum ex aliis formulis:

a) nonnullæ ritum seu actum per se stantem, uti hymnus Gloria, psalmus responsorius, Symbolum, Sanctus, acclamatio anamneseos, cantus laudis post communionem, constituunt;

b) nonnullæ vero, uti ingressa, antiphona post Evangelium, cantus ad offertorium, confractorium et transitorium, ritum aliquem comitantur.

De modis proferendi varios textus

18 In textibus clara et elata voce proferendis sive a sacerdote sive a ministris sive ab omnibus, vox respondeat generi ipsius textus, prouti hic est lectio, oratio, admonitio, acclamatio, cantus; necnon formæ celebrationis et sollemnitati cœtus.

In rubricis ergo et in normis quæ sequuntur, verba « dicere » vel « proferre » intellegi debent sive de cantu sive de recitatione, servatis principiis supra propositis.

De momento cantus

19 Ab Apostolo monentur christifideles qui in unum conveniunt exspectantes adventum Domini sui, ut una simul cantent psalmis, hymnis et canticis spiritalibus (cf. Col 3, 16). Cantus enim est signum exsultationis cordis (cf. Act 2, 46). Unde S. Augustinus recte dicit: « cantare amantis est » [24], et iam antiquitus in proverbium venit: « bis orat qui bene cantat ».

Magni ergo fiat usus cantus in celebrationibus, attentis ingenio populi nostri et facultatibus cuiuslibet cœtus, ita tamen ut non necessarium semper sit omnes textus cantu proferre qui per se cantui destinantur.

[19] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Litt. circ. de Precibus eucharisticis, 27 aprilis 1973, n. 14: A.A.S. 65 (1973) p. 346.
[20] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 14: A.A.S. 59 (1967) p. 304.
[21] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 26, 27; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 3 *d*: A.A.S. 59 (1967) p. 542.
[22] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 30.
[23] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 16 *a*: A.A.S. 59 (1967) p. 305.
[24] Sermo 336, 1: PL 38, 1472.

In seligendis tamen partibus quæ revera canantur eæ præferendæ sunt quæ maioris sunt momenti, et præsertim, quæ a sacerdote vel ministris, populo respondente, canendæ sunt, aut a sacerdote et populo simul proferendæ[25].

Cum autem frequentius in dies fideles ex diversis nationibus inter se conveniant, expedit ut iidem fideles aliquas saltem partes Ordinarii Missæ, præsertim vero symbolum fidei et orationem dominicam, modulis adhibitis facilioribus, lingua latina simul cantare sciant[26].

De gestibus et corporis habitibus

20 Communis corporis habitus, ab omnibus participantibus servandus, signum est communitatis et unitatis cœtus: mentem enim et sensus animi participantium exprimit eosdemque fovet[27].

21 Ad uniformitatem in gestibus et corporis habitibus obtinendam, fideles monitionibus obtemperent, quas diaconus, vel sacerdos vel alius minister, durante celebratione proferunt. Insuper in omnibus Missis, nisi aliter caveatur, stent ab initio cantus ingressæ. vel dum sacerdos accedit ad altare, usque ad orationem super populum inclusive; ad cantum Allelúia ante Evangelium; dum ipsum Evangelium proclamatur; necnon dum oratio universalis et professio fidei fiunt; atque ab oratione super oblata usque ad finem Missæ, præter ea quæ infra dicuntur. Sedeant autem dum proferuntur lectiones ante Evangelium et psalmus responsorius: ad homiliam et dum fit præparatio donorum ad offertorium; atque, pro opportunitate, dum sacrum silentium post Communionem servatur. Genuflectant vero, nisi ob angustiam loci vel frequentiorem numerum adstantium aliasve rationabiles causas impediantur, ad consecrationem.

In cœtibus particularibus, qui sacræ liturgiæ altiore pollent cognitione, secundum pristinum morem ambrosianum ad orationem universalem genuflectere possunt, diacono vel ministro ante invitationem Sacerdotis monente.

22 In gestibus numerantur etiam actiones, quibus sacerdos altare adit, dona afferuntur, atque fideles ad Communionem accedunt. Convenit ut huiusmodi actiones decore peragantur, dum cantus ipsis proprii fiunt, iuxta normas pro singulis statutas.

De silentio

23 Sacrum quoque silentium, tamquam pars celebrationis, suo tempore est servandum[28]. Eius autem natura a tempore pendet, quo in singulis celebrationibus occurrit. In actu enim pænitentiali et post invitationem ad orandum singuli ad seipsos convertuntur; lectione autem vel homilia peracta, ea quæ audierunt breviter meditantur; post Communionem vero in corde suo Deum laudant et orant.

III. DE SINGULIS MISSÆ PARTIBUS

A) Ritus initiales

24 Ea quæ liturgiam verbi præcedunt, scilicet ingressa, salutatio, actus pænitentialis, Glória et oratio super populum, characterem habent exordii, introductionis et præparationis.

Finis horum rituum est, ut fideles in unum convenientes communionem constituant et recte ad verbum Dei audiendum digneque Eucharistiam celebrandam sese disponant.

Ingressa

25 Populo congregato, dum ingreditur sacerdos cum ministris, cantus ad ingressam incipitur. Finis huius cantus est celebrationem aperire, unionem congregatorum fovere, eorumque mentem in mysterium temporis liturgici vel festivitatis introducere atque processionem sacerdotis ministrorumque comitari.

[25] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, nn. 7, 16: A.A.S. 59 (1967) pp. 302, 305; cf. Missale Romanum, Ordo cantus Missæ, ed. typ. 1972, Prænotanda.

[26] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 54; S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 59: A.A.S. 56 (1964) p. 891; Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 314.

[27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 30.

[28] Cf. *ibid.,* n. 30; S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 17: A.A.S. 59 (1967) p. 305.

26 Peragitur autem a populo vel a schola, vel etiam simul aut alterna vice. Adhiberi potest sive antiphona in Antiphonali Missarum exstans vel in Missali, sive alius cantus, actioni sacræ, diei vel temporis indoli congruus, cuius textus a competenti Auctoritate sit approbatus.

Si ad ingressam non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore vel ministro, qui sedulo edocendi sunt ut verba ingressæ clara voce pronuntient. Minus enim congruit sacerdotem ipsum huiusmodi textus recitare. Quod etiam valet de ceteris cantibus Missæ.

Salutatio altaris et populi congregati

27 Cum ad presbyterium pervenerint, sacerdos et ministri altare salutant. Venerationis autem significandæ causa, sacerdos et ministri sacri ipsum altare osculantur; et sacerdos, diacono prosequente, pro opportunitate, illud incensat, prouti postea fusius dicetur.

28 Expleto cantu ad ingressam, sacerdos et universus cœtus signant se signo crucis. Deinde sacerdos communitati congregatæ præsentiam Domini per salutationem significat. Qua salutatione et populi responsione manifestatur Ecclesiæ congregatæ mysterium.

Actus pænitentialis

29 Salutatione populi facta, sacerdos vel alius minister idoneus potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei. Postea sacerdos invitat ad actum pænitentialem, qui a tota communitate confessione generali perficitur, absolutioneque sacerdotis concluditur.

Actus pænitentialis omitti potest quando agitur de actione liturgica continuata, ut e. g. in processione olivarum, in funeribus, in processione stationali pro sollemnitate Tituli seu Patroni, et in genere quando agitur de vera processione et non de simplici ingressu.

Glória in excélsis

30 Glória est antiquissimus et venerabilis hymnus quo Ecclesia, in Spiritu Sancto congregata, Deum Patrem atque Agnum glorificat eique supplicat. Cantatur vel a cœtu fidelium, vel a populo alternatim cum schola, vel ab ipsa schola. Si non cantatur, recitandum est ab omnibus simul aut alternatim.

Cantatur autem vel dicitur diebus dominicis extra tempus Adventus et Quadragesimæ, necnon in sollemnitatibus et festis (excepta Quadragesima), et in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

Oratio super populum

31 Deinde sacerdos populum ad orandum invitat; et omnes una cum sacerdote parumper silent, ut conscii fiant se in conspectu Dei stare, et vota sua in animo possint nuncupare. Tunc sacerdos profert orationem, quæ « super populum » vocatur. Per eam indoles celebrationis exprimitur et precatio verbis sacerdotis ad Deum Patrem, per Christum in Spiritu Sancto, dirigitur.

Populus precationi se coniungens, illique assentiens, acclamatione Amen suam facit orationem.

In Missa dicitur unica oratio super populum; quod valet etiam de orationibus post liturgiam verbi, super oblata et post Communionem.

Oratio super populum concluditur conclusione longiore, idest:

si dirigitur ad Patrem: Per Dóminum (vel Per eúndem Dóminum) nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;

si dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;

si dirigitur ad Filium: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Orationes vero post liturgiam verbi, super oblata et post Communionem concluduntur conclusione breviore, idest:

si diriguntur ad Patrem: Per Christum Dóminum nostrum, vel Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

si diriguntur ad Patrem, sed in fine ipsarum fit mentio Filii: Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum;

si diriguntur ad Filium: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

B) Liturgia verbi

32 Partem præcipuam liturgiæ verbi constituunt lectiones e sacra Scriptura desumptæ cum cantibus inter eas occurrentibus; homilia autem, antiphona post evangelium, oratio universalis seu oratio fidelium et oratio post liturgiam verbi illam evolvunt et concludunt. Nam in lectionibus, quas homilia exponit, Deus populum suum alloquitur [29], mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque nutrimentum spiritale offert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium præsens adest [30]. Hoc verbum divinum populus suum facit cantibus; eo autem nutritus, oratione universali pro necessitatibus totius Ecclesiæ et pro totius mundi salute preces fundit.

Lectiones biblicæ

33 In lectionibus mensa verbi Dei paratur fidelibus et thesauri biblici iis aperiuntur [31]. Cum ex traditione officium legendi lectiones non sit munus præsidentiale sed ministeriale, convenit ut, de more, diaconus vel, eo deficiente, alius sacerdos legat Evangelium, lector vero alias lectiones. Deficiente tamen diacono vel alio sacerdote, Evangelium a sacerdote celebrante legatur [32].

34 Lectioni evangelicæ maximam venerationem esse tribuendam, ipsa Liturgia docet, cum eam præ ceteris lectionibus speciali honore insigniat, sive ex parte ministri ad eam annuntiandam deputati et per benedictionem vel orationem sese præparantis; sive ex parte fidelium, qui per acclamationes Christum præsentem sibique loquentem agnoscunt et profitentur, et lectionem ipsam stantes auscultant; sive ex ipsis signis venerationis libro Evangeliorum tributis.

Cantus inter lectiones occurrentes

35 Post primam lectionem sequitur psalmus responsorius, seu psalmellus, quæ est pars integralis liturgiæ verbi. Psalmus de more sumitur e Lectionario, eo quod singuli eius textus directo conectuntur cum singulis lectionibus: electio igitur psalmi e lectionibus pendet. Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui responsorum et psalmorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis ordinibus Sanctorum selecti sunt, qui adhiberi valent, loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur.

Psalmista, seu cantor psalmi, in ambone vel alio loco apto profert versus psalmi, tota congregatione sedente et auscultante, immo de more per responsum participante, nisi psalmus modo directo, id est sine responso, proferatur.

Si canitur, præter psalmum in Lectionario assignatum, sumi potest psalmellus sicut in Antiphonali Missarum describitur.

36 Secundam lectionem sequitur Allelúia vel alter cantus, prouti tempus liturgicum postulat.

a) Allelúia cantatur omni tempore extra Quadragesimam. Inchoatur sive ab omnibus siva a schola aut cantore, et, si casus fert, repetitur. Versus sumuntur e Lectionario vel ex Antiphonali.

b) Alter cantus consistit in versu ante Evangelium aut in altero psalmo seu cantu prout inveniuntur in Lectionario vel in Antiphonali.

37 Quando una tantum habetur lectio ante Evangelium:

a) tempore quo dicendum est Allelúia, haberi potest aut psalmus alleluiaticus, aut psalmus et Allelúia cum suo versu, aut tantum psalmus vel Allelúia.

b) Tempore quo Allelúia non est dicendum, haberi potest aut psalmus aut versus ante Evangelium.

[29] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 33.
[30] Cf. *ibid.,* n. 7.
[31] Cf. *ibid.,* n. 51.
[32] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 50: A.A.S. 56 (1964) p. 889.

38 Psalmus post lectionem occurrens, si non cantatur, recitetur; Allelúia vero, necnon antiphona ante Evangelium, quæ certis occurrit diebus, si non cantantur, omitti possunt.

Homilia

39 Homilia est pars liturgiæ et valde commendatur [33]; est enim ad nutrimentum vitæ christianæ necessaria. Sit oportet explicatio aut alicuius aspectus lectionum sacræ Scripturæ aut alterius textus ex Ordinario vel Proprio Missæ diei, ratione habita sive mysterii, quod celebratur, sive peculiarium necessitatum auditorum [34].

40 Diebus dominicis et festis de præcepto homilia habeatur in omnibus Missis, quæ concurrente populo celebrantur; ceteris vero diebus commendatur, præsertim in feriis Adventus, Quadragesimæ et temporis paschalis, necnon in aliis festis et occasionibus, in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit [35].

Homilia de more ab ipso sacerdote celebrante habeatur.

41 Post homiliam, vel etiam, pro opportunitate, immediate post lectionem Evangelicam, cantatur antiphona post Evangelium, quæ preparationem altaris comitatur. Dum enim canitur, altare, seu mensa dominica, « quæ centrum est totius liturgiæ eucharisticæ » [36], præparatur intuitu proximæ liturgiæ eucharisticæ: corporale, purificatorium et vasa sacra in eo per ministros collocantur. Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro ingressa (n. 26). Si non cantatur, pariter ut ingressa recitetur.

Oratio universalis

42 In oratione universali, seu oratione fidelium, populus, sui sacerdotii munus exercens, deprecatur pro omnibus hominibus. Expedit ut huiusmodi oratio in missis cum populo de more habeatur, ita ut obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui in potestate nos regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute [37].

43 Intentionum series de more sint:
a) pro necessitatibus Ecclesiæ,
b) pro rem publicam moderantibus et salute totius mundi,
c) pro oppressis quacumque difficultate,
d) pro communitate locali.

Attamen in celebratione aliqua particulari, uti Confirmatione, Matrimonio, ordo intentionum pressius respicere potest particularem occasionem.

44 Est sacerdotis celebrantis precationem moderari, brevi monitione fideles ad orandum invitare. Expedit ut intentiones a diacono vel a cantore vel ab alio proferantur [38]. Totus cœtus vero precationem suam exprimit sive invocatione communi post intentiones prolatas, sive oratione sub silentio.

Oratio ad complendam liturgiam verbi

45 Intentionibus et invocationibus expletis, profertur a sacerdote oratio post liturgiam verbi, quæ numquam omittitur, etiamsi oratio universalis non antecesserit.

C) Liturgia eucharistica

46 In Cena novissima, Christus sacrificium et convivium paschale instituit, quo sacrificium crucis in Ecclesia continue præsens efficitur, cum sacerdos, Christum Dominum repræsentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit [39].

33 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 52.
34 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 54: A.A.S. 56 (1964) p. 890.
35 Cf. *ibid.,* n. 53: A.A.S. 56 (1964) p. 890.
36 Cf. *ibid.,* n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898; Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 554.
37 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 53.
38 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 56; A.A.S. 56 (1964) p. 890.
39 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 47; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum Mysterium,* 25 maii 1967, n. 3 *a, b*: A.A.S. 59 (1967) pp. 540-541.

Christus enim accepit panem et calicem, gratias egit, fregit deditque discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, bibite; hoc est Corpus meum; hic est Calix Sanguinis mei. Hoc facite in meam commemorationem. Proinde ecclesia totam celebrationem liturgiæ eucharisticæ partibus hisce Christi verbis et actibus respondentibus ordinavit. Siquidem:

1 In præparatione donorum, ad altare afferuntur panis et vinum cum aqua, ea nempe elementa, quæ Christus in manus suas accepit.

2 In Prece eucharistica Deo pro toto opere salutis gratiæ aguntur, et oblata Christi Corpus et Sanguis fiunt.

3 Per fractionem unius panis unitas fidelium manifestatur, et per Communionem fideles accipiunt Corpus et Sanguinem Domini eodem modo ac Apostoli de manibus ipsius Christi.

Præparatio donorum

47 Antequam ad altare dona deferantur, iuxta evangelicam exhortationem (cf. Mt 5, 23-25), pro opportunitate, ritus pacis celebrari potest, quo fideles, Verbo Dei animati et eucharisticum mysterium adituri, mutuam caritatem sibi exprimunt.

Monitio per verba: Pacem habéte, vel per alia similia, profertur a sacerdote, vel, si adest, a diacono.

48 Dona, quæ Corpus et Sanguis Christi efficientur, ad altare afferuntur. Panis et vinum laudabiliter a fidelibus præsentantur, a sacerdote autem loco opportuno accipiuntur et super altare deponuntur comitantibus formulis statutis. Quamvis fideles panem et vinum ad liturgiam destinata non iam de suis proferant sicut olim, ritus tamen illa deferendi vim et significationem spiritalem servat.

Etiam pecunia vel alia dona pro pauperibus vel pro ecclesia a fidelibus allata vel in ecclesia collecta accepta habentur; quapropter loco apto extra mensam eucharisticam collocantur.

49 Processionem, qua dona afferuntur, cantus ad offertorium comitatur, qui protrahitur saltem usquedum dona super altare deposita sunt. Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro ingressa (n. 26). Si non cantatur, antiphona ad offertorium omittitur.

50 Dona in altari collocata, et ipsum altare, incensari possunt, ut oblatio Ecclesiæ eiusque oratio sicut incensum in conspectum Dei ascendere significentur. Etiam sacerdos et populus incensari possunt a diacono vel alio ministro, post incensata oblata et altare.

51 Deinde sacerdos, si necesse est, manus lavat.

Professio fidei

52 Priusquam super oblata oratio recitetur, ad normam huius Institutionis Symbolum proclamatur, quo Christifideles, eucharisticum mysterium adituri, unissime catholicam fidem in beatissimam exprimunt Trinitatem.

53 Symbolum autem dicendum est a sacerdote cum populo diebus dominicis et in sollemnitatibus; in diebus Octavæ Nativitatis quibus cedit Dominica (26, 27, 28 decembris); in sabbato « in traditione Symboli », in missis pro baptizatis, in festis Domini et Beatæ Virginis Mariæ, in natalibus Apostolorum et Evangelistarum; dici potest etiam in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus. Si vero in cantu profertur, de more ab omnibus aut alternatim cantetur.

54 Depositione oblatorum facta et ritibus qui eam comitantur perfectis, per orationem super oblata præparatio donorum concluditur et Prex eucharistica præparatur.

Prex eucharistica

55 Nunc centrum et culmen totius celebrationis initium habet, ipsa nempe Prex eucharistica, prex scilicet gratiarum actionis et sanctificationis. Sacerdos populum ad corda versus Dominum in oratione et gratiarum actione elevanda indicat eumque sibi sociat in oratione, quam nomine totius communitatis per Iesum Christum ad Deum Patrem dirigit. Sensus autem huius orationis est, ut tota congregatio fidelium se cum Christo coniungat in confessione magnalium Dei et in oblatione sacrificii.

56 Præcipua elementa ex quibus Prex eucharistica constat, hoc modo distingui possunt:

a) Gratiarum actio (quæ præsertim in præfatione exprimitur), in qua sacerdos nomine totius populi sancti Deum Patrem glorificat et ei gratias agit pro toto opere salutis vel aliqua eius ratione particulari, secundum diversitatem diei, festi vel temporis.

b) Acclamatio: qua tota congregatio, cælestibus virtutibus se iungens, cantat vel recitat Sanctus. Hæc acclamatio, quæ partem ipsius Precis eucharisticæ constituit, ab omni populo cum sacerdote profertur.

c) Epiclesis: qua per invocationes peculiares Ecclesia virtutem divinam implorat, ut dona ab hominibus oblata consecrentur, seu Corpus et Sanguis Christi fiant, et ut hostia immaculata, in Communione sumenda, sit in salutem eorum qui illam participaturi sunt.

d) Narratio institutionis et consecratio: verbis et actionibus Christi sacrificium peragitur, quod ipse Christus in Cena novissima instituit, cum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini obtulit, Apostolisque manducandum et bibendum dedit et iis mandatum reliquit idem mysterium perpetuandi.

e) Anamnesis: per quam, mandatum adimplens, quod a Christo Domino per Apostolos accepit, Ecclesia memoriam ipsius Christi agit, recolens præcipue eius beatam passionem, gloriosam resurrectionem et ad cælos ascensionem.

f) Oblatio: per quam in ipsa hac memoria Ecclesia, eaque præsertim hic et nunc congregata, in Spiritu Sancto hostiam immaculatam Patri offert. Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus [40].

g) Intercessiones: per quas exprimitur Eucharistiam celebrari in communione cum tota Ecclesia tam cælesti quam terrestri, oblationemque fieri pro ipsa et omnibus eius membris vivis atque defunctis, quæ ad participandam redemptionem et salutem per Christi Corpus et Sanguinem acquisitam vocata sunt.

h) Doxologia finalis: qua glorificatio Dei exprimitur, quæque acclamatione populi confirmatur et concluditur.

Prex eucharistica exigit, ut omnes cum reverentia et silentio eam auscultent, eandem vero participent per acclamationes in ipso ritu prævisas.

Ritus Communionis

57 Cum celebratio eucharistica convivium paschale sit, expedit ut, iuxta mandatum Domini, Corpus et Sanguis eius a fidelibus rite dispositis ut cibus spiritalis accipiantur [41]. Ad hoc tendunt fractio aliique ritus præparatorii, quibus fideles ad Communionem immediate adducuntur:

a) Gestus fractionis a Christo in ultima cena peractus, tempore apostolico toti actioni eucharisticæ nomen dedit. Hic ritus non habet tantum rationem effectivam, sed significat nos multos in Communione ex uno pane vitæ, qui est Christus, unum corpus effici (1 Cor 10, 17).

b) Immixtio: Sacerdos partem hostiæ in calicem immittit.

c) Confractorium. Dum fractio panis et immixtio peraguntur, cantatur confractorium. Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro ingressa (n. 26). Si non cantatur, pariter ut ingressa recitetur.

d) Oratio dominica: In ea panis cotidianus petitur, quo christianis etiam panis eucharisticus innuitur, atque purificatio a peccatis imploratur, ita ut sancta revera sanctis dentur. Sacerdos invitationem ad orationem profert, omnes vero fideles orationem una cum sacerdote dicunt, et sacerdos solus embolismum adiungit, quem populus doxologia concludit. Embolismus, ultimam petitionem ipsius orationis dominicæ evolvens, liberationem a potestate mali pro tota communitate fidelium expetit. Invitatio, oratio ipsa, embolismus et doxologia qua populus hæc concludit, cantu vel clara voce proferuntur.

[40] C. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 48; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 12: A.A.S. 59 (1967) pp. 548-549.

[41] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 12, 33 *a*: A.A.S. 59 (1967) pp. 549, 559.

e) Deinde proclamatur oratio ad pacem et unitatem pro Ecclesia et universa hominum familia implorandam, post quam semper sacerdos invocat pacem super populum verbis: Pax et communicátio... Hic quoque celebrari potest ritus pacis, nisi iam ante offertorium celebratus sit.

f) Præparatio privata sacerdotis: Sacerdos oratione secreta se præparat, ut Corpus et Sanguinem Christi fructuose accipiat. Fideles idem faciunt silentio orantes.

g) Deinde sacerdos panem eucharisticum in Communione suscipiendum fidelibus ostendit eosque ad Christi convívium invitat; simul autem cum fidelibus actum humilitatis, verbis utens evangelicis, elicit.

h) Valde optandum est, ut fideles ex hostiis, in eadem Missa consecratis, Corpus dominicum sumant et in casibus prævisis calicem participent, quo etiam per signa Communio melius appareat participatio sacrificii, quod actu celebratur [42].

i) Dum Sacramentum a sacerdote et fidelibus sumitur, fit cantus transitorii, cuius est spiritalem unionem communicantium per unitatem vocum exprimere, gaudium cordis demonstrare et processionem ad Corpus Christi suscipiendum magis fraternam reddere. Cantus inchoatur cum sacerdos se communicat, et protrahitur, dum fideles Corpus Christi sumunt, quousque videtur opportunum. Si tamen hymnus post Communionem habetur, cantus transitorii tempestive claudatur.

Adhiberi potest aut antiphona ex Antiphonali Missarum vel ex Missali, sive sola sive cum psalmo, aut alius cantus congruus, a competenti auctoritate approbatus.

Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro ingressa (n. 26). Si non cantatur, pariter ut ingressa recitetur.

j) Distributione Communionis expleta, pro opportunitate sacerdos et fideles per aliquod temporis spatium in corde suo orant. Si placet, etiam hymnus vel psalmus vel alius cantus laudis a tota congregatione persolvi potest.

k) In oratione post Communionem, sacerdos pro fructibus mysterii celebrati deprecatur. Populus acclamatione Amen orationem facit suam.

D) Ritus conclusionis

58 Ritus conclusionis constat:

a) Salutatione et benedictione sacerdotis, quæ quibusdam diebus et occasionibus alia sollemniore formula ditatur et exprimitur.

b) Dimissione ipsa, qua cœtus dimittitur, ut unusquisque ad opera sua bona revertatur, collaudans et benedicens Dominum.

[42] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, nn. 31, 32: A.A.S. 59 (1967) pp. 558-559; de facultate bis eodem die communicandi; cf. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis,* 29 ianuarii 1973, n. 2: A.A.S. 65 (1973) pp. 267-268.

Caput III

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN MISSA

59 In cœtu, qui ad Missam congregatur, unusquisque ius habet et officium participationem suam afferendi diverso modo pro diversitate ordinis et muneris [43]. Omnes itaque sive ministri sive fideles, munere suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet [44], ita ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia in suis diversis ordinibus et ministeriis constituta.

I. DE OFFICIIS ET MINISTERIIS ORDINIS SACRI

60 Omnis legitima Eucharistiæ celebratio dirigitur ab Episcopo, sive per seipsum, sive per presbyteros adiutores ipsius [45].

Cum Episcopus Missæ interest, ubi populus est congregatus, decet ipsum cœtui præsidere, et presbyteros sibi in celebratione consociare, quantum fieri potest cum ipsis concelebrando. Quod fit non ad sollemnitatem exteriorem ritus augendam, sed ad significandum vividiore luce mysterium Ecclesiæ, quæ est unitatis sacramentum [46].

Si vero Episcopus Eucharistiam non celebrat, sed alii hoc faciendum attribuit, tunc convenienter ipse liturgiam verbi moderatur, et in fine Missæ benedictionem impertit.

61 Etiam presbyter, qui in societate fidelium sacra Ordinis potestate pollet sacrificium in persona Christi offerendi [47], exinde cœtui congregato præest, eius orationi præsidet, illi nuntium salutis proclamat, populum sibi sociat in offerendo sacrificio per Christum in Spiritu sancto Deo Patri, fratribus suis panem vitæ æternæ dat, ipsumque cum illis participat. Cum igitur Eucharistiam celebrat, debet Deo et populo cum dignitate et humilitate servire, et in modo se gerendi et verba divina proferendi præsentiam vivam Christi fidelibus insinuare.

62 Inter ministros primum locum obtinet diaconus, cuius ordo iam ab initio Ecclesiæ in magno honore habitus est. In Missa enim diaconus proprias habet partes in Evangelio nuntiando et quandoque verbo Dei prædicando, in oratione universali fidelibus præeundo, in ministrando sacerdoti, in Eucharistia fidelibus distribuenda, præcipue sub specie vini, et in gestibus et corporis habitibus totius cœtus aliquando innuendis.

II. DE OFFICIO ET MUNERE PLEBIS DEI

63 In celebratione Missæ fideles efficiunt plebem sanctam, populum acquisitionis et sacerdotium regale, ut gratias Deo agant et immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerant et seipsos offerre discant [48]. Curent autem id manifestare per profundum sensum religiosum et per caritatem erga fratres, qui eandem celebrationem participant.

Vitent proinde omnes species vel singulariæ vitæ vel divisionis, præ oculis habentes se unicum Patrem habere in cælis, omnesque propterea esse inter se fratres.

[43] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 14, 26.
[44] Cf. *ibid.,* n. 28.
[45] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* nn. 26, 28; Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 42.
[46] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 26.
[47] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 2; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 28.
[48] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 48; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 12: A.A.S. 59 (1967) pp. 548-549.

Unum autem corpus efficiant sive verbum Dei audiendo, sive in orationibus et in cantu partem habendo, sive præsertim in communi oblatione sacrificii et in communi participatione mensæ Domini. Hæc unitas pulchre apparet ex gestibus et corporis habitibus a fidelibus communiter servatis.

Ne renuant autem fideles populo Dei cum gaudio servire, quoties rogantur, ut aliquod peculiare ministerium in celebratione præstent.

64 Inter fideles suum munus liturgicum exercet schola cantorum vel chorus, cuius est de partibus sibi propriis, iuxta diversa genera cantuum, debite exsequendis, curare, et actuosam fidelium participationem in cantu fovere [49]. Quæ de schola cantorum dicuntur, valent, servatis servandis, pro aliis etiam musicis, præsertim vero pro organario.

65 Decet adesse cantorem vel magistrum chori ad cantum populi dirigendum et sustentandum. Immo, cum deficit schola, cantori competit diversos cantus moderari, populo pro sua parte participante [50].

III. DE MINISTERIIS PECULIARIBUS

66 Acolythus ad servitium altaris et in adiutorium sacerdotis et diaconi instituitur. Ipsius præcipue est altare atque vasa sacra parare et Eucharistiam, cuius est minister extraordinarius, fidelibus distribuere.

67 Lector ad proferendas lectiones sacræ Scripturæ, Evangelio excepto, instituitur. Potest etiam intentiones orationis universalis proponere et, deficiente psalmista, psalmum inter lectiones proferre.

Lector proprium munus in celebratione eucharistica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis adsint ministri gradus superioris.

Ut fideles ex auditione lectionum divinarum suavem ac vivum sacræ Scripturæ affectum [51] in corde concipiant, necesse est ut lectores tale ministerium exercentes, etsi institutionem non receperunt, revera apti sint et sedulo præparati.

68 Psalmistæ est psalmum vel aliud canticum biblicum, quod inter lectiones invenitur, proferre. Ad suum munus recte implendum necesse est, ut psalmista et arte psallendi et facultate recte pronuntiandi et dicendi polleat.

69 E ceteris ministris, alii diversa munera in presbyterio exercent, alii extra presbyterium.

Primis annumerantur qui ad sacram Communionem ministrandam deputati sunt ut ministri extraordinarii [52] necnon qui Missale, crucem, cereos, panem, vinum, aquam, turibulum et naviculam deferunt.

Aliis autem:

a) Commentator, qui explicationes et admonitiones proponit fidelibus, ut in celebratione introducantur et ad eius intellegentiam melius disponantur. Oportet monitiones commentatoris sint adamussim præparatæ et sobrietate perspicuæ.

In suo munere adimplendo, commentator stat loco apto coram fidelibus, sed minus congruit eum ascendere ad ambonem.

b) Ii qui, aliquibus in regionibus, fideles ad portas ecclesiæ recipiunt eosque in locis ipsis convenientibus disponunt, et eorum processiones ordinant.

c) Qui collectas in ecclesia faciunt.

70 Expedit ut, præsertim in maioribus ecclesiis et communitatibus, aliquis designetur qui curet de actionibus sacris congrue disponendis et cum decore, ordine et pietate per ministros exercendis.

71 Omnia ministeria infra ea quæ propria sunt diaconi a viris laicis, etsi institutionem non receperunt, exerceri possunt. Ministeria quæ extra presbyterium peraguntur etiam mulieribus committi possunt, iuxta prudens iudicium rectoris ecclesiæ.

[49] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 19: A.A.S. 59 (1967) p. 306.
[50] Cf. *ibid.,* n. 21: A.A.S. 59 (1967) pp. 306-307.
[51] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 24.
[52] Cf. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis,* 29 ianuarii 1973, n. 1: A.A.S. 65 (1973) pp. 265-266.

Mulier idonea lectiones quæ præcedunt Evangelium et intentiones orationis universalis proferre potest [53].

72 Si plures adsunt qui idem ministerium exercere possunt, nihil vetat, quominus diversas partes eiusdem ministerii inter se distribuant et peragant. Ex. gr., alius diaconus adhiberi potest pro partibus in cantu proferendis, et alius pro ministerio altaris; si plures lectiones habentur, inter plures lectores eas distribuere iuvat, et sic de ceteris.

73 Si in Missa cum populo unus tantum minister adest, ipse diversa munera exercere potest.

74 Effectiva cuiusque celebrationis liturgicæ præparatio concordi animo fiat inter omnes quorum interest sive quoad ritus, sive quoad rem pastoralem et musicam, rectore ecclesiæ moderante et auditis quoque fidelibus pro iis quæ ad ipsos directe pertinent.

[53] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicæ instaurationes*, 5 septembris 1970, n. 7: A.A.S. 62 (1970) pp. 700-701.

Caput IV

DE DIVERSIS FORMIS MISSAM CELEBRANDI

75 In Ecclesia locali primus sane locus tribuatur, propter eius significationem, Missæ cui præest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus [54] et in qua plebs sancta Dei plene et actuose participat. Ibi enim habetur præcipua manifestatio Ecclesiæ.

76 Magni etiam habeatur Missa quæ cum aliqua communitate, præsertim vero parœciali, celebratur, utpote quæ Ecclesiam universalem repræsentet tempore et loco statutis, præcipue vero in communi celebratione dominicali [55].

77 Inter Missas autem ab aliquibus communitatibus celebratas peculiarem locum obtinet Missa conventualis, quæ pars est Officii cotidiani, aut Missa, quæ « Communitatis » dicitur. Et quamvis hæ Missæ nullam specialem formam celebrationis præ se ferant, maxime tamen decet eas cum cantu fieri, præcipue cum plena participatione omnium sodalium communitatis sive religiosorum sive canonicorum. In iis proinde munus suum exerceant singuli iuxta Ordinem vel ministerium receptum. Expedit ideo ut omnes sacerdotes qui pro utilitate pastorali fidelium singulariter celebrare non tenentur, in iis, quantum fieri potest, concelebrent. Omnes insuper ad eam communitatem pertinentes sacerdotes qui officio in bonum pastorale fidelium singulariter celebrandi tenentur, Missam quoque conventualem aut « Communitatis » eadem die concelebrare possunt [56].

I. DE MISSA CUM POPULO

78 Missa cum populo ea intellegitur quæ cum fidelium participatione celebratur. Convenit autem ut, quantum fieri potest, præsertim vero diebus dominicis et festis de præcepto, cum cantu et congruo numero ministrorum celebratio peragatur [57]; attamen etiam sine cantu et cum uno ministro perfici potest.

79 Expedit autem ut sacerdoti celebranti de more adsint acolytus, lector et cantor: quæ forma in sequentibus « typica » appellabitur. Ritus vero qui infra describitur facultatem prævidet amplioris etiam numeri ministrorum.

In qualibet celebrationis forma adesse potest diaconus suo munere fungens.

Præparanda

80 Altare una saltem tobalea cooperiatur. Super ipsum vero aut circa ipsum duo saltem, vel etiam quattuor, aut sex, vel, si Episcopus diœcesis celebrat, septem candelabra cum cereis accensis ponantur. Item super altare vel prope ipsum habeatur crux in qua, si sit super altare, possunt, more ambrosiano, præscripti cerei infigi. Candelabra autem et crux in processione ad ingressum afferri possunt. Super ipsum altare poni potest, nisi in processione ad ingressum deferatur, liber Evangeliorum, a libro aliarum lectionum distinctus.

81 Item parentur:

a) iuxta sedem sacerdotis: Missale et, pro opportunitate, libellus cantuum;

b) in ambone: liber lectionum;

[54] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41.

[55] Cf. *ibid.,* n. 42; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 26: A.A.S. 59 (1967) p. 555; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n .5.

[56] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 565; S. Congr. pro Cultu Divino, Decl. de concelebratione, 7 augusti 1972: A.A.S. 64 (1972) pp. 561-563.

[57] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 26: A.A.S. 59 (1967) p. 555; Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, nn. 16, 27: A.A.S. 59 (1967) pp. 305, 308.

c) in abaco: calix, corporale, purificatorium et, pro opportunitate, palla; patena et pyxides, si necessariæ sunt, cum pane pro Communione sacerdotis, ministrorum, et populi; urceoli cum vino et aqua, nisi hæc omnia a fidelibus ad offertorium præsententur; patina pro Communione fidelium; et ea quæ necessaria sunt ad manus lavandas. Calix cooperiatur velo, quod potest esse semper coloris rubri vel albi.

82 In secretario, pro diversis formis celebrationis, parentur sacræ vestes sacerdotis et ministrorum:

a) pro sacerdote: alba, stola et planeta;

b) pro diacono: alba, stola et dalmatica, quæ tamen, ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis, omitti potest;

c) pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime approbatæ.

Omnes qui albam induunt, cingulum adhibeant et amictu utantur, nisi aliter provideatur.

A) Forma typica

Ritus initiales

83 Populo congregato, sacerdos et ministri, sacris vestibus induti, ad altare procedunt hoc ordine:

a) ministri cum navicula et turibulo fumigante, si incensum adhibetur;

b) ministri qui, pro opportunitate, deferunt cereos, et inter eos, si casus fert, alius minister cum cruce;

c) acolythi et alii ministri;

d) lector, qui potest librum Evangeliorum deferre;

e) sacerdos Missam celebraturus.

Si incensum adhibetur, sacerdos antequam procedatur, incensum in turibulo imponit.

84 Dum fit processio ad altare, cantus ad ingressam peragitur (cf. nn. 25-26).

85 Cum ad altare pervenerint, sacerdos et ministri faciunt debitam reverentiam, id est profundam inclinationem, vel, si adest tabernaculum cum Ss.mo Sacramento, genuflexionem.

Crux forte in processione delata iuxta altare, vel alio loco opportuno, ponitur; candelabra vero a ministris portata iuxta altare, vel super abacum, collocantur; liber Evangeliorum super altare ponitur.

86 Sacerdos ad altare ascendit ipsumque osculo veneratur. Deinde, pro opportunitate, altare incensat, in mensa et in fronte; diaconus vero per circuitum, prouti postea fusius dicetur (cf. n. 249).

87 His peractis, sacerdos sedem petit. Cantu ingressæ expleto, omnibus stantibus, sacerdos et fideles signant se. Sacerdos dicit: In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Populus respondet: Amen.

Deinde, ad populum conversus et manus extendens, sacerdos eum salutat, una adhibita e formulis propositis. Potest etiam, ipse vel alius minister idoneus, brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.

88 Post actum pænitentialem, dicitur Glória, iuxta rubricas (n. 30). Glória inchoari potest aut ab ipso sacerdote, aut a cantoribus aut etiam ab omnibus simul.

89 Deinde sacerdos populum ad orandum invitat, manibus iunctis, dicens: Orémus. Et omnes una cum sacerdote ad breve tempus silentes orant. Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit orationem super populum, qua expleta, populus acclamat: Amen.

Liturgia verbi

90 Oratione finita, lector ad ambonem pergit. Versus sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, clara voce dicens: Iube, domne, benedícere. Sacerdos ei benedicit clara pariter voce, utens variis formulis, scilicet si lectio sumatur ex Veteri Testamento: Prophética léctio sit nobis salútis erudítio; si ex Actibus Apostolorum: Apostólica léctio sit nobis salútis erudítio; si ex Epistolis apostolicis: Apostólica doctrína répleat nos grátia divína.

Quod si lector unus plures lectiones legat, benedictio ei datur prima vice tantum, his verbis: Divína léctio sit nobis salútis erudítio. Si vero agatur de lectione hagiographica, dicatur: Ecclesiástica léctio sit nobis salútis erudítio. Si idem lector legat ecclesiasticam et divinam lectionem, benedici potest his verbis: Lege in nómine Dómini. Pro his formulis semper hæc brevior adhiberi potest: Lege in nómine Dómini. Lector se signat ad benedictionem, se erigit et legere incipit.

In fine lectionis omnes acclamationem proferunt. Si lectio sit hagiographica, concluditur his verbis: Regnánte Dómino nostro Iesu Christo, cui honor et glória in sǽcula sæculórum. Populus acclamat: Amen.

91 Psalmista vero, seu cantor, vel ipse lector, lectione finita, psalmum dicit, populo responsum proferente (cf. n. 35).

92 Postea, si habenda sit secunda lectio ante Evangelium, lector eam in ambone recitat, ut supra, omnibus sedentibus et auscultantibus, atque in fine acclamantibus.

93 Sequitur Allelúia vel alter cantus, prout tempus liturgicum postulat (cf. nn. 36-38).

94 Dum canitur Allelúia vel alter cantus, sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Deinde, manibus iunctis, et inclinatus ante altare, dicit secreto: Munda cor meum.

95 Tunc librum Evangeliorum, si est in altari, accipit et, præcedentibus ministris, qui incensum et cereos deferre possunt, ad ambonem accedit.

96 In ambone sacerdos aperit librum et dicit: Dóminus vobíscum, et deinde Léctio sancti Evangélii, pollice signans librum et seipsum in fronte, ore et pectore. Deinde librum, si incensum adhibetur, turificat. Post acclamationem populi, proclamat Evangelium, eoque finito, librum osculatur. Post Evangelium fit acclamatio populi, verbis: Laus tibi, Christe.

97 Si non adest lector, sacerdos ipse omnes lectiones et, pro necessitate, etiam cantus post ipsas occurrentes profert, stans in ambone, nulla benedictione invocata. Ibidem, si adhibetur, incensum imponit et, inclinatus, dicit: Munda cor meum.

98 Homilia fit ad sedem vel in ipso ambone.

99 Post homiliam vel etiam post lectionem evangelicam cantatur aut recitatur antiphona post evangelium, prout n. 41 dictum est, dum altare paratur.

100 Deinde, populo pro sua parte participante, fit oratio universalis seu oratio fidelium, quam sacerdos moderatur a sede aut ex ambone (cf. nn. 42-44); denique recitat orationem post liturgiam verbi (cf. n. 45).

Liturgia eucharistica

101 Oratione ad complendam liturgiam verbi absoluta, ritus pacis celebrari potest cum invitatione: Pacem habéte, vel aliis verbis, et omnes pacem et caritatem sibi invicem significant. Sacerdos pacem potest dare ministris. Postea incipit cantus ad offertorium (cf. n. 49).

102 Expedit ut participatio fidelium manifestetur per oblationem sive panis et vini ad Eucharistiæ celebrationem, sive aliorum donorum, quibus necessitatibus ecclesiæ et pauperum subveniatur. Oblationes fidelium, adiuvantibus ministris, a sacerdote opportune accipiuntur, qui singulis offerentibus benedicit, dicens: Benedícat te Dóminus et hoc tuum munus, et apto loco collocantur; panis autem et vinum pro Eucharistia ad altare deferuntur.

103 Sacerdos, ad altare, accipit a ministro patenam cum pane, eamque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens formulam appositam. Deinde patenam cum pane super corporale deponit.

104 Postea, stans ad latus altaris, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens formulam præscriptam, ministro urceolos porrigente. Reversus autem ad medium altaris, acceptum calicem ambabus manibus parum elevatum tenet, dicens formulam statutam; et deinde calicem super corporale deponit, et palla pro opportunitate cooperit.

105 Calice in altari deposito, sacerdos, inclinatus, dicit secreto: In spíritu humilitátis.

106 Pro opportunitate deinde sacerdos incensat oblata atque altare in mensa et in fronte; diaconus vero sacerdotem, altare per circuitum et clerum; postremo minister diaconum et populum.

107 Post orationem In spíritu humilitátis vel post incensationem, sacerdos, stans ad latus altaris, si necesse est manus lavat, ministro aquam fundente.

108 Ad medium altaris deinde reversus, stans ad populum conversus, manibus iunctis, symbolum dicitur a sacerdote una cum populo (cf. n. 52). Ad verba Et incarnátus est etc. omnes se inclinant; in solemnitatibus vero Annuntiationis et Nativitatis Domini, et in Dominica VI Adventus genua flectunt.

109 Deinde, sacerdos, manibus extensis, dicit orationem super oblata. In fine populus acclamat: Amen.

110 Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam. Manus extendens dicit: Dóminus vobíscum. Cum prosequitur: Sursum corda, manus elevat; ac, manibus extensis, subdit: Grátias agámus Dómino Deo nostro. Postquam populus respondit: Dignum et iustum est, sacerdos prosequitur præfationem; eaque finita, iunctis manibus, una cum ministris et populo, cantat vel clara voce dicit: Sanctus-Benedíctus (cf. n. 56 b).

111 Sacerdos prosequitur Precem eucharisticam iuxta rubricas, quæ in singulis Precibus indicantur.

Si sacerdos celebrans est Episcopus, post verba una cum fámulo tuo Papa nostro N. subiungit: et me indígno servo tuo.

Ordinarius loci nominari debet hac formula: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo (vel: Vicário, Præláto, Præfécto, Abbáte) nostro N. Episcopos Coadiutores et Auxiliares nominari licet in Prece eucharistica. Quando plures nominandi sunt, dicitur sub formula generali: et Epíscopo nostro N. eiúsque Epíscopis adiutóribus[58].

In unaquaque Prece eucharistica, prædictæ formulæ aptandæ sunt, normis grammaticorum attentis.

Paulo ante consecrationem, minister, pro opportunitate, campanulæ signo fideles monet. Item pulsat campanulam ad unamquamque ostensionem, iuxta cuiusque loci consuetudinem.

112 Elevatione calicis peracta et anamnesi proclamata, sacerdos stans in medio altaris extendit brachia in modum crucis usque ad primum comma oblationis inclusive.

113 Expleta doxologia, quæ in fine Precis eucharisticæ habetur, sacerdos accipit hostiam, eamque super patenam vel super calicem frangit, et particulam immittit in calicem. Interim a choro et a populo cantatur vel recitatur Confractorium (cf. n. 57 c).

114 Expleto Confractorio, sacerdos manibus iunctis, dicit monitionem ante orationem dominicam, quam deinde una cum populo profert, manibus extensis.

115 Oratione dominica finita, sacerdos, manibus extensis, solus dicit embolismum Líbera nos, quo completo, populus acclamat: Quia tuum est regnum.

116 Deinde sacerdos, clara voce, dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; eaque finita, extendens et iungens manus, pacem annuntiat, versus ad populum, dicens: Pax et communicátio Dómini nostri Iesu Christi sit semper vobíscum. Populus respondet: Et cum spíritu tuo. Postea, pro opportunitate, sacerdos subiungit: Offérte vobis pacem, nisi pax iam data sit ante offertorium.

117 Tunc sacerdos dicit secreto orationem: Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio Córporis et Sánguinis.

118 Oratione finita, sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum dicit: Ecce Agnus Dei, et una cum populo semel subdit: Dómine, non sum dignus.

119 Postea, stans ad altare conversus, sacerdos secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Corpus Christi. Deinde accipit calicem, dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Sanguinem Christi.

[58] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Decr. 9 oct. 1972: A.A.S. 64 (1972) pp. 692-694.

120 Accipit deinde patenam vel pyxidem, et accedit ad communicandos. Si Communio sub specie tantum panis fit, hostiam parum elevatam unicuique ostendit dicens: Corpus Christi. Communicandus respondet: Amen, et, tenens patinam sub ore, Sacramentum accipit.

121 Pro Communione sub utraque specie, servetur ritus suo loco descriptus (cf. nn. 253-265).

122 Dum sacerdos sumit Sacramentum, inchoatur Transitorium (cf. n. 57 i).

123 Distributione Communionis expleta, sacerdos, ad altare reversus, colligit fragmenta, si quæ sint; deinde, stans ad latus altaris, vel ad abacum, purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem, et calicem purificatorio exterget. Si vasa purificata sunt ad altare, a ministro deferuntur ad abacum. Licet tamen vasa purificanda, præsertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel in abaco super corporale relinquere eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

124 Purificationibus peractis, sacerdos ad sedem redire potest. Sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari, vel canticum laudis aut psalmus proferri potest (cf. n. 57 j).

125 Postea, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos versus ad populum, dicit: Orémus et, extensis manibus, orationem post Communionem recitat, cui præmitti potest breve spatium silentii, nisi iam præcesserit statim post Communionem. In fine orationis populus acclamat: Amen.

Ritus conclusionis

126 Expleta oratione post Communionem, fiant, si habendæ sunt, breves annuntiationes ad populum.

127 Deinde sacerdos, extendens manus, salutat populum, dicens: Dóminus vobíscum, cui respondetur a populo: Et cum spíritu tuo. Kýrie eléison, Kýrie eléison, Kýrie eléison. Et statim sacerdos subdit: Benedícat vos omnípotens Deus et, benedicens, prosequitur: Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus; omnes respondent: Amen. Quibusdam diebus et occasionibus, huic formulæ benedictionis præmittitur, iuxta rubricas, alia formula sollemnior.

Statim post benedictionem, sacerdos, manibus iunctis subiungit: Procedámus cum pace; et omnes respondent: In nómine Christi.

128 Tunc sacerdos altare de more osculo veneratur. Facta deinde debita reverentia cum ministris, recedit.

129 Si vero Missam sequitur aliqua actio liturgica, ritus conclusionis in fine huius actionis omittuntur.

B) De muneribus diaconi

130 Quando adest diaconus, ministerio suo fungens, servantur normæ in superiore capite descriptæ, his exceptis, quæ sequuntur.

In genere diaconus:

a) sacerdoti assistit et ad eius latus procedit, nisi librum Evangeliorum defert (cf. n. 131);

b) ad altare, ad calicem ministrat;

c) si nullus alius minister adsit, ipse aliorum munera, pro necessitate, adimplet.

Ritus initiales

131 Vestibus sacris indutus, diaconus, si librum Evangeliorum defert, sacerdotem accedentem ad altare præcedit, secus ad eius latus incedit.

132 Facta una cum sacerdote debita reverentia altari, diaconus una cum ipso ad altare ascendit atque, libro Evangeliorum super altare deposito, simul cum sacerdote altare

osculo veneratur. Sacerdoti deinde, si adhibetur incensum, assistit ad incensum imponendum et altare turificandum supra mensam et in fronte, ipse vero complet incensationem altaris per circuitum.

133 Altari incensato, sedem una cum sacerdote petit, ibique ad latus sacerdotis consistit eique pro necessitate ministrat.

Liturgia verbi

134 Dum Allelúia vel alter cantus profertur, si adhibetur incensum, ad impositionem thuris sacerdoti ministrat, deinde librum Evangeliorum, si est in altari, sumit et ad ambonem pergit, ministris, si adsint, cum candelabris et incenso eum præcedentibus. Ibi versus sacerdotem inclinatus, benedictionem petit clara voce dicens: Iube, domne, benedícere. Sacerdos eum benedicit voce pariter clara dicens: Dóminus sit in corde tuo, etc. Diaconus se signat, se erigit, populum salutat, librum incensat et proclamat Evangelium. Quo finito, librum osculo veneratur et ad sedem suam redit. Si vero homilia non fit, potest remanere in ambone pro oratione universali, recedentibus ministris et antiphona post Evangelium cantata vel recitata.

135 Intentiones orationis fidelium, post introductionem sacerdotis, ipse diaconus sive ex ambone sive ex alio loco convenienti profert.

Liturgia eucharistica

136 Antequam dona ad altare deferantur, pro opportunitate, monitionem dicit: Pacem habéte vel alia similia verba. Ipse vero pacem a sacerdote recipit, aliisque ministris sibi propioribus potest offerre.

Ad offertorium, assistit sacerdoti ad dona populi recipienda. Tradit deinde sacerdoti patenam cum pane consecrando; infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens: De látere Christi, et postea calicem sacerdoti præsentat. Præparationem tamen calicis, seu infusionem vini et aquæ, ad abacum peragere potest. Si incensum adhibetur, in turificandis oblatis et altari supra mensam et in fronte sacerdoti ministrat, postea ipse incensat sacerdotem, altare per circuitum, ceteros ecclesiasticos; populum incensat sive per se sive per alium ministrum, denique ab alio ministro ipse turificatur.

137 Durante Prece eucharistica, diaconus stat ad latus altaris, ut, quando opus sit, ad calicem ministret.

138 Ad doxologiam finalem Precis eucharisticæ, stans ad latus sacerdotis, calicem elevatum tenet, dum sacerdos patenam cum hostia elevat, usquedum populus Amen acclamaverit.

139 Nisi pax iam data sit ante offertorium, postquam sacerdos dixit orationem ad pacem et: Pax et communicátio Dómini, et populus respondet: Et cum spíritu tuo, diaconus, pro opportunitate, invitationem facit ad pacem, dicens: Offérte vobis pacem.

140 Communione a sacerdote facta, ipse Communionem sub utraque specie accipit, et sacerdotem deinde adiuvat in Communione populo distribuenda. Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat, et ultimus de calice sumit.

141 Distributione Communionis expleta, diaconus cum sacerdote ad altare revertitur, colligit fragmenta, si quæ sint, deinde portat calicem et alia vasa sacra ad abacum, ibique ea purificat et de more componit, dum sacerdos ad sedem redit. Licet tamen vasa purificanda, opportune cooperta, in abaco super corporale relinquere, eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

Ritus conclusionis

142 Dicta oratione post Communionem, diaconus facit breves annuntiationes populo, quæ forte faciendæ sunt, nisi ipse sacerdos malit eas facere.

143 Data benedictione a sacerdote, diaconus populum dimittit dicens: Procedámus cum pace.

144 Deinde, una cum sacerdote, altare osculo veneratur, et, facta debita reverentia, simili modo quo processerat, recedit.

C) De muneribus acolythi

145 Munera quæ acolythus exercere potest varii sunt generis; plura autem ex iis simul occurrere possunt. Expedit proinde ut opportune inter plures distribuantur; si vero unus tantum acolythus præsens adest, ea quæ potioris sunt momenti ipse exsequatur, cetera vero inter alios ministros distribuantur.

Ritus initiales

146 In accessu ad altare crucem, medius inter duos ministros cum cereis accensis, deferre potest. Cum autem ad altare pervenerit, cruce prope altare deposita, locum suum in presbyterio occupat.

147 Per totam celebrationem, acolythi est ad sacerdotem vel diaconum, quoties opus sit, accedere, ut ipsis librum præbeat et in aliis quæ necessaria sunt eos adiuvet. Convenit proinde ut, quantum fieri possit, locum occupet e quo ministerium suum commode possit implere, sive ad sedem sive ad altare.

Liturgia eucharistica

148 Dum cantatur antiphona post evangelium, sacerdote ad sedem manente, acolythus super altare ponit corporale, purificatorium vasa sacra et Missale. Deinde, si opus est, sacerdotem adiuvat in accipiendis donis populi et, pro opportunitate, panem et vinum ad altare defert et sacerdoti tradit. Si incensum adhibetur, ipse sacerdoti turibulum exhibet eique assistit in turificandis oblatis et altari.

149 Sacerdotem adiuvare potest, qua minister extraordinarius, in Communione populo distribuenda [59]. Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat, vel calicem sustinet si Communio per intinctionem præbetur.

150 Distributione Communionis expleta, sacerdotem vel diaconum in vasis sacris purificandis et componendis adiuvat. Absente vero diacono, acolythus vasa sacra ad abacum defert ibique purificat et componit.

D) De muneribus lectoris

Ritus initiales

151 In accessu ad altare, absente diacono, lector librum Evangeliorum deferre potest: tunc ante sacerdotem incedit; secus cum aliis ministris.

152 Cum ad altare pervenerit, facta cum sacerdote debita reverentia, ad altare ascendit, librum Evangeliorum supra illud deponit et in presbyterio una cum aliis ministris locum occupat.

Liturgia verbi

153 Lectiones, quæ Evangelium præcedunt, in ambone legit. Deficiente vero psalmista, potest et psalmum responsorium post primam lectionem proferre.

154 Absente diacono, post introductionem a sacerdote dictam, lector intentiones orationis universalis proferre potest.

155 Si ad ingressam, post evangelium, ad confractorium vel ad Communionem non habetur cantus, et antiphonæ in Missali propositæ a fidelibus non recitantur, tempore convenienti eas profert.

II. DE MISSIS CONCELEBRATIS

Prænotanda

156 Concelebratio qua unitas sacerdotii et sacrificii necnon totius populi Dei opportune manifestatur, præterquam in casibus quibus ipso ritu præcipitur, permittitur:
1 a) feria V Hebdomadæ Authenticæ, tum ad Missam chrismatis, tum ad Missam vespertinam;

[59] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam,* 15 augusti 1972, n. VI: A.A.S. 64 (1972) p. 532.

b) ad Missam in Conciliis, Conventibus Episcoporum et Synodis;

c) ad Missam in benedictione abbatis.

2 Præterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare:

a) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis et oratoriis, cum utilitas christifidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum præsentium non postulat;

b) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum sæcularium tum religiosorum [60].

157 Ubi magnus habetur numerus sacerdotum, superior competens concedere potest ut concelebratio etiam pluries eodem die fiat, sed temporibus subsequentibus, vel in locis sacris diversis [61].

158 Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in sua diœcesi moderari, etiam in exemptorum ecclesiis et oratoriis semipublicis. De opportunitate vero concelebrationis iudicare atque licentiam in suis ecclesiis et oratoriis dare est cuiusvis Ordinarii et etiam Superioris maioris Religionum clericalium non exemptarum et Societatum clericorum in communi viventium sine votis [62].

159 Nemo umquam ad concelebrandum admittatur Missa iam incepta [63].

160 In singulari honore illa concelebratio habenda est, qua sacerdotes alicuius diœceseos cum proprio Episcopo concelebrant, præcipue vero in Missa chrismatis feria V Hebdomadæ Authenticæ, et occasione Synodi vel visitationis pastoralis. Eadem ratione concelebratio commendatur quoties sacerdotes cum proprio Episcopo conveniunt, sive occasione exercitiorum spiritalium, sive alicuius conventus. In his casibus illud signum unitatis sacerdotii, necnon Ecclesiæ, omni concelebrationi proprium, magis perspicuo modo manifestatur [64].

161 Ob peculiarem causam, sive significationis ritus sive festivitatis, facultas fit pluries celebrandi vel concelebrandi eodem die, sequentibus in casibus:

a) qui, feria V Hebdomadæ Authenticæ, Missam chrismatis celebravit aut concelebravit, etiam Missam vespertinam celebrare aut concelebrare potest;

b) qui Missam primam in nocte Paschatis celebravit aut concelebravit, potest secundam Missam Paschatis celebrare aut concelebrare;

c) in Nativitate Domini omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hæ suo tempore celebrentur;

d) qui in Synodo et in visitatione pastorali cum Episcopo vel eius delegato aut in occasione cuiusdam conventus sacerdotum concelebrat, Missam ad utilitatem fidelium iterum celebrare potest [65]. Idem valet, servatis servandis, pro cœtibus religiosorum.

162 Missa concelebrata ordinatur, pro qualibet forma, iuxta normas Missæ singulariter celebratæ, iis tamen servatis aut mutatis quæ infra indicabuntur.

163 Si in Missa concelebrata neque diaconus neque alii ministri assistant, munera ipsis propria ab aliquibus concelebrantibus perficiuntur.

Ritus initiales

164 Concelebrantes in secretario, vel alio loco apto, sacras vestes induunt, quas sumere solent cum Missam singuli celebrant. Accedente tamen iusta causa v. gr. frequentiore

60 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 57.
61 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 566.
62 Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missæ,* n. 3.
63 Cf. *ibid.,* n. 8.
64 Cf. S. Congr. Rituum, Decr. generale *Ecclesiæ semper,* 7 martii 1965: A.A.S. 57 (1965) pp. 410-412; Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 47: A.A.S. 59 (1967) p. 565.
65 Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missæ,* n. 9; S. Congr. pro Cultu Divino, Decl. de concelebratione, 7 augusti 1972: A.A.S. 64 (1972) pp. 561-563.

concelebrantium numero et defectu paramentorum, concelebrantes, excepto semper celebrante principali, omittere possunt planetam, adhibita stola super albam.

165 Omnibus rite dispositis, fit de more processio per ecclesiam ad altare. Presbyteri concelebrantes incedunt ante celebrantem principalem.

166 Cum ad altare pervenerint, concelebrantes et celebrans principalis, facta debita reverentia, altare osculo venerantur, deinde sedem sibi assignatam petunt. Celebrans vero principalis altare, pro opportunitate, incensat, ac deinde sedem petit.

Liturgia verbi

167 Durante liturgia verbi concelebrantes locum suum occupant et sedent et surgunt eadem ratione ac celebrans principalis.

168 Homiliam habet de more celebrans principalis, vel unus e concelebrantibus.

Liturgia eucharistica

169 Oratione ad complendam liturgiam verbi absoluta, dari potest pax iuxta normas superius traditas (n. 47). Ritus offertorii perficiuntur a celebrante principali, aliis concelebrantibus suis locis manentibus.

170 Ritibus offertorii peractis, concelebrantes ad altare accedunt et circa altare consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et sacer ritus a fidelibus bene conspiciatur, neque impedimento sint diacono quando ad altare, ratione sui ministerii, accedere debet.

De modo proferendi Precem eucharisticam

171 Præfatio dicitur a solo celebrante principali; Sanctus vero ab omnibus una cum populo et schola cantatur vel recitatur.

172 Sanctus expleto, concelebrantes Precem eucharisticam modo infra descripto prosequuntur. Solus celebrans principalis gestus facit, nisi aliter notetur.

173 Partes quæ ab omnibus concelebrantibus simul proferuntur, in recitatione ita dicendæ sunt, ut eas concelebrantes submissa voce proferant et vox celebrantis principalis clare audiatur. Hac ratione textus a populo facilius percipitur.

A) Prex eucharistica I

174 Te ígitur a solo celebrante principali, extensis manibus, dicitur.

175 Meménto vivorum et Communicántes uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis et elevata voce dicit.

176 Hanc ígitur a solo celebrante principali iterum dicitur, manibus extensis.

177 A Quam oblatiónem usque ad Súpplices, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:
a) Quam oblatiónem, manibus ad oblata extensis;
b) Qui prídie, Símili modo, manibus iunctis;
c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;
d) Unde et mémores et Supra quæ, manibus extensis;
e) Súpplices, inclinati et manibus iunctis usque ad verba ex hac altáris participatióne, ac deinde erecti et se signantes ad verba omni benedictióne cælésti et grátia repleámur.

178 Meménto defunctorum et Nobis quoque mínimis et peccatóribus uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus ea manibus extensis et elata voce dicit.

179 Ad verba Nobis quoque mínimis et peccatóribus omnes concelebrantes pectus sibi percutiunt.

180 Per Christum Dóminum nostrum, per quem hæc ómnia a solo celebrante principali dicitur.

181 In hac Prece eucharistica, partes a Quam oblatiónem usque ad Súpplices necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

B) Prex eucharistica II

182 Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

183 Ab Hæc ergo dona usque ad Et súpplices omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Hæc ergo dona, manibus ad oblata extensis;

b) Qui cum passióni et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur atque Et súpplices, manibus extensis.

184 Intercessiones pro vivis: Recordáre, Dómine, et pro defunctis: Meménto étiam fratrum nostrórum, uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

185 Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Qui cum passióni, Símili modo, Mémores ígitur necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

C) Prex eucharistica III

186 Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

187 A Súpplices ergo te, Dómine, usque ad Réspice, quǽsumus, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo:

a) Súpplices ergo te, Dómine, manibus ad oblata extensis;

b) Ipse enim in qua nocte tradebátur et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur et Réspice, quǽsumus, manibus extensis.

188 Intercessiones: Ipse nos et Hæc hóstia nostræ reconciliatiónis uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis profert.

189 Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Ipse enim, Símili modo, Mémores ígitur necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

D) Prex eucharistica IV

190 Confitémur tibi, Pater sancte, usque ad omnem sanctificatiónem compléret, a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

191 A Quǽsumus ígitur, Dómine, usque ad Réspice, Dómine, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Quǽsumus ígitur, Dómine, manibus ad oblata extensis;

b) Ipse enim, cum hora venísset et Símili modo, manibus iunctis;

c) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Unde et nos et Réspice, Dómine, manibus extensis.

192 Intercessiones: Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre, uni e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

193 Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Ipse enim, Símili modo, Unde et nos necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

E) Prex eucharistica V

194 Vere sanctus, vere benedíctus usque ad Sánguinem Dómini nostri Iesu Christi a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

195 Ab Ille enim se pro mundi redemptióne usque ad dócuit primus offérri ab omnibus concelebrantibus profertur manibus extensis.

196 A Qui prídie usque ad eius nunc Corpus tríbuas ad salútem inclusive, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo:

a) Qui prídie et Símili modo, manibus iunctis;

b) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

c) Hæc fácimus, hæc celebrámus, manibus extensis.

197 Intercessio Pópulum hunc acquisitiónis tuæ uni e concelebrantibus committi potest, qui solus eam manibus extensis profert.

198 Huius precis eucharisticæ partes a Qui prídie usque ad mortem domínicam nuntiámus necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

F) Prex eucharistica VI

199 Vere sanctus, vere benedíctus usque ad Iesus Christus Fílius tuus, a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

200 Qui cum Deus esset usque ad divína pietáte relíquit ab omnibus concelebrantibus profertur manibus extensis.

201 A Prídie enim usque ad veritátem domínici Córporis et Sánguinis hauriámus inclusive, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo:

a) Prídie enim et Símili modo, manibus iunctis;

b) verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

c) Ipsíus Fílii tui præcéptum, manibus extensis.

202 Intercessio Hoc vero, Pater omnípotens uni e concelebrantibus committi potest, qui solus eam manibus extensis profert.

203 Huius precis eucharisticæ partes a Prídie enim usque ad veritátem domínici Córporis et Sánguinis hauriámus necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

204 Doxologia finalis Precis eucharisticæ a solo celebrante principali aut ab omnibus concelebrantibus una cum celebrante principali profertur.

Ritus Communionis

205 Dum Confractorium profertur, aliqui e concelebrantibus celebrantem principalem adiuvare possunt ad hostias frangendas, sive pro concelebrantium sive pro populi Communione.

206 Immixtione peracta, celebrans principalis, iunctis manibus, dicit monitionem ante orationem dominicam ac deinde, manibus extensis, una cum ceteris concelebrantibus et cum populo ipsam orationem dominicam.

207 Líbera nos dicitur a solo celebrante principali, manibus extensis. Omnes concelebrantes, una cum populo, acclamationem finalem proferunt: Quia tuum est regnum.

208 Post monitionem diaconi vel unius e concelebrantibus: Offérte vobis pacem, omnes sibi invicem pacem tradunt nisi pax iam data sit ante offertorium. Qui propiores sunt celebranti principali pacem ab ipso recipiunt ante diaconum.

209 Deinde solus celebrans principalis dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio.

210 Oratione ante Communionem expleta, celebrans principalis genuflectit et paulum recedit. Concelebrantes vero unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpus Christi reverenter ex altari accipiunt, atque manu dextera illud tenentes, eique manum sinistram supponentes, ad loca sua recedunt. Possunt tamen concelebrantes suis locis remanere et Corpus Christi e patena sumere, quam celebrans principalis aut unus vel plures e concelebrantibus tenent, ante ipsos transeundo, vel tradendo patenam sequenti et ita usque ad ultimum.

211 Deinde celebrans principalis accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum dicit: Ecce Agnus Dei, et prosequitur cum concelebrantibus et populo, dicens: Dómine, non sum dignus.

212 Deinde celebrans principalis, ad altare conversus, secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et Corpus Christi reverenter sumit. Similiter faciunt concelebrantes. Post eos vero diaconus a celebrante principali Corpus Domini accipit.

213 Sanguis Domini sumi potest vel ex ipso calice directe bibendo, vel cum calamo, vel cum cochleari, vel etiam per intinctionem.

214 Si Communio fit bibendo directe ex calice, unus ex his modis potest adhiberi:

a) Celebrans principalis accipit calicem et secreto dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et paulum Sanguinis sumit et calicem diacono vel concelebranti tradit. Communionem fidelibus deinde distribuit, vel ad sedem recedit. Concelebrantes unus post alium, vel bini et bini si duo calices adhibentur, ad altare accedunt, Sanguinem sumunt et ad suam sedem redeunt. Diaconus vel concelebrans calicem abstergit purificatorio post cuiusque concelebrantis Communionem.

b) Celebrans principalis Sanguinem Domini sumit de more stans in medio altaris.

Concelebrantes vero Sanguinem Domini sumere possunt locis suis manendo et ex calice ipsis a diacono, vel ab uno concelebrante oblato bibendo; aut etiam tradendo sibi deinceps calicem. Calix semper abstergitur vel ab eo qui bibit vel ab illo qui calicem præsentat. Singuli, cum communicaverint, ad suam sedem redeunt.

215 Si Communio fit cum calamo, proceditur hoc modo: Celebrans principalis calamum accipit et secreto dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, paulum Sanguinis haurit et statim calamum purificat paulum aquæ sumens e vase super altare opportune collocato, et eum deponit in apposita patena. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris aut ad latus ipsius dexterum, super aliud corporale, opportune disponit.

Prope ipsum calicem ponitur etiam vas cum aqua ad calamos abluendos, et patena in qua postea calami deponantur.

Concelebrantes unus post alium accedunt, calamum accipiunt et paulum Sanguinis hauriunt, deinde calamum purificant paulum aquæ sumentes, et ipsum calamum in apposito vase deponunt.

216 Si Communio ad calicem fit cum cochleari, eodem modo ac in Communione cum calamo agitur; caveatur tamen ut, post Communionem, cochlear deponatur in aliquo vase cum aqua, quod, Communione expleta, acolythus ad appositam mensam transfert, ut cochlearia purificet et abstergeat.

217 Ultimus accedit diaconus. Postquam Christi Sanguinem sibi hausit, totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus purificat atque absterget et de more componit.

218 Communio concelebrantium ita etiam potest ordinari, ut singuli super altare Corpori et, statim postea, Sanguini Domini communicent.

Hoc in casu, celebrans principalis sub utraque specie Communionem accipit sicut cum solus Missam celebrat, servato tamen ritu pro Communione calicis singulis in casibus electo, quem ceteri concelebrantes sequantur.

Communione autem celebrantis principalis peracta, calix ad latus dexterum altaris super aliud corporale deponitur. Concelebrantes unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpori Domini communicant; transeunt deinde ad latus dexterum altaris, et Sanguinem Domini sumunt, iuxta ritum pro Communione calicis electum, ut supra dictum est.

Eodem modo ac supra fiunt et Communio diaconi et purificatio calicis.

219 Si Communio concelebrantium fit per intinctionem, celebrans principalis more solit Corpus et Sanguinem Domini sumit, attendens tamen ut in calice satis Sanguinis remanea ad Communionem concelebrantium. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris, aut ad latus eius dexterum super aliud corporale, una cum paten continente particulas hostiæ, opportune disponit. Concelebrantes, unus post alium, a altare accedunt, genuflectunt, particulam accipiunt, eam partim in calicem intingunt e patenam ori submittentes, intinctam particulam sumunt, ac deinde ad loca sua recedunt u initio Missæ.

Per intinctionem Communionem accipit etiam diaconus, qui Amen respondet concele branti ipsi dicenti: Corpus et Sanguis Christi. Diaconus autem ad altare totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus purificat atque absterget et de more componit.

Ritus conclusionis

220 Cetera usque ad finem Missæ fiunt de more a celebrante principali, concelebrantibu suis sedibus remanentibus.

221 Antequam ab altari discedant, altari debitam reverentiam faciunt. Celebrans vero principalis altare de more osculo veneratur.

III. DE MISSA SINE POPULO

Prænotanda

222 Agitur de Missa celebrata a sacerdote, cui unus tantum minister assistit et respondet

223 Huiusmodi Missa sequitur generatim ritum Missæ cum populo, ministro, pro oppor tunitate, partes populi proferente, ac laudabiliter, ingressam, antiphonam post Evangelium, confractorium et transitorium.

224 Celebratio sine ministro non fiat nisi ex gravi necessitate. Hoc in casu salutationes et benedictio in fine Missæ omittuntur.

225 Calix ante Missam paratur sive in abaco iuxta altare, sive super altare; Missale vero ad latus sinistrum altaris collocatur.

Ritus initiales

226 Sacerdos, facta altari reverentia, signat se signo crucis, dicens: In nómine Patris, etc.; conversus ad ministrum, eum salutat, unam e formulis propositis eligendo; et, stans ad pedes altaris, peragit actum pænitentialem.

227 Deinde ascendit altare idque osculo veneratur; accedit deinde ad Missale in latere sinistro altaris, ubi remanet usque ad expletam orationem post liturgiam verbi.

228 Tunc recitatur ingressa, et celebrans dicit Glória, iuxta rubricas.

229 Deinde, manibus iunctis, dicit Orémus et, interposita mora convenienti, manibus extensis profert orationem super populum. In fine minister acclamat: Amen.

Liturgia verbi

230 Dicta oratione super populum, minister vel ipse sacerdos legit primam lectionem et psalmum, et, quando dicenda est, secundam lectionem atque versum ad Allelúia vel alterum cantum.

231 Deinde, manens in eodem loco, sacerdos, inclinatus, dicit Munda cor meum, et legit Evangelium. In fine librum osculo veneratur. Minister autem acclamationem profert.

232 Deinde sacerdos, una cum ministro, profert antiphonam post evangelium.

233 Sequitur oratio universalis, quæ etiam in hac Missa dici potest, sacerdote intentiones proferente, ministro respondente. Sacerdos semper recitat orationem ad complendam liturgiam verbi.

Liturgia eucharistica

234 Cantus ad offertorium omittitur. Ritu pacis, pro opportunitate, celebrato, minister corporale, purificatorium et calicem super altare deponit, nisi iam initio Missæ ibidem sint posita.

235 Depositio panis ac vini et aquæ infusio fiunt sicut in Missa cum populo, formulis adhibitis in Ordine Missæ assignatis. Post depositionem panis et vini sacerdos, si necesse est, lavat manus, stans ad latus altaris, ministro aquam fundente.

236 In medio altaris, sacerdos symbolum, iuxta rubricas, una cum ministro profert; deinde orationem super oblata et Precem eucharisticam recitat, servato ritu pro Missa cum populo descripto.

237 Expleta doxologia in fine Precis eucharisticæ et Confractorio dicto, sacerdos frangit hostiam super patenam vel calicem et facit immixtionem.

238 Oratio dominica cum suo embolismo dicitur sicut in Missa cum populo.

239 Expleta acclamatione in fine embolismi, sacerdos dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; ac deinde subiungit: Pax et communicátio Dómini nostri Iesu Christi sit semper vobíscum, cui minister respondet: Et cum spíritu tuo. Pro opportunitate autem sacerdos dat pacem ministro, nisi iam prius dederit.

240 Postea, sacerdos dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio; deinde genuflectit, hostiam accipit et, si minister Communionem recipit, versus ad eum et hostiam aliquantulum elevatam super patenam tenens, dicit: Ecce Agnus Dei et cum ipso semel subdit: Dómine, non sum dignus. Deinde, ad altare conversus, Corpus Christi sumit. Si vero minister Corpus Christi non participat, facta genuflexione, sacerdos hostiam, accipit et, ad altare conversus, semel dicit secreto: Dómine, non sum dignus, et corpus Christi sumit. Sumptio Sanguinis Christi fit ut in Ordine Missæ cum populo describitur.

241 Antequam sacerdos Communionem det ministro, dicitur Transitorium.

242 Purificatio calicis fit ad latus altaris. Deinde calix potest aut ad abacum a ministro deferri, aut in altari, ut initio, poni.

243 Purificatione calicis expleta, sacerdos aliquam pausam silentii servare potest; postea vero dicit orationem post Communionem.

Ritus conclusionis

244 Ritus conclusionis perficiuntur sicut in Missa cum populo, omisso tamen Procedámus cum pace.

IV. QUÆDAM NORMÆ GENERALIORES PRO OMNIBUS FORMIS MISSÆ

De veneratione altaris et libri Evangeliorum

245 Iuxta morem in liturgia traditum, veneratio altaris et libri Evangeliorum osculo perficitur.

De genuflexione et inclinatione

246 Tres genuflexiones fiunt in Missa, hoc est: post ostensionem hostiæ, post ostensionem calicis et ante Communionem.

Si vero tabernaculum cum SS.mo Sacramento sit in presbyterio, genuflectitur etiam ante et post Missam, et quoties quis ante Sacramentum transit.

247 Duæ species inclinationum habentur, scilicet capitis et corporis:

a) Inclinatio capitis fit cum tres Divinæ Personæ simul nominantur, et ad nomen Iesu, beatæ Virginis et Sancti in cuius honorem dicitur Missa.

b) Inclinatio corporis, seu inclinatio profunda, fit: ad altare, si tabernaculum cum SS.mo Sacramento non adsit; ad orationes Munda cor meum et In spíritu humilitátis;

in symbolo ad verba Et incarnátus est; in Prece eucharistica I ad verba Súpplices te rogámus. Eadem inclinatio fit a diacono et a lectore, cum petit benedictionem ante proclamationem lectionis. Sacerdos insuper parum se inclinat cum, in consecratione, verba Domini profert. Concelebrantes vero profunde se inclinant post unamquamque ostensionem hostiæ et calicis.

De incensatione

248 Incensum ad libitum adhiberi potest in qualibet forma Missæ:
a) durante processione ingressus;
b) initio Missæ, ad altare turificandum;
c) ad processionem et ad proclamationem Evangelii;
d) ad offertorium, ad turificanda oblata, altare, sacerdotem et populum;
e) ad ostensionem hostiæ et calicis post consecrationem.

249 Sacerdos incensum in turibulum imponit, illudque benedicit signo crucis, nihil dicens.

Incensatio altaris fit hoc modo:

a) Si altare est a pariete seiunctum, sacerdos illud incensat in mensa et in fronte, id est in parte quæ ipsum respicit; diaconus vero prosequitur incensationem altaris per circuitum.

Si vero non adest diaconus, sacerdos incensat altare illud circumeundo.

b) Si altare non est a pariete seiunctum, sacerdos transeundo incensat primo partem dexteram, deinde partem sinistram altaris.

Crux, si est super altare vel apud ipsum, turificatur ante altare; si vero est post altare, diaconus vel sacerdos eam incensat cum transit ante ipsam.

Turificatio fit per ductum et tractum, ita ut qui incensat quasi figuram crucis cum turibulo efformet.

De purificatione

250 Quoties aliquod fragmentum digitis adhæserit, præcipue post fractionem vel fidelium Communionem, sacerdos digitos super patenam abstergeat vel pro necessitate abluat. Similiter fragmenta, si quæ extra patenam sint, colligat.

251 Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono vel ab acolytho post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum. Purificatio calicis fit cum vino et aqua, vel cum aqua tantum, quæ ab ipso qui purificat, sumitur. Patena de more purificatorio detergeatur.

252 Si hostia vel aliqua particula dilabatur, reverenter accipiatur; si quid vero Sanguinis fundatur, locus ubi ceciderit aqua lavetur, et hæc aqua postea in sacrarium mittatur.

De Communione sub utraque specie

253 Formam ratione signi pleniorem habet sacra Communio cum fit sub utraque specie. In ea enim forma signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur voluntas qua novum et æternum testamentum in Sanguine Domini ratum habetur, necnon ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris [66].

254 Curent sacri pastores fidelibus, qui ritum participant, vel ei intersunt, aptiore quo fieri potest modo doctrinam catholicam de forma sacræ Communionis in mentem revocare iuxta Concilium Tridentinum. In primis christifideles moneant fidem catholicam docere etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam recipiant [67].

Doceant insuper, Ecclesiam potestatem habere in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statuendi vel mutandi quæ ipsorum venerationi vel suscipientium utilitati pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaverit [68]. Simul tamen fideles moneantur ut sacrum ritum, quo signum eucharistici convivii plenius elucet, impensius participare velint.

66 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 32: A.A.S. 59 (1967) p. 558.
67 Cf. Conc. Trid., Sess. XXI, Decr. de Communione eucharistica, capp. 1-3: DS 1725-1729.
68 Cf. *ibid.,* cap. 2: DS 1728.

255 De iudicio Ordinarii, et debita catechesi præmissa, Communio calicis permittitur in sequentibus casibus [69]:

1 neophytis adultis in Missa quæ Baptismum subsequitur; confirmatis adultis in Missa suæ Confirmationis; baptizatis qui in Ecclesiæ communione recipiuntur;

2 patrino, matrinæ, parentibus et coniugi necnon catechistis laicis baptizati adulti in Missa initiationis ipsius;

3 sponsis in Missa sui Matrimonii et suorum iubilæorum;

4 ordinatis in Missa suæ Ordinationis;

5 parentibus, familiaribus, necnon insignibus benefactoribus qui Missam sacerdotis novensilis participant;

6 in administratione Viatici, infirmo et omnibus astantibus, cum Missa ad normam iuris in domo infirmi celebratur;

7 abbatissæ, in Missa suæ benedictionis; virginibus, in Missa suæ consecrationis; professis eorumque parentibus, propinquis et confratribus; in Missa primæ, renovatæ aut perpetuæ religiosæ professionis, dummodo vota intra Missam emittant aut renovent; omnibus præfatis in Missa suorum iubilæorum;

8 iis qui ministerio quodam instituti sunt, in Missa suæ institutionis; coadiutoribus missionariis laicis, in Missa qua modo publico mittuntur; necnon aliis, in Missa in qua missionem ecclesiasticam accipiunt;

9 diacono, acholito et ministris, officium suum in Missa cum cantu implentibus;

10 omnibus, et laicis, qui in concelebratione ministerio liturgico funguntur, necnon omnibus seminariorum alumnis qui ei intersunt;

11 in suis autem ecclesiis vel oratoriis, etiam omnibus membris Institutorum consilia evangelica profitentium atque aliorum Societatum in quibus per religiosa vota aut oblationem aut promissionem Deo se devovent; præterea omnibus qui in domo sodalium illorum Institutorum et Societatum die noctuque commorantur;

12 demum omnibus membris Institutorum religiosam vel sacerdotalem educationem atque disciplinam promoventium, cum Missæ « communitatis » intersint;

13 omnibus qui Missæ « communitatis » intersunt cum concilium aliquod ad maiorem orationem extollendam vel ad pastorales sollicitudinis exquirendas celebratur;

14 omnibus qui intersunt missis, peculiaribus adiunctis celebratis, in quibus communio sub utraque specie aliquibus participantibus iam permittitur;

15 sacerdotibus, qui magnis celebrationibus intersunt et celebrare vel concelebrare non possunt.

256 Ad Communionem sub utraque specie distribuendam, parentur:

a) si Communio calicis fit cum calamo, calami argentei pro celebrante et pro singulis communicandis, atque vas cum aqua ad calamos purificandos, et patena in qua calami deponantur;

b) si cum cochleari Sanguis administratur, unum cochlear;

c) si Communio sub utraque specie per intinctionem distribuitur, cavendum est ne hostiæ sint nimis tenues neque nimis parvæ, sed paulum spissiores solito, ut, Sanguine partim intinctæ, possint commode distribui.

1 Ritus Communionis sub utraque specie quando Communionem suscipientes directo e calice bibunt

257 Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus vel, acolytho deficiente, minister extraordinarius rite probatus:

a) Sacerdos celebrans sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis remaneat pro Communionem suscepturis; et partem externam calicis purificatorio absterget.

[69] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Sacramentali Communione*, 29 iunii 1970: A.A.S. 62 (1970) pp. 664-667. Cf. CEI, Nota pastorale sulla Comunione sotto le due specie, n. 11: *Notiziario CEI*, 4, 1975 pp. 67-69.

b) Sacerdos ministro calicem cum purificatorio tradit, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis: deinde sacerdos et minister calicis se sistunt ubi magis commode possint fidelibus Communionem præbere.

c) Singuli communicantes accedunt, debitam reverentiam faciunt, et stant coram sacerdote. Ipse hostiam ostendendo dicit: Corpus Christi; communicandus autem respondet: Amen et a sacerdote Corpus Christi accipit.

d) Communicandus transit ad ministrum calicis et stat coram eo. Minister dicit: Sanguis Christi: communicandus respondet: Amen et minister porrigit ei purificatorium et calicem, quem communicandus ipse, pro opportunitate, manibus suis ori admovet. Communicandus, tenens manu sinistra purificatorium sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit, et postea recedit; minister autem partem externam calicis purificatorio absterget.

e) Si alii adsunt sub una tantum specie Sacramentum suscepturi, minister, postquam omnes qui sub utraque specie communicandi erant e calice biberunt, calicem super altare deponit. Sacerdos vero fideles communicat ac postea redit ad altare. Quod de Sanguine remansit ipse, vel minister, sumit et purificationes de more peragit.

258 Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus neque minister extraordinarius rite probatus:

a) Sacerdos sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis pro Communionem suscepturis remaneat; et partem externam calicis purificatorio absterget.

b) Sacerdos deinde se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere et Corpus Domini distribuit, more consueto, singulis sub utraque specie communicandis, qui accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote, atque, Corpore Domini accepto, aliquantulum recedunt.

c) Postquam singuli Corpus Domini sumpserunt, sacerdos pyxidem super altare deponit et calicem cum purificatorio accipit. Singuli calicem participaturi iterum ad sacerdotem accedunt, et stant coram eo. Sacerdos dicit: Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, et sacerdos porrigit ei calicem cum purificatorio. Communicandus purificatorium tenens manu sinistra sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit et postea recedit. Sacerdos partem externam calicis purificatorio absterget.

d) Communione calicis expleta, sacerdos eum super altare deponit, et, si alii sunt sub una tantum specie communicandi, eos more consueto communicat, ac postea redit ad altare, quod de Sanguine remansit sumit et purificationes de more peragit.

2 Ritus Communionis sub utraque specie per intinctionem

259 Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus vel, acolytho deficiente, minister extraordinarius rite probatus:

a) Sacerdos celebrans huic tradit calicem cum purificatorio, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis; sacerdos cum ministro calicis se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote tenentes patinam sub ore. Sacerdos partem hostiæ in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus autem respondet: Amen, et a sacerdote Sacramentum recipit, ac postea recedit.

c) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

260 Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus neque minister extraordinarius rite probatus:

a) Sacerdos, postquam Sanguinem Domini sumpsit, accipit pyxidem vel patenam cum hostiis inter digitos indicem et medium manus sinistræ, et calicem inter pollicem et indicem eiusdem manus, et se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote, tenentes patinam sub ore. Sacerdos partem hostiæ in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus autem respondet: Amen, a sacerdote Sacramentum recipit, et recedit.

c) Licet etiam parvam mensam tobalea et corporali ornatam loco congruo apponere, super qua sacerdos calicem vel pyxidem deponat, ad distributionem Communionis faciliorem reddendam.

d) Celebrans calicem vel patenam fideli debite disposito committere potest.

e) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

3 Ritus Communionis sub utraque specie cum calamo

261 Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus vel, acolytho deficiente, minister extraordinarius rite probatus:

a) Ad Communionem Corporis Domini distribuendam, omnia fiunt, ut supra n. 257 b et c dictum est.

b) Communicandus accedit ad ministrum calicis et stat coram eo. Minister dicit: Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, et calamum accipit, in calicem immittit atque paulum Sanguinis sumit. Extrahit postea calamum, attendens ne quid Sanguinis defluat et immittit in vas cum aqua, quod minister quidam in manibus tenet, atque paulum aquæ hauriens calamum purificat, et eum in alio vase ab ipso ministro porrecto deponit.

263 Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus neque minister extraordinarius rite probatus, ipse sacerdos celebrans calicem singulis communicandis offert, ordine supra, pro Communione calicis, descripto (n. 245), et minister apud eum tenet vas cum aqua ad calamum purificandum.

4 Ritus Communionis sub utraque specie cum cochleari

264 Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus vel, acolytho deficiente, minister extraordinarius rite probatus, hic calicem manu sinistra sustentat et cochleari singulis communicandis, qui patinam sub ore tenent, Sanguinem Domini distribuit, dicens: Sanguis Christi, et attendens ne eorum labia aut linguam cochleari tangat.

265 Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus neque minister extraordinarius rite probatus, ipse sacerdos celebrans, postquam omnes sub utraque specie communicandi Corpus Domini receperunt, singulis etiam Sanguinem distribuit.

Caput V

DE ECCLESIARUM DISPOSITIONE ET ORNATU AD EUCHARISTIAM CELEBRANDAM

I. Principia generalia

266 Ad Eucharistiam celebrandam, populus Dei plerumque in Ecclesiam congregatur vel, ea deficiente, in alium locum honestum qui sit tanto mysterio dignus. Ecclesiæ igitur, aliave loca, ad sacram actionem exsequendam et ad fidelium actuosam participationem obtinendam apta sint. Ædes sacræ insuper et res ad cultum divinum pertinentes vere sint dignæ, pulchræ, atque rerum supernarum signa et symbola [70].

267 Proinde, Ecclesia nobile ministerium artium continenter quærit, et omnium gentium atque regionum artis significationes admittit [71]. Immo, sicut studet artis opera atque thesauros a sæculis anteactis tradita servare [72] et, quatenus opus est, novis necessitatibus aptare, nova cuiusque ætatis indoli consona promovere contendit [73].
Quapropter in instituendis artificibus necnon in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis præstantia exquiratur, quæ fidem et pietatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat [74].

268 Præstat ecclesias sollemniter consecrari. Fideles autem ecclesiam cathedralem suæ diœceseos et suam ecclesiam debito honore prosequantur, et eas veluti signum spiritalis illius Ecclesiæ habeant, ad quam ædificandam et dilatandam ex professione sua christiana destinantur.

269 Ad sacras ædes recte exstruendas, reficiendas atque disponendas, omnes quorum interest Commissionem diœcesanam de sacra Liturgia et de Arte sacra consulant. Ordinarius autem loci eiusdem Commissionis consilio et adiutorio utatur, quando agitur de normis in hac re tradendis, aut de novarum ædium adumbrationibus approbandis aut de quibusdam quæstionibus nonnullius momenti diiudicandis [75].

II. De Ecclesiæ ordinatione ad sacram synaxim

270 Populus Dei, qui ad Missam congregatur, cohærentem et hierarchicam habet ordinationem, quæ diversis ministeriis diversaque actione pro singulis celebrationis partibus exprimitur. Generalis itaque dispositio ædis sacræ ea sit oportet quæ cœtus congregati imaginem quodammodo præ se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris exsecutionem uniuscuiusque foveat.

Fideles atque schola cantorum locum obtinebunt, qui ipsorum actuosam participationem faciliorem reddat [76].

Sacerdos autem eiusque ministri locum capient in presbyterio, seu in ea parte ecclesiæ, quæ ipsorum munus ostendat, in quo quisque respective orationi præsideat, verbum Dei annuntiet et altari ministret.

70 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 122-124; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5; S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 90: A.A.S. 56 (1964) p. 897; Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 554.

71 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 123.

72 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 554.

73 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 123, 129; S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 13 *c*: A.A.S. 56 (1964) p. 880.

74 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 123.

75 Cf. *ibid.,* n. 126.

76 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, nn. 97-98: A.A.S. 56 (1964) p. 899.

Hæc omnia, quamvis hierarchicam dispositionem et munerum diversitatem exprimere debeant, intimam tamen et cohærentem unitatem efficiant, qua unitas totius plebis sanctæ clare eluceat. Natura vero et pulchritudo loci universæque supellectilis pietatem foveant et sanctitatem mysteriorum quæ celebrantur ostendant.

III. De presbyterio

271 Presbyterium ab aula ecclesiæ opportune distinguatur aut per aliquam elevationem, aut per peculiarem structuram et ornatum. Talis autem amplitudinis sit, ut sacri ritus commode peragi possint [77].

IV. De altari

272 Altare, in quo sacrificium crucis sub signis sacramentalibus præsens efficitur, est etiam mensa Domini, ad quam participandam in Missa populus Dei convocatur; atque centrum gratiarum actionis, quæ per Eucharistiam perficitur [78].

273 Celebratio Eucharistiæ, in loco sacro, peragenda est super altare sive fixum sive mobile; extra locum sacrum vero, præsertim si ad modum actus fiat, etiam super mensam convenientem peragi potest, retentis semper tobalea et corporali.

274 Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.

275 Altare maius exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit. Eum autem occupet locum, ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur [79].

Altare maius de more sit fixum et consecratum.

276 Iuxta traditum Ecclesiæ morem et significationem, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio competentis Auctoritatis, adhiberi potest.

Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.

277 Altare mobile ex quibuslibet materiis nobilibus et solidis, atque usui liturgico, iuxta diversarum regionum traditiones et mores, convenientibus, exstrui potest.

278 Altaria fixa iuxta ritum in libris liturgicis descriptum consecrantur; altaria tamen mobilia benedici tantum possunt. Nulla vero fit obligatio habendi petram consecratam in altari mobili aut in mensa, supra quam extra locum sacrum celebratio peragatur (cf. n. 273).

279 Usus condendi, attenta altaris forma, sub altaris mensa, reliquias Sanctorum, etsi non Martyrum, opportune servetur. Caveatur tamen ut de huiusmodi reliquiarum veritate certo constet.

280 Altaria minora numero sint pauciora et, in novis ecclesiis, in sacellis ab ecclesiæ aula aliquomodo seiunctis collocentur [80].

V. De ornatu altaris

281 Ob reverentiam erga celebrationem memorialis Domini et erga convivium in quo Corpus et Sanguis Domini præbentur, super altare saltem una tobalea ponatur, quæ ad formam, mensuram et ornatum quod attinet cum ipsius altaris structura conveniat.

282 Candelabra, quæ pro singulis actionibus liturgicis, venerationis et festivæ celebrationis causa, requiruntur, aut super altare, aut circa ipsum, aut etiam super crucem altaris, attenta structura tum altaris tum presbyterii, opportune collocentur, ita ut totum concinne componatur, neque fideles impediantur ab iis facile conspiciendis, quæ super altare aguntur vel deponuntur.

77 Cf. *ibid.*, n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898.
78 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 554.
79 Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 91: A.A.S. 56 (1964) p. 898.
80 Cf. *ibid.*, n. 93: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

283 Item super altare vel prope ipsum crux habeatur, quæ a cœtu congregato bene conspiciatur.

VI. De sede pro sacerdote celebrante et ministris, seu de loco præsidentiæ

284 Sedes sacerdotis celebrantis debet munus eius præsidendi cœtui atque orationem dirigendi significare. Proinde locus eius magis congruus est versus ad populum in vertice presbyterii, nisi ædis structura vel alia adiuncta id impediant, ex. gr. si propter nimiam distantiam communicatio inter sacerdotem et cœtum fidelium difficilis evadat. Omnis species throni vitetur. Sedes autem pro ministris loco magis apto in presbyterio collocentur, ut ipsi munus sibi concreditum facile implere possint [81].

VII. De ambone, seu de loco e quo verbum Dei annuntiatur

285 Dignitas verbi Dei requirit ut in ecclesia locus congruus exsistat e quo annuntietur, et ad quem, inter liturgiam verbi, attentio fidelium sponte convertatur [82].

Convenit ut generatim locus huiusmodi sit ambo stabilis et non simplex pluteus mobilis. Ambo, pro cuiusque ecclesiæ structura, ita dispositus esse debet, ut ministri a fidelibus bene conspici et audiri possint.

Ex ambone proferuntur lectiones, psalmus responsorius atque præconium paschale; item proferri possunt homilia et oratio universalis seu oratio fidelium.

Minus vero congruit ad ambonem ascendere commentatorem, cantorem aut moderatorem chori.

VIII. De locis fidelium

286 Loca fidelium congrua cura disponantur, ut ipsi oculis et animo sacras celebrationes debite participare possint. Expedit ut de more scamna seu sedilia ad eorum usum ponantur. Consuetudo tamen personis quibusdam privatis sedes reservandi reprobanda est [83].

Sedilia autem seu scamna ita disponantur, ut fideles corporis habitus a diversis celebrationis partibus requisitos facile sumere possint et expedite ad sacram Communionem recipiendam accedere valeant.

Caveatur ut fideles sive sacerdotem sive alios ministros non tantum videre, sed etiam, hodiernis instrumentis technicis adhibitis, commode audire valeant.

IX. De loco scholæ et organi vel aliorum instrumentorum musicorum

287 Schola cantorum, attenta cuiusque ecclesiæ dispositione, ita collocetur, ut clare appareat eius natura, eam nempe fidelium communitatis congregatæ partem esse, et peculiare munus agere; eius ministerii liturgici exsecutio facilior evadat; singulis eius sodalibus plena in Missa participatio, idest participatio sacramentalis, commode permittatur [84].

288 Organum autem aliaque instrumenta musica legitime probata apto loco collocentur, ut tum scholæ tum populo cantanti subsidio esse possint, atque, si sola pulsentur, commode ab omnibus audiri queant.

X. De Sanctissima Eucharistia asservanda

289 Illud valde commendandum est, locum sanctissimæ Eucharistiæ asservandæ exstare in sacello ad privatam fidelium adorationem et precationem idoneo [85]. Quod si hoc fieri non potest, pro cuiusque ecclesiæ structura et iuxta legitimas locorum consuetudines, Sacramentum ponatur aut in aliquo altari aut extra altare in parte ecclesiæ pernobili et rite ornata [86].

[81] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 92: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

[82] Cf. *ibid.,* n. 96: A.A.S. 56 (1964) p. 899.

[83] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 32; S. Congr. Rituum, Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 98: A.A.S. 56 (1964) p. 899.

[84] S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 23: A.A.S. 59 (1967) p. 307.

[85] S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 53: A.A.S. 59 (1967) p. 568; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, ed. typ. 1973, n. 9.

[86] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 54: A.A.S. 59 (1967) p. 568; Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: A.A.S. 56 (1964) p. 898.

290 Sanctissima Eucharistia asservetur in unico tabernaculo solido atque inviolabili. Quare, de more, in singulis ecclesiis, unicum tabernaculum habeatur [87].

XI. De imaginibus fidelium venerationi propositis

291 Domini, beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum imagines, iuxta antiquissimam Ecclesiæ traditionem, in ædibus sacris fidelium venerationi legitime proponuntur. Caveatur tamen, hinc ne eorum numerus nimis augeatur, hinc ut earum dispositio debito ordine fiat, ne fidelium attentionem ab ipsa celebratione avocent [88]. Unius autem eiusdemque Sancti plus quam una imago ne habeatur. Generatim in ornamento et dispositione ecclesiæ ad imagines quod attinet, pietati totius communitatis prospiciatur.

XII. De generali loci sacri dispositione

292 Ornatus ecclesiæ ad nobilem ipsius simplicitatem conferat, potius quam ad pompam. In elementis autem seligendis quæ ad ornatum pertinent, rerum veritas curetur, atque eo contendatur, ut ad fidelium institutionem conferat et ad dignitatem totius loci sacri.

293 Apta ecclesiæ eiusque adiunctorum dispositio, quæ necessitatibus nostræ ætatis opportune respondeat, requirit ut non ea solummodo curentur quæ ad sacras actiones celebrandas directius pertineant, sed ut ea quoque prævideantur, quæ ad fidelium convenientem commoditatem tendunt, quæque in locis ubi cœtus congregantur habitualiter præevideri solent.

[87] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 52: A.A.S. 59 (1967) p. 568; Instr. *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: A.A.S. 56 (1964) p. 898; S. Congr. de Sacramentis, Instr. *Nullo umquam tempore,* 28 maii 1938, n. 4: A.A.S. 30 (1938) pp. 199-200; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, ed. typ. 1973, nn. 10-11.

[88] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 125.

Caput VI

DE IIS QUÆ AD MISSÆ CELEBRATIONEM REQUIRUNTUR

I. De pane et vino ad Eucharistiam celebrandam

294 Exemplum Christi secuta, Ecclesia panem et vinum cum aqua ad celebrandum dominicum convivium semper adhibuit.

295 Panis ad Eucharistiam celebrandam debet esse triticeus, iuxta traditionem totius Ecclesiæ, et azymus iuxta traditionem Ecclesiæ latinæ.

296 Ratio signi postulat ut materia celebrationis eucharisticæ revera ut cibus appareat. Expedit ergo ut panis eucharisticus, quamvis azymus et forma tradita confectus, tali modo efficiatur, ut sacerdos in Missa cum populo celebrata revera hostiam frangere possit in diversas partes, easque saltem aliquibus fidelibus distribuere. Parvæ tamen hostiæ minime excluduntur, quando numerus sacram Communionem sumentium aliæque rationes pastorales id exigunt. Gestus autem fractionis panis, quo simpliciter Eucharistia designabatur tempore apostolico, apertius manifestabit vim et momentum signi unitatis omnium in uno pane, et caritatis ex eo quod unus panis inter fratres distribuitur.

297 Vinum pro celebratione eucharistica debet esse ex genimine vitis (cf. Lc 22, 18), naturale et merum, idest extraneis substantiis non admixtum.

298 Sedula cura caveatur ut panis et vinum ad Eucharistiam destinata perfecto statu conserventur; id est, caveatur ne vinum acescat, neve panis corrumpatur vel nimis durus fiat, ita ut difficulter frangi possit.

299 Si post consecrationem aut cum Communionem sumit, sacerdos animadvertat vinum non fuisse infusum, sed aquam, deposita aqua in aliquo vase, vinum cum aqua infundat in calicem, illud consecret, partem narrationis dicens quæ ad consecrationem calicis pertinet, quin tamen teneatur iterum panem consecrare.

II. De sacra supellectile in genere

300 Sicut pro ecclesiis ædificandis, ita et pro sacra supellectile universa, Ecclesia genus artis cuiusque regionis admittit, et eas aptationes recipit, quæ cum singularum gentium ingenio et traditionibus congruant, dummodo omnia usui ad quem ipsa sacra supellex destinatur apte respondeant [89].

Etiam in hac parte sedulo curetur nobilis illa simplicitas, quæ cum arte vera optime copulatur.

301 In seligendis materiis pro sacra supellectile, præter eas quæ usu traditæ sunt, eæ quoque admitti possunt quæ, iuxta mentem nostræ ætatis, nobiles æstimantur, durabiles sunt et usui sacro bene accommodantur. Qua de re competens Auctoritas iudex erit.

III. De vasis sacris

302 Inter ea quæ ad Missam celebrandam requiruntur, speciali honore habentur vasa sacra, et inter hæc calix et patena, quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur.

303 Vasa sacra ex materiis solidis et nobilibus conficiantur. De qua re competens Auctoritas iudicabit. Præferantur tamen materiæ quæ facile non frangantur neque corrumpantur.

[89] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 128; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: A.A.S. 59 (1967) p. 854.

304 Calices aliaque vasa, quæ ad recipiendum Sanguinem Domini destinata sunt, cuppam habeant ex tali materia confectam, quæ liquida non absorbeat. Pes vero ex aliis materiis solidis et dignis confici potest.

305 Vasa sacra, ad hostias recipiendas destinata, uti patena, pyxis, theca, ostensorium et alia huiusmodi, etiam ex aliis materiis magis æstimatis, ex. gr. ebure aut aliquibus lignis durioribus, confici possunt, dummodo usui sacro aptæ sint.

306 Ad hostias consecrandas unica patena amplior convenienter adhiberi potest, in qua ponatur panis tum pro sacerdote tum pro ministris et fidelibus.

307 Vasa sacra ex metallo confecta interius plerumque inaurentur, si ex metallo conflata sint quod robiginem producat; si vero sint ex metallo robigine immuni et auro nobiliore conflata, inauratura non est necessaria.

308 Ad formam vasorum sacrorum quod attinet, artificis est ea opportuniore modo conficere, qui moribus respondeat nostræ regionis, dummodo ad usum liturgicum, ad quem destinantur, singula vasa sint apta.

309 Quoad vasorum sacrorum benedictionem vel consecrationem, serventur ritus in libris liturgicis præscripti.

IV. De sacris vestibus

310 In Ecclesia, quæ est Corpus Christi, non omnia membra eodem munere funguntur. Hæc diversitas ministeriorum in cultu sacro peragendo exterius manifestatur diversitate sacrarum vestium, quæ proinde signum exstare debent muneris ministro proprii. Eædem tamen sacræ vestes ad decorem quoque ipsius actionis sacræ conferant oportet.

311 Vestis sacra omnibus ministris cuiusvis gradus communis est alba, circa lumbos cingulo astringenda, nisi tali modo confecta sit, ut corpori adhæreat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si hæc habitum communem circa collum perfecte non cooperit, amictus adhibeatur. Alba cum superpelliceo commutari nequit quando planeta vel dalmatica induenda est, aut quando stola adhibetur loco planetæ vel dalmaticæ.

312 Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quæ cum Missa directo conectuntur, est planeta seu casula, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda.

313 Diaconi vestis propria est dalmatica, super albam induenda. Diaconum stolam defert super dalmaticam.

314 Ministri diacono inferiores albam vel aliam vestem in nostra regione legitime probatam induere possunt.

315 Stola defertur a sacerdote circa collum et ante pectus pendens; a diacono vero ab umero sinistro per transversum super pectus ducitur ad partem dexteram corporis, ibique retinetur.

316 Pluviale, seu cappa pluvialis, assumitur a sacerdote in processionibus aliisque actionibus sacris, iuxta rubricas proprias singulorum rituum.

317 Formæ sacrarum vestium mutari nequeunt sine consensu Apostolicæ Sedis[90].

318 Ad sacras vestes conficiendas, præter traditas materias, aliquæ fibræ artificiales, quæ respondeant dignitati actionis sacræ et personæ, adhiberi possunt.
De qua re competens Auctoritas iudicabit.

319 Decet pulchritudinem et nobilitatem cuiusque vestis non ex abundantia ornamentorum quæ superaddantur exquiri, sed e materia quæ adhibeatur et a forma. Ornamenta autem figuras seu imagines vel symbola præbeant, quæ usum sacrum indicent, remotis iis quæ usum sacrum dedeceant.

[90] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 128.

320 Diversitas colorum in sacris vestibus eo contendit, ut hinc proprietas mysteriorum fidei celebrandorum, hinc sensus progredientis vitæ christianæ, decursu anni liturgici, efficacius etiam exterius exprimatur.

321 Ad colorem sacrarum vestium quod attinet, servetur usus traditus, nempe:

a) Color albus adhibetur in Officiis et Missis temporis paschalis et Nativitatis Domini; in Missa Chrismali Feriæ V in Hebdomada Authentica; in sollemnitate Sanctissimæ Trinitatis; in sollemnitate Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ (VI Adventus), insuper in sollemnitatibus, festis et memoriis Domini, quæ non sint de eius Passione, de Mystero eucharistico et de Sacratissimo Corde; in sollemnitatibus, festis et memoriis beatæ Mariæ Virginis, SS. Angelorum, Sanctorum non Martyrum, in sollemnitate Omnium Sanctorum (1 nov.), in sollemnitate S. Ioannis Baptistæ (24 iun.), in festis S. Ioannis Evangelistæ (27 dec.), Cathedræ S. Petri (22 febr. vel 18 ian.) et Conversionis S. Pauli (25 ian.).

b) Color ruber adhibetur a Sabbato « in Traditione Symboli » inclusive usque ad Vigiliam Paschalem exclusive; in Dominica Pentecostes, in Officiis et Missis temporis « per annum » post Pentecosten usque ad Dominicam Dedicationis Ecclesiæ Maioris exclusive et in Officiis et Missis de Spiritu Sancto et de Mysterio eucharistico; in celebrationibus Passionis Domini, Sanctæ Crucis et Sacratissimi Cordis Iesu; in festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum et in celebrationibus Sanctorum Martyrum.

c) Color viridis adhibetur in Officiis et Missis temporis « per annum », post Festum Baptismatis Domini et post Dominicam Dedicationis Ecclesiæ Maioris.

d) Color violaceus adhibetur tempore Adventus, excepta sollemnitate Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ, et tempore Quadragesimæ usque ad Sabbatum « in traditione Symboli » exclusive et in Missis votivis de pænitentia. Assumi potest etiam in Officiis et Missis defunctorum.

e) Color niger adhiberi potest in Officiis et Missis defunctorum.

322 Diebus sollemnioribus adhiberi possunt sacræ vestes nobiliores, etsi non sint coloris diei.

323 Missæ rituales dicuntur cum colore proprio vel albo vel festivo; Missæ autem pro variis necessitatibus cum colore proprio diei vel temporis aut cum colore violaceo, si indolem pænitentialem manifestant; Missæ votivæ cum colore convenienti Missæ quæ celebratur aut etiam cum colore proprio diei vel temporis.

V. De aliis rebus ad usum ecclesiæ destinatis

324 Præter vasa sacra aut vestes sacras, pro quibus aliqua peculiaris materia statuitur, alia supellex, quæ aut ipsi usui liturgico destinatur aut quolibet alio modo in ecclesiam admittitur, digna sit atque respondens fini cui unaquæque res destinatur.

325 Sedulo contendatur ut etiam in rebus minoris momenti artis postulata opportune serventur, et nobilis semper simplicitas cum munditie societur.

Caput VII

DE MISSA EIUSQUE PARTIBUS ELIGENDIS

326 Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si textus lectionum, orationum et cantuum necessitatibus et præparationi animi et ingenio participantium apte, quantum fieri potest, respondebunt. Quod obtinetur congrue adhibita multiplici facultate electionis, quæ infra describitur.

Sacerdos proinde, in ordinanda Missa, ad commune bonum spiritale cœtus, potius quam ad suum ingenium attendat. Memor sit insuper huiusmodi electionem partium concordi ratione esse faciendam cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis, in iis quæ ad ipsos magis directe spectant.

Cum vero multiplex afferatur facultas seligendi diversas Missæ partes, necesse est ut ante celebrationem diaconus, lectores, psalmista, cantor, commentator, schola, unusquisque pro sua parte, probe sciant quinam textus ad se spectans adhibeatur, nihilque ex tempore quodammodo eveniat. Harmonica enim ordinatio et exsecutio rituum multum confert ad componendos fidelium animos ad Eucharistiam participandam.

I. De Missa eligenda

327 In sollemnitatibus sacerdos sequi tenetur calendarium ecclesiæ in qua celebrat.

328 In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, in festis et memoriis obligatoriis:

a) si Missa celebratur cum populo, sacerdos sequatur calendarium ecclesiæ in qua celebrat;

b) si Missa celebratur sine populo, sacerdos eligere potest aut calendarium ecclesiæ aut calendarium proprium.

329 In memoriis ad libitum:

a) In feriis « ante nativitatem » a die 17 ad 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis, in feriis Quadragesimæ, in Sabbato « in traditione Symboli », in feriis in Hebdomada Authentica et in octava Paschæ, sacerdos dicit Missam de die liturgico occurrente, memoriis quibuscumque exclusis.

b) In feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis a die 2 ianuarii et in feriis temporis paschalis, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de Sancto, vel de uno e Sanctis quorum fiat memoria, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto.

c) In feriis per annum, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de memoria ad libitum forte occurrente, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto, aut Missam pro variis necessitatibus vel votivam.

Si celebrat cum populo, sacerdos imprimis bono spiritali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit præcipue ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in Lectionario feriali assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus [91].

Ob eandem causam moderate sumet Missas defunctorum: quælibet enim Missa tam pro vivis quam pro defunctis offertur, et in Prece eucharistica memoria defunctorum habetur.

Ubi autem fidelibus cordi sunt memoriæ ad libitum beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum, una saltem Missa de his celebretur, ut satisfiat legitimæ eorum pietati.

[91] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51.

Cum vero facultas datur eligendi inter memoriam calendario communi ambrosiano inscriptam et memoriam calendario diœcesano aut religioso insertam, præoptetur, ceteris paribus et iuxta traditionem, memoria particularis.

II. De Missæ partibus eligendis

330 In seligendis textibus diversarum partium Missæ tum de Tempore tum de Sanctis, serventur normæ quæ sequuntur.

De lectionibus

331 Diebus dominicis, sollemnitatibus et festis necnon feriis quadragesimalibus assignantur tres lectiones, scilicet Prophetæ, Apostoli et Evangelii, quibus populus christianus ad perennitatem operis salutis, secundum mirabilem disciplinam divinam, educatur.

Valde ergo optandum est ut tres lectiones revera fiant; attamen, propter rationes ordinis pastoralis, dumtaxat in casibus urgentioribus, permittitur usus duarum tantum lectionum. Quando tamen electio facienda est inter duas priores lectiones, normæ præ oculis habeantur in Lectionario propositæ, necnon consilium ducendi fideles ad altiorem cognitionem Scripturarum; minime vero attendendum erit tantummodo ad electionem textus brevioris aut facilioris.

332 In Lectionario feriali, lectiones proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadæ per universum cursum anni: proinde hæ lectiones plerumque sumentur, diebus quibus sunt assignatæ, nisi occurrat sollemnitas vel festum, vel etiam memoria in qua exstent lectiones quæ de ipso Sancto agant.

Si tamen aliquando lectio continua in hebdomada intermittitur ob aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, aut partes omittendas una cum aliis componere aut statuere quinam textus aliis præferendi sint.

In Missis pro peculiaribus cœtibus, sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati Lectionarii textibus seligantur.

333 Peculiaris insuper selectio textuum sacræ Scripturæ datur pro Missis, in quas aliqua Sacramenta vel Sacramentalia inseruntur, aut quæ pro quibusdam specialibus rerum adiunctis celebrantur.

Huiusmodi Lectionaria ideo statuta sunt, ut per aptiorem verbi Dei auditionem fideles ad mysterium quod participant plenius percipiendum ducantur, et ad incensiorem amorem verbi Dei instituantur.

Textus proinde, qui in cœtu liturgico proferuntur, determinandi sunt præ oculis habitis tum congrua ratione pastorali tum eligendi facultate in hac re facta.

De orationibus

334 Plurimæ præfationes, quibus singulariter Missale Ambrosianum ditatur, eo spectant ut argumentum gratiarum actionis in Prece eucharistica variis modis explicetur, et variæ rationes mysterii salutis pleniore luce proponantur.

335 Electio inter Preces eucharisticas his normis opportune regitur:

a) Prex eucharistica prima, quæ semper adhiberi potest, opportunius dicitur diebus quibus assignantur Communicantes propria, aut in Missis quæ Hanc igitur propriis ditantur, necnon in festis Apostolorum et Sanctorum, quorum mentio fit in ipsa Prece; itemque diebus dominicis, nisi, ob rationes pastorales, præferatur alia Prex eucharistica.

b) Prex eucharistica secunda, ob peculiares ipsius notas, opportunius sumitur diebus infra hebdomadam, vel in peculiaribus rerum adiunctis.

Præfatio ipsi Preci conexa adhiberi potest quando in Missa sumenda est præfatio dominicæ præcedentis, scilicet in Missis ferialibus per annum vel in Missis pro variis necessitatibus, propriis carentibus præfationibus.

Quando Missa pro aliquo defuncto celebratur, adhiberi potest peculiaris formula, suo loco, nempe ante Memento etiam proposita.

c) Prex eucharistica tertia cum qualibet præfatione dici potest. Eius usus præferatur diebus dominicis et festis.

In hac Prece adhiberi potest peculiaris formula pro defuncto, suo loco inserenda, nempe post verba: Omnes fílios tuos ubíque dispérsos, tibi, clemens Pater miserátus coniúnge.

d) Prex eucharistica quarta præfationem immutabilem habet et summarium historiæ salutis præbet. Adhiberi potest in dominicis « per annum », et in Missis ritualibus, pro variis necessitatibus, votivis, in Missis sanctorum, præfationibus propriis carentibus.

In hanc Precem, ratione structuræ, inseri nequit peculiaris formula pro defunctis.

e) Prex eucharistica quinta adhibenda est in Missa Vespertina Feriæ V in Cena Domini; adhiberi quoque potest in Missa de Mysterio eucharistico, in ordinationibus sacerdotalibus eorumque anniversariis et in conventibus sacerdotum. In hanc Precem inseri nequit formula pro defunctis.

f) Prex eucharistica sexta adhibenda est in Vigilia paschali; adhiberi quoque potest in Missis ritualibus de initiatione christiana ac « pro baptizatis ».

336 In qualibet Missa, nisi aliter notetur, dicuntur orationes ipsi Missæ propriæ.

In Missis tamen de memoriis, dicitur oratio super populum vel propria vel de Communi; orationes vero post liturgiam verbi, super oblata et post Communionem, nisi sint propriæ, sumi possunt aut e Communi aut e feriis temporis currentis.

In feriis autem per annum, præter orationes dominicæ præcedentis, sumi possunt vel orationes alius dominicæ per annum, vel una ex orationibus pro variis necessitatibus, quæ in Missali recensentur. Semper tamen licebit ex iisdem Missis etiam solam orationem super populum adhibere.

Hoc modo amplior copia præbetur textuum, quibus non tantum facultas fit renovandi continue argumenta precationis cœtus liturgici, sed etiam eandem precationem opportune aptandi necessitatibus fidelium, Ecclesiæ et mundi. In potioribus tamen anni temporibus, hæc accommodatio iam fit per orationes iisdem temporibus proprias, in Missali, pro singulis feriis, exstantes.

De cantibus

337 In eligendis cantibus inter lectiones occurrentibus, necnon cantibus ingressæ, post evangelium, offertorii, confractorii et transitorii, normæ serventur, quæ suis locis statuuntur.

De aptationibus

338 Aptationes quæ a Conferentia Episcopali Italica indicatæ sunt ad lectionarium quod attinet, etiam a sacerdotibus ritus ambrosiani adhiberi possunt, servata lege de tribus lectionibus in dominicis, sollemnitatibus et festis (cf. n. 331).

Caput VIII

DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA ET DE MISSIS DEFUNCTORUM

I. De Missis et orationibus ad diversa

339 Quoniam liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitæ sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali [92], et quoniam Eucharistia est sacramentum sacramentorum, Missale suppeditat exempla Missarum et orationum, quæ in diversis occasionibus vitæ christianæ adhiberi possunt pro necessitatibus totius mundi aut Ecclesiæ universæ vel localis.

340 Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missæ ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

341 In omnibus Missis ad diversa, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione conveniant.

342 Missæ ad diversa triplicis sunt generis:

a) Missæ rituales, quæ cum celebratione quorundam Sacramentorum vel Sacramentalium conectuntur.

b) Missæ pro variis necessitatibus, quæ assumuntur quibusdam in rerum adiunctis, sive interdum sive statis temporibus occurrentibus.

c) Missæ votivæ pro fidelium pietate eligendæ, de mysteriis Domini aut in honorem beatæ Mariæ Virginis vel cuiusdam Sancti vel omnium Sanctorum.

343 Missæ rituales prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, in sollemnitatibus, in diebus infra octavam Paschæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, in Sabbato « in traditione Symboli » et in feriis in Hebdomada Authentica, servatis insuper normis quæ in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

344 E Missis pro variis necessitatibus ab Auctoritate competenti seligi possunt Missæ pro supplicationibus, quæ decursu anni a competenti Auctoritate statuentur.

345 Occurrente aliqua graviore necessitate vel utilitate pastorali, Missa ipsis conveniens celebrari potest, de mandato vel licentia Ordinarii loci, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis « ante nativitatem » et Quadragesimæ, Sabbato « in traditione Symboli » et in Hebdomada Authentica.

346 In diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris, temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis, Missæ pro variis necessitatibus et votivæ per se prohibentur. Si autem aliqua vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi possunt Missæ huic necessitati vel utilitati respondentes, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis.

347 In feriis per annum in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, licet celebrare quamlibet Missam vel adhibere quamlibet orationem ad diversa, exceptis tamen Missis ritualibus.

[92] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 61.

II. De Missis defunctorum

348 Sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offert Ecclesia ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quæ aliis impetrent spiritalem opem, aliis afferant spei solacium.

349 Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quæ celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de præcepto, feria V in Hebdomada Authentica, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.

350 Missa defunctorum post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, celebrari potest etiam diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quæ non sit « ante nativitatem », in « traditione Symboli » et in Hebdomada Authentica.

Aliæ Missæ defunctorum, seu Missæ « cotidianæ » celebrari possunt in feriis per annum, in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit officium de feria, dummodo pro defunctis revera applicentur.

351 In Missis exsequialibus habeatur de more brevis homilia, secluso tamen quovis genere laudationis funebris. Homilia etiam in ceteris Missis defunctorum cum populo suadetur.

352 Incitentur fideles, præsertim e familia defuncti, ut per sacram Communionem sacrificium eucharisticum pro defuncto oblatum participent.

353 In ordinandis ac seligendis iis partibus Missæ pro defunctis, præsertim Missæ exsequialis, quæ variari possunt (ex. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), præ oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam, et astantes.

Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui, per occasionem exsequiarum, liturgicis celebrationibus adsunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem etiam amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

354 In Missis exsequialibus, post nuntium mortis acceptum, in ultima sepultura vel in primo anniversario die, e Lectionario pro defunctis lecturæ sumuntur. In aliis vero Missis pro defunctis e Lectionario possunt desumi feriali.

NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET DE CALENDARIO

Caput I

DE ANNO LITURGICO

1 Christi opus salutiferum sancta Ecclesia, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrat. In unaquaque hebdomada, die quæ dominica appellatur, memoriam agit Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, maxima Paschæ sollemnitate, una cum beata eius Passione frequentat. Per anni vero circulum Christi totum mysterium explicat nataliciaque Sanctorum commemorat.

Variis autem anni liturgici temporibus, iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, pænitentiæ et misericordiæ opera [1].

Tit. I - DE DIEBUS LITURGICIS

I. De die liturgico in genere

2 Unusquisque dies sanctificatur liturgicis populi Dei celebrationibus, præsertim vero Sacrificio eucharistico et Officio divino.

Dies liturgicus ferialis decurrit a media nocte ad mediam noctem. Celebratio vero dominicæ, sollemnitatum, festorum et memoriarum, iuxta perpetuam traditionem ambrosianam incipit vespere diei præcedentis [2], et comprehendit etiam vesperas secundas diei si agatur de dominica, sollemnitate vel festo, servatis tamen quæ nn. 10, 31, 34 dicuntur de Missis vigiliaribus, præsertim sollemnioribus; quando vero agitur de memoria dies explicit post horam nonam.

II. De dominica

3 Primo uniuscuiusque hebdomadæ die, quæ dies Domini seu dies dominica nuncupatur, Ecclesia, ex traditione apostolica, quæ originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, mysterium paschale celebrat. Itaque dominica uti primordialis dies festus haberi debet [3].

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 102-105.

[2] Vesperas secundas antiquus ritus ambrosianus non habebat: seriore ævo inductæ sunt, sed modis simplicioribus quam primæ Vesperæ, ac certis tantum diebus. Memoriæ numquam ditatæ sunt secundis Vesperis; atque in maximis festis Sanctorum, qualia sunt Patronorum vel Titularium, maioris momenti semper habitæ sunt primæ Vesperæ, usque in hodiernum diem cum vigiliis celebratæ. Res patet in festo Sancti Caroli, diei 4 novembris assignato, cum Sanctus horis vespertinis diei 3 mortuus esset.

[3] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 106.

4 Propter suum peculiare momentum, dominica suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus Domini necnon eiusdem Domini festis; sollemnitates Sanctorum in dominicam incidentes sabbato anticipantur. Festis tamen Ss. Stephani, Ioannis et Innocentium – cum sint prædita textibus mysterium Nativitatis adhuc prædicantibus – cedit ipsa dominica.

Dominicæ vero Adventus, Quadragesimæ et Paschæ super omnia festa Domini et super eiusdem Domini sollemnitates præcedentiam habent. Sollemnitates Domini in his dominicis occurrentes, sabbato anticipantur, nisi agatur de sabbato « in traditione Symboli ». Festa et memoriæ sive Domini sive Sanctorum in dominicam incidentes illo anno desinunt.

De Ascensione tamen cf. n. 6; de festis infra octavam Nativitatis cf. n. 33.

5 Dominica excludit per se assignationem perpetuam alius celebrationis. Attamen:
a) dominica post diem 6 ianuarii, fit festum Baptismatis Domini;
b) dominica IV ianuarii, fit festum S. Familiæ;
c) dominica post Pentecosten, fit sollemnitas Ss.mæ Trinitatis;
d) dominica III octobris, fit anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Maioris;
e) dominica ultima « per annum », fit sollemnitas D.N.I.C. universorum Regis.

6 Ubi autem sollemnitates Epiphaniæ, Ascensionis et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi non sunt de præcepto servandæ, assignentur dominicæ tamquam diei proprio, hac ratione:
a) Epiphania, dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti;
b) Ascensio, dominicæ VII Paschæ;
c) sollemnitas Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, dominicæ post Ss.mam Trinitatem.

III. De sollemnitatibus, festis et memoriis

7 Anni circulo, Ecclesia, mysterium Christi celebrando, etiam beatam Dei Genetricem Mariam cum peculiari amore veneratur, memoriasque Martyrum aliorumque Sanctorum pietati fidelium proponit[4].

8 Sancti, qui momentum universale præ se ferunt, sicut in Ecclesia universa, in ecclesiis quoque ritus ambrosiani obligatorie celebrantur; Sancti qui momentum peculiare præ se ferunt pro fidelibus ritus ambrosiani, in omnibus ecclesiis ritus ambrosiani celebrantur, et in territorio Diœcesis Mediolanensis etiam in ecclesiis ritus romani; ceteri, aut in calendario inscribuntur ad libitum celebrandi, aut particulari cuique Ecclesiæ, vel religiosæ familiæ, relinquuntur colendi.

9 Celebrationes, iuxta momentum quod ipsis tribuitur, ita inter se distinguuntur et nominantur: sollemnitas, festum, memoria.

10 Celebratio sollemnitatum et festorum incipit die præcedenti a I Vesperis et concluditur II Vesperis diei; celebratio memoriarum incipit die præcedenti a I Vesperis et concluditur post horam nonam diei.

Nonnullæ sollemnitates ditantur etiam Missa propria vigiliæ, adhibenda tantum si Missa horis vespertinis celebratur.

11 Summarum sollemnitatum Paschæ et Nativitatis celebratio per octo dies continuos protrahitur. Utraque octava legibus propriis ordinatur.

12 Memoriæ sunt obligatoriæ vel ad libitum; earum autem celebratio cum celebratione feriæ occurrentis componitur secundum normas, quæ in Institutionibus generalibus de Missa et de Liturgia Horarum exponuntur.

Si eodem die plures inscribuntur in calendario memoriæ ad libitum, una tantum celebrari potest, omissis ceteris.

Cum diudicandum est an talis memoriæ celebratio conveniat, communi bono fideliumque legitimæ devotioni prospiciatur, non solius præsidis.

13 In sabbatis per annum, in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest memoria ad libitum de beata Maria Virgine.

[4] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 106.

IV. De feriis

14 Hebdomadæ dies, qui post dominicam decurrunt, feriæ nuncupantur; diversa tamen ratione celebrantur, iuxta momentum ipsis proprium:

a) feriæ « ante Nativitatem », sabbatum « in traditione Symboli » et feriæ in Hebdomada Authentica usque ad horam nonam feriæ V inclusive, omnibus aliis celebrationibus præferuntur;

b) feriæ Quadragesimæ cedunt tantummodo sollemnitatibus S. Ioseph et Annuntiationis Domini;

c) ceteræ feriæ omnibus sollemnitatibus et festis cedunt et cum memoriis componuntur.

Tit. II - DE ANNI CIRCULO

15 Totum Christi mysterium per anni circulum ab Ecclesia recolitur, ab incarnatione usque ad diem Pentecostes et ad exspectationem adventus Domini [5].

I. De Triduo paschali

16 Cum vero humanæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus adimpleverit Christus præcipue per suum paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit, sacrum paschale Triduum Passionis et Resurrectionis Domini uti totius anni liturgici culmen effulget [6]. Fastigium igitur, quod dies dominica habet in hebdomada, sollemnitas Paschæ habet in anno liturgico [7].

17 Triduum Paschale Passionis et Resurrectionis Domini incipit a Missa inter Vesperas in Cena Domini, habet suum centrum in Vigilia paschali, et clauditur Vesperis dominicæ Resurrectionis.

18 Feria VI in Hebdomada Authentica [8] et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto usque ad Vigiliam paschalem [9], ubique celebratur sacrum ieiunium paschale.

Feria VI in Hebdomada Authentica, horis postmeridianis, fit celebratio Passionis Domini.

19 Vigilia paschalis, nocte sancta qua Dominus resurrexit, habetur ut « mater omnium sanctarum Vigiliarum » [10], in qua Ecclesia Christi resurrectionem vigilando exspectat, eamque in sacramentis celebrat. Ergo tota huius sacræ Vigiliæ celebratio nocte peragi debet, ita ut vel incipiatur post initium noctis vel finiatur ante diei dominicæ diluculum.

II. De tempore paschali

20 Quinquaginta dies a dominica Resurrectionis ad dominicam Pentecostes in lætitia et exsultatione celebrantur sicut unus dies festus, immo « magna dominica » [11].

Hi sunt dies in quibus præcipue cantatur Allelúia

21 Dominicæ huius temporis veluti dominicæ Paschæ habentur et, post dominicam Resurrectionis, dominicæ II, III, IV, V, VI, VII Paschæ nuncupantur; concluditur autem hoc sacrum quinquaginta dierum tempus dominica Pentecostes.

22 Primi dies temporis paschalis usque ad sabbatum inclusive constituunt octavam Paschæ et uti sollemnitates Domini celebrantur. In ecclesiis ubi plures habentur Missæ, una saltem Missa « pro baptizatis » seu in memoria baptismatis cotidie dicatur.

23 Quadragesima die post Pascha celebratur Ascensio Domini.

24 Feriæ post Ascensionem usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive ad adventum præparant Spiritus Sancti Paracliti.

5 Cf. *ibid.*, n. 102.
6 Cf. *ibid.*, n. 5.
7 Cf. *ibid.*, n. 106.
8 Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Pænitemini,* 17 febr. 1966, II § 3: A.A.S. 58 (1966) p. 184.
9 Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 110.
10 S. Augustinus, *Sermo 219:* PL 38, 1088.
11 S. Athanasius, *Epist. Fest. 1:* PG 26, 1366.

III. De tempore Quadragesimæ

25 Tempus Quadragesimæ ordinatur ad præparationem celebrationis Paschæ; liturgia enim quadragesimalis tam catechumenos, per diversos initiationis christianæ gradus, quam fideles, memoriam Baptismi recolentes et pænitentiam agentes, componit ad celebrandum paschale mysterium [12].

26 Tempus Quadragesimæ decurrit a Vesperis I dominicæ in capite Quadragesimæ, seu VI ante Pascha, ad Missam inter Vesperas in Cena Domini exclusive, cum incipit sacrum Triduum Paschale.

Ab initio Quadragesimæ usque ad Vigiliam paschalem non dicitur Allelúia.

In feriis sextis quadragesimalibus iuxta perpetuam traditionem ambrosianam liturgia eucharistica non celebratur, nisi occurrat sollemnitas S. Ioseph aut Annuntiationis Domini.

27 Cineres imponuntur feria II post dominicam in capite Quadragesimæ, vel, pro rationibus pastoralibus, ipsa die dominicæ in capite Quadragesimæ, non tamen in Missa vespertina anticipata.

Feria VI hebdomadæ I Quadragesimæ habetur ut dies ieiunii.

28 Dominicæ huius temporis appellantur « dominica in capite Quadragesimæ, de Samaritana, de Abraham, de Cæco, de Lazaro ». Dominica sexta, post sabbatum « in traditione Symboli », quæ aperit Hebdomadam Authenticam, dicitur « dominica in palmis ».

29 Hebdomada Authentica ordinatur ad recolendam Passionem Christi ab unctione in cena Bethaniæ et ab eius ingressu messianico in Ierusalem.

Feria V in Hebdomada Authentica, mane, Archiepiscopus, Missam cum suo presbyterio concelebrans, olea sancta benedicit et chrisma conficit.

IV. De tempore Nativitatis

30 Post annuam mysterii paschalis celebrationem, nihil antiquius habet Ecclesia quam memoriam Nativitatis Domini et primarum eius manifestationum recolere: quod fit tempore Nativitatis.

31 Tempus Nativitatis decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad dominicam post Epiphaniam, seu post diem 6 ianuarii, inclusive.

32 Missa in Vigilia Nativitatis celebratur inter Vesperas in ecclesiis collegiatis et laudabiliter etiam in aliis. Si sollemnitas Nativitatis feria II occurrit, mane in dominica dicitur Missa de Beata Dei Genetrice semperque Virgine Maria, de Vigilia vero horis vespertinis.

Die autem Nativitatis Domini, Missa ter celebrari potest, scilicet in nocte, in aurora et in die.

33 Nativitas Domini suam habet octavam sic ordinatam:

a) die 26 decembris, fit festum S. Stephani, Protomartyris;

b) die 27 decembris, fit festum S. Ioannis, Apostoli et Evangelistæ;

c) die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium.
In concursu cum dominica, cf. n. 4;

d) dies 29, 30, 31 sunt dies infra octavam; cedunt dominicæ infra octavam Nativitatis;

e) die 1 ianuarii fit Octava Nativitatis.

34 Dominica a die 2 ad diem 5 ianuarii occurrens est dominica post octavam Nativitatis seu dominica II post Nativitatem.

35 Epiphania Domini celebratur die 6 ianuarii, nisi, ubi non est de præcepto servanda, assignata sit dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti (cf. n. 6a). Missa Vigiliæ huius sollemnitatis celebratur ad normam Vigiliæ Nativitatis (cf. n. 32), ac proinde, si Epiphania feria II occurrit, mane dicitur Missa de dominica post Octavam Nativitatis; de Vigilia vero horis vespertinis.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109.

36 Dominica post diem 6 ianuarii occurrente, fit festum Baptismatis Domini. In regionibus ubi sollemnitas Epiphaniæ celebratur dominica a die 2 ad 8 ianuarii occurrente, quando dominica die 7 vel 8 occurrat, festum Baptismatis Domini die sequenti celebratur.

37 Dominica IV ianuarii fit festum Sanctæ Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph.

V. De tempore Adventus

38 Tempus Adventus duplicem habet indolem: est enim tempus præparationis ad sollemnia Nativitatis, in quibus prior Dei Filii adventus ad homines recolitur, ac simul tempus quo per hanc recordationem mentes diriguntur ad exspectationem secundi Christi adventus in fine temporum. His duabus rationibus, tempus Adventus se præbet ut tempus devotæ ac iucundæ exspectationis.

39 Tempus Adventus incipit a I Vesperis dominicæ quæ immediate sequitur diem 12 novembris, et explicit ante I Vesperas Nativitatis Domini.

40 Dominicæ huius temporis nuncupantur dominicæ I, II, III, IV, V Adventus. Dominica VI fit sollemnitas beatæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ.

41 Feriæ a die 17 ad diem 24 decembris inclusive modo magis directo ad præparationem Nativitatis Domini ordinantur, et proinde feriæ « ante Nativitatem » nuncupantur.

VI. De tempore « per annum »

42 Præter tempora propriam indolem habentia, triginta una vel triginta duæ supersunt hebdomadæ per anni circulum, in quibus non celebratur peculiaris mysterii Christi aspectus; sed potius ipsum mysterium Christi in sua plenitudine recolitur, præsertim diebus dominicis. Huiusmodi periodus tempus « per annum » nuncupatur.

43 Tempus « per annum » incipit feria II quæ sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem et protrahitur usque ad nonam horam sabbati ante dominicam in capite Quadragesimæ inclusive; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicæ I Adventus

Eadem ratione adhibetur series formulariorum, quæ pro dominicis et feriis huius temporis invenitur tum in Missali, tum in Liturgia Horarum.

VII. De Litaniis maioribus seu Rogationibus

44 In Litaniis maioribus seu Rogationibus Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terræ et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre.

45 Cum tempus et ratio huiusmodi precationes celebrandi diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, de opportuniore die vel diebus istiusmodi celebrationis, de eius hora et forma, pastores, de consensu Ordinarii, animum condicionibus localibus attendant.

46 Missa pro singulis diebus harum celebrationum, inter votivas eligatur, quæ sit magis accommodata supplicationum proposito.

Caput II

DE CALENDARIO

Tit. I DE CALENDARIO ET CELEBRATIONIBUS IN EO INSCRIBENDIS

47 Ordinatio celebrationis anni liturgici calendario regitur, quod est commune, prouti statutum est in usum totius ritus ambrosiani, vel particulare, in usum alicuius Ecclesiæ particularis vel familiæ religiosæ.

48 In calendario communi ambrosiani ritus – sicut in generali totius Ecclesiæ – universus cyclus celebrationum inscribitur, tum mysterii salutis in Proprio de tempore, tum eorum Sanctorum qui momentum universale præ se ferunt, tum aliorum quorum cultus singularem vim habet pro fidelibus ritus ambrosiani.

Calendaria vero particularia, sicut infra dicitur, celebrationes magis proprias continent congruenti ratione cum cyclo communi organice compositas[13]. Illæ enim diœceses quæ, præter Mediolanensem, parœcias ritus ambrosiani comprehendunt, singulæ Ecclesiæ vel familiæ religiosæ Sanctos, qui ipsis sunt peculiari ratione proprii, peculiari honore prosequantur oportet.

Calendaria tamen particularia, a competenti auctoritate componenda, ab Apostolica Sede sunt probanda.

49 In componendis calendariis particularibus, ad hæc attendatur:

a) Proprium de tempore, seu cyclus temporum, sollemnitatum et festorum, quo mysterium Redemptionis in anno liturgico explicatur et colitur, integer semper servetur, et debita præminentia gaudeat super celebrationes particulares.

b) Celebrationes propriæ organice cum celebrationibus universalibus et communibus componantur, attentis ordine et præcedentia in tabula dierum liturgicorum pro singulis indicatis. Ne tamen calendaria particularia plus æquo onerentur, singuli Sancti unica celebratione in anno liturgico gaudeant, servata, ubi rationes pastorales id suadeant, altera celebratione in forma memoriæ ad libitum pro translatione aut inventione sanctorum Patronorum aut Fundatorum Ecclesiarum vel familiarum religiosarum.

c) Celebrationes indultæ ne sint duplicatio aliarum celebrationum in cyclo mysterii salutis iam occurrentium, neque numero plus æquo augeantur.

50 Calendarium particulare conficitur inserendo calendario communi sollemnitates, festa et memorias quæ sunt propria, id est:

a) in calendario illarum diœcesium quæ parœcias ritus ambrosiani comprehendunt, præter celebrationes Patronorum, et Dedicationis ecclesiæ cathedralis, Sanctos et Beatos, qui cum ipsa diœcesi peculiarem habent necessitudinem, ex. gr. originis, commorationis longioris, obitus;

b) in calendario religioso, præter celebrationes Tituli, Fundatoris et Patroni, Sanctos et Beatos, qui illius familiæ religiosæ sodales fuerunt vel cum ea peculiarem relationem habuerunt;

c) in calendario singularum ecclesiarum, præter celebrationes proprias diœcesis aut familiæ religiosæ, celebrationes ipsius ecclesiæ proprias, quæ in tabula dierum liturgicorum recensentur, necnon Sanctos quorum corpus in eadem ecclesia asservatur. Sodales autem familiarum religiosarum cum communitate Ecclesiæ localis iunguntur in celebrandis anniversario Dedicationis ecclesiæ cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis ubi degunt.

[13] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia,* 24 iunii 1970: A.A.S. 62 (1970) pp. 651-663.

51 Celebrationes propriæ, nisi aliter pro aliquibus earum in tabula dierum liturgicorum prævideatur, aut peculiares rationes exstent historicæ aut pastorales, ut memoriæ obligatoriæ vel ad libitum inscribantur. Nihil tamen impedit, quominus aliquæ celebrationes pro certis locis modo sollemniore fiant quam in universa diœcesi vel familia religiosa.

52 Celebrationes calendario proprio inscriptæ ab omnibus qui ad illud calendarium tenentur servari debent; et nonnisi approbante Apostolica Sede e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

Tit. II - DE CELEBRATIONUM DIE PROPRIO

53 Sanctos consuevit Ecclesia celebrare ipsorum die natalicio: quod opportune servetur etiam in propriis celebrationibus calendario particulari inscribendis.

Attamen, etsi celebrationes propriæ peculiare momentum habent pro singulis Ecclesiis particularibus vel familiis religiosis, valde quoque expedit ut, in celebrandis sollemnitatibus, festis et memoriis obligatoriis, quæ in calendario communi recensentur, unitas, quantum fieri potest, habeatur.

Proinde in celebrationibus propriis calendario particulari inscribendis, hæc serventur:

a) celebrationes quæ etiam in calendario communi recensentur, eodem die quo ibi inscriptæ sunt, calendario proprio inscribantur, mutato, si necesse est, gradu celebrationis.

Idem servetur in inscribendis celebrationibus alicui tantum ecclesiæ propriis, ad calendarium diœcesanum vel religiosum quod attinet.

b) Celebrationes Sanctorum, quæ in calendario communi non inveniuntur, diei natalicio assignentur. Quando vero dies natalicius ignoratur, celebratio assignetur diei alia ratione eidem Sancto proprio, ex. gr. diei ordinationis, inventionis, translationis, secus diei qui in calendario particulari liber sit ab aliis celebrationibus.

c) Si vero dies natalicius vel proprius impeditur alia celebratione obligatoria, etiam inferioris gradus, in calendario communi vel particulari, assignetur proximiori diei similiter non impedito.

d) Attamen si agitur de celebrationibus quæ ob rationes pastorales ad alium diem transferri nequeunt, transferatur celebratio impediens.

e) Aliæ celebrationes, quæ indultæ vocantur, inscribantur die aptiore sub respectu pastorali.

f) Ut autem cyclus anni liturgici plena sua luce fulgeat, dies quibus plerumque tempus Quadragesimæ et octava Paschæ occurrunt, necnon dies a 17 ad 31 decembris, a celebrationibus particularibus liberi omnino maneant.

54 Si qui Sancti vel Beati una simul calendario inscribuntur, simul semper celebrantur, quoties eodem gradu sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii. Si vero unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis gradu superiore sunt celebrandi, fiat Officium de his tantum, omissa celebratione ceterorum, nisi conveniat eos alii diei assignare ad modum memoriæ obligatoriæ.

55 Ad bonum pastorale fidelium procurandum, in dominicis « per annum » in quibus occurrat sollemnitas aliqua B. Mariæ Virginis, Sancti vel Sanctorum de præcepto servanda, et etiam si agitur de Patrono vel Titulo qui infra hebdomadam occurrit, licet unam Missam de Beata Maria Virgine, vel de Sanctis aut de Titulo, concurrente populo celebrare.

56 Præcedentia inter dies liturgicos, quoad eorum celebrationem, unice regitur sequenti tabula.

TABULA DIERUM LITURGICORUM
secundum ordinem præcedentiæ disposita

I

1 Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.

2 Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.
Sabbatum « in traditione Symboli ».
Feriæ Hebdomadæ Authenticæ, a feria II usque ad feriam V inclusive.
Dies infra octavam Paschæ.

3 Sollemnitates Domini in calendario communi inscriptæ.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

4 Sollemnitates Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum in calendario communi inscriptæ, quæ tamen dominicæ occurrenti semper cedunt ad normam n. 4 statutam, servatis quæ de diebus a 26 ad 28 decembris dicuntur (cf. n. 33).

5 Sollemnitates propriæ, nempe:
a) Sollemnitas S. Ambrosii.
b) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis.
c) Sollemnitas Dedicationis et anniversarii Dedicationis ecclesiæ propriæ, quæ ut sollemnitas Domini habetur.
d) Sollemnitas Tituli seu Patroni ecclesiæ propriæ.
e) Sollemnitas aut Tituli,
aut Fundatoris,
aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.

II

6 Festa Domini in calendario generali inscripta.

7 Dominicæ temporis Nativitatis et dominicæ « per annum ».

8 Festa Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum calendarii communis.

9 Festa propria, nempe:
a) Festum Patroni principalis diœcesis.
b) Festum anniversarii Dedicationis ecclesiæ cathedralis.
c) Festum patroni principalis regionis, aut provinciæ, nationis, amplioris territorii.
d) Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciæ religiosæ, salvis præscriptis sub n. 4.
e) Alia festa alicui diœcesi propria.
f) Alia festa inscripta in calendario cuiusque diœcesis vel Ordinis seu Congregationis.

10 Feriæ « ante nativitatem » a die 17 ad diem 24 decembris; dies octavæ Nativitatis Domini; feriæ Quadragesimæ.

III

11 Memoriæ obligatoriæ calendarii communis.

12 Memoriæ obligatoriæ propriæ; nempe:
a) Memoriæ Patroni secundarii loci, diœcesis, regionis, provinciæ, nationis, amplioris territorii, Ordinis seu Congregationis.

b) Aliæ memoriæ obligatoriæ, inscriptæ in Calendario cuiusque diœcesis, vel Ordinis, seu Congregationis.

13 Memoriæ ad libitum, quæ excluduntur in diebus de quibus n. 10.

14 Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive; feriæ temporis Nativitatis a die 2 ianuarii usque ad sabbatum post Epifaniam.
Feriæ temporis paschalis a feria II post Octavam Paschæ usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.
Feriæ « per annum ».

57 Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quæ in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum, servato principio n. 4 statuto. Attamen sollemnitas, quæ impeditur a die liturgico, qui præcedentia gaudeat, ad proximiorem diem transferatur qui sit liber a diebus sub nn. 1-10 in tabula præcedentiæ recensitis, servatis iis quæ n. 4 statuuntur.

Reliquæ celebrationes eo anno omittuntur.

58 Si vero eodem die celebrandæ sint Vesperæ Officii currentis et I Vesperæ diei sequentis, prævalent Vesperæ celebrationis quæ in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum; in casu autem paritatis, Vesperæ diei sequentis. I et II Vesperæ dominicæ tamen semper prævalent super Vesperas Beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum.

CALENDARIUM AMBROSIANUM

IANUARIUS

1	IN OCTAVA NATIVITATIS	Sollemnitas
2	**Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum**	Memoria
3		
4		
5		
6	IN EPIPHANIA DOMINI	Sollemnitas
7	S. Raimundi de Penyafort, presbyteri	
8		
9		
10		
11		
12		
13	S. Hilarii, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
14		
15		
16		
17	**S. Antonii, abbatis**	Memoria
18	S. Fabiani, papæ et martyris	
19	S. Bassiani, episcopi	
20	**S. Sebastiani, martyris**	Memoria
21	**S. Agnetis, virginis et martyris**	Memoria
22	S. Vincentii, diaconi et martyris	
23	S. Babilæ episcopi et Trium Puerorum, martyrum	
24	**S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
25	IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI	Festum
26	**Ss. Timothei et Titi, episcoporum**	Memoria
27	S. Angelæ Merici, virginis	
28	**S. Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
29		
30		
31	**S. Ioannis Bosco, presbyteri**	Memoria

Dominica post diem 6 ianuarii:
BAPTISMATIS DOMINI — Festum

Dominica IV ianuarii:
SANCTÆ FAMILIÆ IESU, MARIÆ ET IOSEPH — Festum

FEBRUARIUS

1		
2	IN PRÆSENTATIONE DOMINI	Festum
3	S. Blasii, episcopi et martyris	
	S. Ansgarii, episcopi	
4		
5	S. Agathæ, virginis et martyris	Memoria
6	Ss. Pauli Miki et sociorum, martyrum	Memoria
7	Ss. Perpetuæ et Felicitatis, martyrum	Memoria
8	S. Hieronymi Emiliani	Memoria
9		
10	S. Scholasticæ, virginis	Memoria
11	B. Mariæ Virginis de Lourdes	
12		
13		
14	SS. CYRILLI, MONACHI ET METHODII, EPISCOPI	Festum
15		
16		
17	Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B.M.V.	
18	S. Patricii, episcopi	
19	S. Turibii de Mogrovejo, episcopi	
20		
21	S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
22	CATHEDRÆ S. PETRI, APOSTOLI *	Festum
23	S. Polycarpi, episcopi et martyris	Memoria
24		
25		
26		
27		
28		

* Cum hoc festum in tempus incidit Quadragesimæ, 18 die ianuarii celebratur.

MARTIUS

1		
2		
3		
4		
5		
6		
7		
8		
9		
10		
11		
12		
13		
14		
15		
16		
17		
18		
19	S. IOSEPH, SPONSI BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	Sollemnitas
20		
21		
22		
23		
24		
25	IN ANNUNTIATIONE DOMINI	Sollemnitas
26		
27		
28		
29		
30		
31		

APRILIS

1		
2	S. Francisci de Paola, eremitæ	
3		
4	S. Isidori, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
5	S. Vincentii Ferrer, presbyteri	
6	**S. Petri de Verona, presbyteri et martyris**	Memoria
7	**S. Ioannis Baptistæ de la Salle, presbyteri**	Memoria
8	S. Franciscæ Romanæ, religiosæ	
9	S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
10		
11	S. Stanislai, episcopi et martyris	
12	S. Zenonis de Verona, episcopi	
13	S. Martini I, papæ et martyris	
14		
15		
16		
17		
18	**S. Galdini, episcopi**	Memoria
19		
20		
21	S. Anselmi, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
22		
23	S. Georgii, martyris	
24	S. Fidelis de Sigmaringen, presbyteri et martyris	
25	S. MARCI, EVANGELISTÆ	Festum
26		
27	**Beatarum Catharinæ et Iulianæ, virginum**	Memoria
28	S. Petri Chanel, presbyteri et martyris	
29	S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS	Festum
30	S. Ioseph Benedicti Cottolengo, presbyteri S. Pii V, papæ	

MAIUS

1	S. Ioseph, opificis	
2	**S. Athanasii, episcopi et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
3	SS. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM	Festum
4		
5		
6		
7		
8	**S. Victoris, martyris**	Memoria
9		
10		
11		
12	Ss. Nerei et Achillei, martyrum S. Pancratii, martyris	
13		
14	S. MATTHIÆ, APOSTOLI	Festum
15		
16		
17		
18	S. Ioannis I, papæ et martyris Ss. Bartholomeæ Capitanio et Vincentiæ Gerosa, virginum	
19		
20	S. Bernardini Senensis, presbyteri	
21		
22		
23	S. Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris S. Mariæ Magdalenæ de' Pazzi, virginis	
24	S. Gregorii VII, papæ	
25	**S. Dionysii, episcopi**	Memoria
26	**S. Philippi Neri, presbyteri**	Memoria
27	S. Augustini Cantuariensis, episcopi	
28		
29	**Ss. Vigilii episcopi, et Sisinii, Martyrii et Alexandri martyrum**	Memoria
30		
31	IN VISITATIONE B. MARIÆ VIRGINIS	Festum

Dominica prima post Pentecosten:
SS.MÆ TRINITATIS — Sollemnitas

Feria V post SS.mam Trinitatem:
SS.MI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI — Sollemnitas

IUNIUS

1	**S. Iustini, martyris**	Memoria
2	Ss. Marcellini et Petri, martyrum	
3	**Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum**	Memoria
4		
5	**S. Bonifatii, episcopi et martyris**	Memoria
6	S. Norberti, episcopi S. Gerardi de Monza	
7		
8		
9	S. Ephræm, diaconi et Ecclesiæ doctoris	
10		
11	S. BARNABÆ, APOSTOLI	Festum
12		
13	**S. Antonii de Padova, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
14		
15		
16		
17		
18	S. Romualdi, abbatis	
19	SS. PROTASII ET GERVASII, MARTYRUM	Festum
20		
21	**S. Aloisii Gonzaga, religiosi**	Memoria
22	S. Paulini Nolani, episcopi Ss. Ioannis Fisher episcopi et Thomæ More, martyrum	
23		
24	IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ	Sollemnitas
25		
26	S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
27	**S. Arialdi, diaconi et martyris**	Memoria
28	**S. Irenæi, episcopi et martyris**	Memoria
29	SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM	Sollemnitas
30	Ss. Protomartyrum S. Romanæ Ecclesiæ	

Feria VI post dominicam II post Pentecosten:
SACRATISSIMI CORDIS IESU — Sollemnitas

Sabbato post dominicam II post Pentecosten:
Immaculati Cordis B. Mariæ Virginis

IULIUS

1		
2		
3	S. THOMÆ, APOSTOLI	Festum
4	S. Elisabeth Lusitaniæ	
5	**S. Antonii Mariæ Zaccaria, presbyteri**	Memoria
6	S. Mariæ Goretti, virginis et martyris	
7		
8		
9		
10		
11	S. BENEDICTI, ABBATIS	Festum
12	**Ss. Naboris et Felicis, martyrum**	Memoria
13	S. Henrici	
14	S. Camilli de Lellis, presbyteri	
15	**S. Bonaventuræ, episcopi et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
16	B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo	
17	**S. Marcellinæ, virginis**	Memoria
18		
19		
20		
21	S. Laurentii de Brindisi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	
22	**S. Mariæ Magdalenæ**	Memoria
23	S. Birgittæ, religiosæ	
24		
25	S. IACOBI, APOSTOLI	Festum
26	**Ss. Ioachim et Annæ, parentum B. M. V.**	Memoria
27		
28	**Ss. Nazarii et Celsi, martyrum**	Memoria
29	**S. Marthæ**	Memoria
30	S. Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
31	**S. Ignatii de Loyola, presbyteri**	Memoria

AUGUSTUS

1	S. Alfonsi Mariæ de' Liguori, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
2	S. Eusebii Vercellensis, episcopi	Memoria
3		
4	S. Ioannis Mariæ Vianney, presbyteri	Memoria
5	In Dedicatione basilicæ S. Mariæ	
6	IN TRANSFIGURATIONE DOMINI	Festum
7	S. Caietani, presbyteri Ss. Xysti II papæ et sociorum, martyrum	
8	S. Dominici, presbyteri	Memoria
9		
10	S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS	Festum
11	S. Claræ, virginis	Memoria
12		
13	Ss. Pontiani papæ et Hippolyti presbyteri, martyrum	
14	S. Simpliciani, episcopi	Memoria
15	IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	Sollemnitas
16	S. Rochi S. Stephani Hungariæ	
17		
18		
19	S. Ioannis Eudes, presbyteri	
20	S. Bernardi, abbatis et Ecclesiæ doctoris	Memoria
21	S. Pii X, papæ	Memoria
22	B. Mariæ Virginis Reginæ	Memoria
23	S. Rosæ de Lima, virginis	
24	S. BARTHOLOMÆI, APOSTOLI	Festum
25	S. Ioseph de Calasanz, presbyteri S. Ludovici	
26	S. Alexandri, martyris	
27	S. Monicæ	Memoria
28	S. Augustini, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
29	In passione S. Ioannis Baptistæ	Memoria
30		
31	Ss. Abundii et Felicis, episcoporum	

SEPTEMBER

1		
2		
3	S. Gregorii Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris	Memoria
4		
5		
6		
7		
8	IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS	Festum
9		
10		
11		
12	**S. Nominis B. Mariæ Virginis**	Memoria
13	**S. Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
14	IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS	Festum
15	**B. Mariæ Virginis perdolentis**	Memoria
16	**Ss. Cornelii papæ et Cypriani episcopi, martyrum**	Memoria
17	**S. Satyri**	Memoria
18	**S. Eustorgii I, episcopi**	Memoria
19	S. Ianuarii, episcopi et martyris	
20	S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
21	S. MATTHÆI, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ	Festum
22	Ss. Mauritii et sociorum, martyrum	
23		
24	S. Theclæ, virginis et martyris	
25	S. ANATALONIS ET OMNIUM SS. MEDIOLANENSIUM EPISCOPORUM	Festum
26	Ss. Cosmæ et Damiani, martyrum	
27	**S. Vincentii de Paul, presbyteri**	Memoria
28	S. Venceslai, martyris	
29	SS. MICHAELIS, GABRIELIS ET RAPHAELIS, ARCHANGELORUM	Festum
30	**S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**	Memoria

OCTOBER

1	**S. Teresiæ a Iesu Infante, virginis**	Memoria
2	**Ss. Angelorum Custodum**	Memoria
3		
4	S. FRANCISCI ASSISIENSIS	Festum
5		
6	S. Brunonis, presbyteri	
7	**B. Mariæ Virginis a Rosario**	Memoria
8	S. Anselmi de Lucca, episcopi	
9	Ss. Dionysii episcopi et sociorum, martyrum S. Ioannis Leonardi, presbyteri	
10	S. Casimiri	
11	S. Alexandri Sauli, episcopi	
12	S. Hedvigis, religiosæ	
13	S. Margaritæ Mariæ Alacoque, virginis	
14	S. Callisti I, papæ et martyris	
15	**S. Teresiæ de Avila, virginis et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
16	**B. Contardi Ferrini**	Memoria
17	**S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris**	Memoria
18	S. LUCÆ, EVANGELISTÆ	Festum
19	S. Pauli a Cruce, presbyteri Ss. Ioannis de Brébeuf et Isaac Jogues presbyterorum et sociorum, martyrum	
20		
21		
22		
23	S. Ioannis de Capestrano, presbyteri	
24	S. Antonii Mariæ Claret, episcopi B. Aloisii Guanella, presbyteri	
25		
26	B. Aloisii Orione, presbyteri	
27		
28	SS. SIMONIS ET IUDÆ, APOSTOLORUM	Festum
29	S. Honorati de Vercelli, episcopi	
30		
31		

Dominica III octobris:
DEDICATIONIS ECCLESIÆ MAIORIS — Festum

NOVEMBER

1	OMNIUM SANCTORUM	Sollemnitas
2	IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM	Sollemnitas
3	S. Martini de Porres, religiosi	
4	S. CAROLI BORROMEO, EPISCOPI	Sollemnitas
5		
6		
7		
8		
9	IN DEDICATIONE BASILICÆ LATERANENSIS	Festum
10	**S. Leonis Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
11	**S. Martini Turonensis, episcopi**	Memoria
12	**S. Iosaphat, episcopi et martyris**	Memoria
13	S. Homoboni S. Franciscæ Cabrini, virginis	
14		
15	S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris	
16	S. Gertrudis, virginis S. Margaritæ Scotiæ	
17	**S. Elisabeth Hungariæ**	Memoria
18	In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum	
19		
20		
21	**In Præsentatione B. Mariæ Virginis**	Memoria
22	**S. Cæciliæ, virginis et martyris**	Memoria
23	S. Clementis I, papæ et martyris S. Columbani, abbatis	
24	**B. Mariæ Annæ Sala, virginis**	Memoria
25		
26		
27		
28	S. Ioannis a Deo, religiosi	
29		
30	S. ANDREÆ, APOSTOLI	Festum

Dominica ultima « per annum »:

D. N. I. C. UNIVERSORUM REGIS	Sollemnitas

DECEMBER

1		
2		
3	**S. Francisci Xavier, presbyteri**	Memoria
4	S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	
5		
6	S. Nicolai, episcopi	
7	IN ORDINATIONE S. AMBROSII, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS	Sollemnitas
8	IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	Sollemnitas
9	S. Syri, episcopi	
10		
11	S. Damasi I, papæ	
12	S. Ioannæ Franciscæ de Chantal, religiosæ	
13	**S. Luciæ, virginis et martyris**	Memoria
14	**S. Ioannis a cruce, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**	Memoria
15	S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	
16	S. Ioannis de Kęty, presbyteri	
17		
18		
19		
20		
21		
22		
23		
24		
25	IN NATIVITATE DOMINI	Sollemnitas
26	S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS	Festum
27	S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ	Festum
28	SS. INNOCENTIUM, MARTYRUM	Festum
29	S. Thomæ Becket, episcopi et martyris	
30		
31	S. Silvestri I, papæ	

Dominica VI Adventus

BEATÆ DEI GENETRICIS SEMPERQUE VIRGINIS MARIÆ	Sollemnitas

TABELLA TEMPORARIA
præcipuarum celebrationum anni liturgici

Anno Domini	I Dom. Quadr.	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Hebdomadæ « per annum » ante Quadr.		post Pentec.		Dominica prima Adventus
						usque ad d.	hebd.	a die	hebd.	
1981	4 mart.	19 apr.	28 maii	7 iunii	18 iunii	7 mart.	8	8 iunii	10	15 nov.
1982	28 febr.	11 apr.	20 maii	30 maii	10 iunii	27 febr.	7	31 maii	9	14 nov.
1983	20 febr.	3 apr.	12 maii	22 maii	2 iunii	19 febr.	6	23 maii	8	13 nov.
1984	11 mart.	22 apr.	31 maii	10 iunii	21 iunii	10 mart.	9	11 iunii	10	18 nov.
1985	24 febr.	7 apr.	16 maii	26 maii	6 iunii	23 febr.	6	27 maii	8	17 nov.
1986	16 febr.	30 mart.	8 maii	18 maii	29 maii	15 febr.	5	19 maii	7	16 nov.
1987	8 mart.	19 apr.	28 maii	7 iunii	18 iunii	7 mart.	9	8 iunii	10	15 nov.
1988	21 febr.	3 apr.	12 maii	22 maii	2 iunii	20 febr.	6	23 maii	8	13 nov.
1989	12 mart.	26 mart.	4 maii	14 maii	25 maii	20 febr.	5	15 maii	6	19 nov.
1990	4 mart.	15 apr.	24 maii	3 iunii	14 iunii	3 mart.	8	4 iunii	9	18 nov.
1991	17 febr.	31 mart.	9 maii	19 maii	30 maii	16 febr.	5	20 maii	7	18 nov.
1992	8 mart.	19 apr.	28 maii	7 iunii	18 iunii	7 mart.	9	8 iunii	10	15 nov.
1993	28 febr.	11 apr.	20 maii	30 maii	10 iunii	27 febr.	7	31 maii	9	14 nov.
1994	20 febr.	3 apr.	12 maii	22 maii	2 iunii	19 febr.	6	23 maii	8	13 nov.
1995	5 mart.	16 apr.	25 maii	4 iunii	15 iunii	4 mart.	8	5 iunii	9	19 nov.
1996	25 febr.	7 apr.	16 maii	26 maii	6 iunii	24 febr.	7	27 maii	8	17 nov.
1997	17 febr.	30 mart.	8 maii	18 maii	29 maii	15 febr.	5	19 maii	7	16 nov.
1998	1 mart.	12 apr.	21 maii	31 maii	11 iunii	28 febr.	7	1 iunii	9	15 nov.
1999	21 febr.	4 apr.	13 maii	23 maii	3 iunii	20 febr.	6	24 maii	8	14 nov.

PROPRIUM DE TEMPORE

TEMPUS ADVENTUS

1 DOMINICA I ADVENTUS

INGRESSA Ps 24, 1-3 1/1

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam;
Deus meus, in te confído, non erubéscam;
neque irrídeant me inimíci mei,
étenim univérsi, qui te exspéctant,
non confundéntur.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 1/2

**Deus, qui in Unigénito tuo
novam creatúram tibi nos esse fecísti,
ópera misericórdiæ tuæ propítius intuére,
et in advéntu Fílii tui
ab ómnibus máculis vetustátis emúnda.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.**

POST EVANGELIUM Mt 24, 27; cf. 25, 13; 26, 41 1/3

Sicut fulgur venit ab oriénte
et paret in occidénte,
sic erit advéntus Fílii hóminis.
Vigiláte omnes et oráte:
nescítis diem neque horam,
quando Dóminus noster sǽculi finem ponat.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 1/4

**Excita poténtiam tuam, Deus, et veni,
ut hi, qui in tua pietáte confídunt,
a cunctis inimíci adversitátibus liberéntur.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 1/5

**Sacrifíciis præséntibus, Dómine,
quǽsumus, inténde placátus,
ut et devotióni nostræ profíciant et salúti.
Per Christum Dóminum nostrum.**

PRÆFATIO 1/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, primo advéntu in humilitáte carnis assúmptæ
dispositiónis antíquæ munus implévit,
nobísque salútis perpétuæ trámitem reserávit,
ut, cum secúndo vénerit in suæ glória maiestátis,
manifésto demum múnere capiámus,
quod vigilántes nunc audémus exspectáre promíssum.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 40, 10a. 11 1/7

Ecce Dóminus Deus in virtúte véniet.
Sicut pastor gregem suum pascit,
in bráchio suo cóngregat agnos,
et in sinu suo levat.

TRANSITORIUM Is 49, 13 1/8

Laudáte, cæli, et exsúlta, terra;
iubiláte, montes, laudem,
quia consolátur Dóminus pópulum suum,
et páuperum suórum miserétur.

POST COMMUNIONEM 1/9

Cæléstibus sumptis munéribus, Dómine, deprecámur,
ut cum frequentatióne mystérii
crescat nostræ salútis efféctus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 24, 5. 3a 2/1

Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus meus
et te sustínui tota die.
Etenim univérsi, qui te exspéctant,
non confundéntur.

SUPER POPULUM 2/2

Dignáre, Dómine, supplícibus adésse propítius,
et Ecclésiæ tuæ misericórdiam, quam confitétur, osténde,
Unigéniti tui maniféstans mirábile sacraméntum.
Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 2/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 2/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Fílii tui ventúra sollémnitas
et præséntis vitæ remédia largiátur
et prǽmia nobis ætérna concédat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 2/5

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis,
et cæléstibus nos munda mystériis
et cleménter exáudi.
Per Christum.

PRÆFATIO 2/6

Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius incarnatióne salus est mundo pérdito comparáta,
et passióne hómini peccatóri procuráta redémptio.
Cuius humilitáte mortálitas est ad vitam erécta,
et sublimitáte fragílitas a malis ómnibus præmuníta.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 105, 4-5 2/7

Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo,
ut videámus bona electórum tuórum,
ut lætémur in lætítia gentis tuæ,
ut gloriémur cum hereditáte tua.

TRANSITORIUM Mich 7, 7. 8c. 9c. 2/8

Ego ad Dóminum aspíciam,
exspectábo Deum salvatórem meum;
áudiet me Deus meus.
Dóminus lux mea est.
Edúcet me in lucem,
vidébo iustítiam eius.

POST COMMUNIONEM 2/9

Quæsumus, Dómine, Deus noster, ut sacrosáncta mystéria,
quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti,
et præsens nobis remédium esse fácias et futúrum.
Per Christum.

INGRESSA Is 35, 4d. 3-4ab 3/1

Ecce Deus ipse véniet et salvábit nos.
Confortáte manus dissolútas
et génua debília roboráte.
Dícite pusillánimis:
Confortámini, nolíte timére.

SUPER POPULUM 3/2

Excita, Dómine, quǽsumus, poténtiam tuam et veni,
ut ab imminéntibus nostrórum perículis peccatórum
te mereámur protegénte éripi,
te liberánte salvári.
Qui vivis et regnas cum Deo Patre
in unitáte Spíritus sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sæculórum.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 3/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 3/4

Inenarrábilem poténtiæ tuæ, Deus, exténde virtútem,
et pópulo tuo supplicánti
per Fílii tui præséntiam defénsor accéde,
ut ad votíva desidéria, ipso iuvánte, pervéniat.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

SUPER OBLATA 3/5

Sacrifícium tibi, Dómine, celebrándum placátus inténde,
quod et nos a vítiis nostræ condiciónis emúndet
et tuo semper nómini reddat accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 3/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mundi ténebras lucis suæ fugávit advéntu,
et viam nobis in seípso veritátis osténdit,
per quam immortális vitæ beatitúdinem consequámur.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Is 26, 8-9 3/7

In sémita iudiciórum tuórum, Dómine, sperávimus in te;
ad nomen tuum et ad memoriále tuum desidérium ánimæ.
Anima mea desíderat te in nocte,
sed et spíritu meo in præcórdiis meis te quæro.

TRANSITORIUM Is 25, 9b-d 3/8

Ecce Deus noster iste,
exspectávimus eum, ut salváret nos;
iste Dóminus, sustinúimus eum:
exsultábimus et lætábimur in salutári eius.

POST COMMUNIONEM 3/9

Sacrosáncti córporis et sánguinis Dómini nostri Iesu Christi
refectióne vegetáti,
omnípotens Deus, súpplices te rogámus,
ut hoc remédium singuláre
ab ómnium peccatórum nos contagióne puríficet.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Is 41, 10 4/1

Ne tímeas, quia ego tecum sum;
ne declínes, quia ego Deus tuus:
confortábo te et auxiliábor tibi
et sustentábo te déxtera iustítiæ meæ.

SUPER POPULUM 4/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut advéntus gloriosíssimi Fílii tui
et ábluat nostra peccáta
et pópulo tuo pacem cónferat ac salútem.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 4/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 4/4

Exáudi preces pópuli tui, omnípotens Deus,
et, radiánte de cælo iustítia,
omnis gérminet terra lætítiam,
ut in Fílii tui mundi redemptóris advéntu
desiderántes ánimæ nostræ
benedictióne pinguíssima repleántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 4/5

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacris péragat instidúta mystériis
et salutáre tuum nobis mirabíliter operétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 4/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Cuius Verbi ætérnitas cæli fáciem decorávit,
et Vírginis úterum domínicæ carnis glória fecundávit,
ut splendor novæ lucis ómnibus apparéret,
et salus humáni géneris de castis viscéribus adveníret.

Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum ómnibus agmínibus angelórum
clamámus in gáudio, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 33, 2 4/7

Dómine, miserére nostri,
te enim exspectávimus;
esto bráchium nostrum in mane
et salus nostra in témpore tribulatiónis.

TRANSITORIUM Is 38, 17bc. 20 4/8

Dómine, eruísti ánimam meam a fóvea consumptiónis,
proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.
Dómine, salvum me fac,
et ad sonum cítharæ cantábimus
cunctis diébus vitæ nostræ
in domo Dómini.

POST COMMUNIONEM 4/9

Ecclésiam tuam in terris iúgiter laborántem
córporis Christi, Dómine, sacraméntum enútriat,
donec in pátria ætérno gáudio perfruátur.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 24, 5. 3a 5/1

Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus meus
et te sustínui tota die.
Etenim univérsi, qui te exspéctant,
non confundéntur.

SUPER POPULUM 5/2

Tríbue, quǽsumus, Pater omnípotens atque clemens,
ut devótis méntibus divínum exspectémus advéntum,
quo Vírginis partus de Spíritu sancto
nobis géneret Salvatórem.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 5/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 5/4

Reple bonis, Dómine, terram tuam
Redemptóris sui præséntiam cupiéntem,
ut, circúmdata grátia consolatiónis ætérnæ,
plebs tua cælésti permáneat auxílio gubernáta.
Per Christum.

SUPER OBLATA 5/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera
quæ de tuis benefíciis colláta deférimus,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 5/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui lætítiam et pacem de sua plenitúdine
pópulis ómnibus impertívit,
ac suæ splendóre veritátis
enarrávit divína mystéria.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 105, 4-5 5/7

Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo,
ut videámus bona electórum tuórum,
ut lætémur in lætítia gentis tuæ,
ut gloriémur cum hereditáte tua.

TRANSITORIUM Mich 7, 7. 8c. 9c. 5/8

Ego ad Dóminum aspíciam,
exspectábo Deum salvatórem meum;
áudiet me Deus meus.
Dóminus lux mea est.
Edúcet me in lucem,
vidébo iustítiam eius.

POST COMMUNIONEM 5/9

Tuam, Dómine, ceméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

INGRESSA Is 35, 4d. 3-4ab 6/1

Ecce Deus ipse véniet et salvábit nos.
Confortáte manus dissolútas
et génua debília roboráte.
Dícite pusillánimis:
Confortámini, nolíte timére.

SUPER POPULUM 6/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui per advéntum Unigéniti tui
mundum tuæ maiestáti reconciliáre dignátus es,
tríbue, quǽsumus, ut, a peccatórum vínculis absolúti,
domínicæ mystéria nativitátis casta lætítia celebrémus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 6/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 6/4

**Desideránti pópulo tuo, quǽsumus, Dómine,
concéde propítius,
ut Redemptóris sui advéntum cum devotióne suscípiat,
et ab eo cæléstia dona
in benedictiónis plenitúdine consequátur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 6/5

**Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.**

PRÆFATIO 6/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
et hoc præcípue témpore, tibi, Pater, laudes reférre devótas,
cum Christi Fílii tui nativitátis sollémnia prævenímus,
ut, dum primum advéntum cum iucunditáte recólimus,
mentes quoque vígiles ad exspectatiónem secúndi
cum fidúcia dirigámus.

Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
húmili tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 26, 8-9 6/7

In sémita iudiciórum tuórum, Dómine, sperávimus in te;
ad nomen tuum et ad memoriále tuum desidérium ánimæ.
Anima mea desíderat te in nocte,
sed et spíritu meo in præcórdiis meis te quæro.

TRANSITORIUM Is 25, 9b-d 6/8

Ecce Deus noster iste,
exspectávimus eum, ut salváret nos;
iste Dóminus, sustinúimus eum:
exsultábimus et lætábimur in salutári eius.

POST COMMUNIONEM 6/9

Sit plebi tuæ, Dómine,
divíni participátio mystérii continuáta defénsio,
ut, maiestáti tuæ plena devotióne subiécta,
salvatiónem mentis et córporis affluénter accípiat.
Per Christum.

INGRESSA Is 41, 10 7/1

Ne tímeas, quia ego tecum sum;
ne declínes, quia ego Deus tuus:
confortábo te et auxiliábor tibi
et sustentábo te déxtera iustítiæ meæ.

SUPER POPULUM 7/2

Ipse nos, quǽsumus, Dómine, ad prǽmium perdúcat ætérnum,
qui nos redémit de ténebris infernórum,
et iustíficet in advéntu secúndo
qui nos Christus redémit in primo.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 7/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 7/4

Deus, qui hóminem olim pérditum
nativitátis tuæ lúmine perfudísti,
concéde propítius,
ut, quos tantæ salútis benefício munerásti,
nullis malórum patiáris subiacére perículis.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 7/5

Sanctífica, quǽsumus, Dómine, pópuli tui dona colláta,
ut, sacro commércio roborátus,
Christi Fílii tui advéntum fiduciáliter váleat exspectáre.
Qui vivit.

PRÆFATIO 7/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

qui, tui Spíritus habéntes ex ineffábili caritáte primítias,
iam in Christo divínam adoptiónem accépimus filiórum,
et per patiéntiam póssumus glóriam exspectáre promíssam.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 33, 2 7/7

Dómine, miserére nostri,
te enim exspectávimus;
esto bráchium nostrum in mane
et salus nostra in témpore tribulatiónis.

TRANSITORIUM Is 38, 17bc. 20 7/8

Dómine, eruísti ánimam meam a fóvea consumptiónis,
proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.
Dómine, salvum me fac,
et ad sonum cítharæ cantábimus
cunctis diébus vitæ nostræ
in domo Dómini.

POST COMMUNIONEM 7/9

In médio templi tui misericórdia et veritáte suscépta,
redemptiónis nostræ, Dómine, ventúra sollémnia
cóngruis honóribus præcedámus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 71, 16-17a-c 8/1
Superextollétur super Líbanum fructus eius,
et florébunt de civitáte sicut fenum terræ,
et erit nomen eius benedíctum in sǽcula.
Ante solem permanébit nomen eius
et ante lunam sedes eius,
et benedicéntur in ipso omnes fines terræ.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 8/2
**Dona, quǽsumus, omnípotens Deus,
hanc tuæ famíliæ voluntátem:
ut Christo Fílio tuo veniénti
iustis in opéribus occurrámus,
et eius déxteræ sociáti
regnum mereámur possidére cæléste.
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Is 14, 1a-c; 1 Cor 4, 5c 8/3
Prope est ut véniat tempus Salvatóris,
et dies eius non elongabúntur.
Ecce miserébitur Dóminus,
et illuminábit abscóndita tenebrárum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 8/4
**Tríbue sperántibus, quǽsumus, Dómine,
fídei et caritátis augméntum,
ut, quod veritátis tuæ dono promíttitur,
tua miseratiónis grátia compleátur.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 8/5
**Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut, sacraménti domínici nobis operánte virtúte,
ipsíus æternitátis mereámur esse consórtes,
qui mortalitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.
Qui vivit.**

PRÆFATIO 8/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cui próprium est véniam delíctis cleménter impéndere,
magis quam pœnáliter imminére.
Qui fábricam tui óperis
per eúndem rursus lápidem es dignátus erígere,
ne imágo, quæ fúerat ad tui similitúdinem facta vivens,
dissímilis haberétur ex morte.
Munus veniábilis indulgéntiæ præstitísti,
ut, unde peccátum mortem præsumptióne contráxerat,
inde vitam píetas reparáret imménsa,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant ángeli,
venerántur archángeli, throni, dominatiónes, virtútes,
principátus et potestátes adórant.
Quem chérubim et séraphim sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
súpplici confessióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Zach 14, 5. 7 8/7

Ecce véniet Dóminus
et omnes sancti eius cum eo,
et erit in die illa lux magna.

TRANSITORIUM Cf. Is 40, 1; 41, 14 8/8

Consolámini, consolámini pópulum meum,
dicit Dóminus vester.
Noli timére,
ego auxiliábor tibi,
dicit Dóminus et redémptor tuus.

POST COMMUNIONEM 8/9

Prosint nobis, Dómine, frequentáta mystéria,
quæ nos a cupiditátibus terrénis expédiant,
et instítuant amáre cæléstia.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ag 2, 8 9/1

Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.
Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

SUPER POPULUM 9/2

Fidélium tuórum cáritas, quǽsumus, Pater,
in omnes semper abúndet,
ut, sine queréla in sanctitáte vivéntes,
sua corda séntiant in advéntu Dómini confirmári.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 9/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 9/4

Cæli terrǽque dominátor, Deus,
ad oratiónem famíliæ tuæ inténde propítius,
et, veniénti Unigénito tuo
pia vota sólvere cupiéntem,
benignitáte tua placátus exáudi.
Per Christum.

SUPER OBLATA 9/5

Deus, qui mysteriórum tuórum
dignánter operáris efféctus,
præsta, quǽsumus, ut, sacris apta munéribus,
fiant et nobis salutária nostra servítia.
Per Christum.

PRÆFATIO 9/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Qui Pater es nobis pietáte miránda,
cum Dóminus imménsa potestáte permáneas;
quóniam, quos servos orígo reddíderat,
dignátus es in fílios adoptáre,
et, quos demérserat generátio terréstris in mortem,
regenerátio cæléstis eréxit ad vitam,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 9/7
Vere véniet Christus,
et in manu eius píetas et misericórdia.
Salus nostra cito véniet,
et commínuet iugum captivitátis nostræ.

TRANSITORIUM Cf. Lc 12, 36; cf. Mt 24, 44 9/8
Paráti simus, símiles homínibus exspectántibus dóminum,
quando revertátur a núptiis, et clamémus:
Veni, Dómine, et noli tardáre,
miserére nobis pósitis in sǽculi fine.

POST COMMUNIONEM 9/9
Repléti cibo spirituális alimóniæ,
te, Dómine, súpplices deprecámur,
ut huius participatióne mystérii
dóceas nos sapiénter terréna perpéndere
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

INGRESSA Is 55, 6-7ab 10/1

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest;
invocáte eum, dum prope est.
Derelínquat ímpius viam suam,
et vir iníquus cogitatiónes suas;
et revertátur ad Dóminum.

SUPER POPULUM 10/2

Omnípotens et miséricors Deus,
in tui occúrsum Fílii festinántes
nulla ópera terrénæ delectatiónis impédiant,
sed sapiéntiæ cæléstis erudítio
nos eius fáciat esse consórtes.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 10/3

Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 10/4

Tuórum, Dómine, propítius inténde précibus famulórum,
ut, qui Redemptóris mundi præstolámur advéntum,
eius capiámus prǽmium sempitérnum.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 10/5

Ecclésiæ tuæ, Dómine, dona sanctífica,
et concéde, ut per hæc veneránda mystéria
pane cælésti réfici mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 10/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ad spei sustinéntiam
hos sacros dies perágere tuæ concédis Ecclésiæ,
ut sicut fílii lucis vigilántes ambulémus ac sóbrii,
et cum Christo tandem vivámus in sǽcula.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 12, 2 10/7

Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

TRANSITORIUM Cf. Is 66, 13-14 10/8

Sicut mater consolátur fílios suos,
ita consolábor vos, dicit Dóminus;
véniet vobis Salvátor,
et vidébitis et gaudébit cor vestrum.

POST COMMUNIONEM 10/9

Effécti cenæ Christi tua pietáte partícipes,
te súpplices, Dómine, deprecámur,
ut eius esca et sánguine roboráta
cuncta nostra fratérnitas copulétur.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Is 56, 1; 62, 1 11/1

Hæc dicit Dóminus:
Custodíte iudícium et fácite iustítiam,
quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur.
Egrediátur ut splendor Iustus tuus, Dómine,
et Salvátor noster ut lampas accendátur.

SUPER POPULUM 11/2

Deus, qui cónspicis pópulum tuum
natális domínici festivitátem fidéliter exspectáre,
præsta, quǽsumus,
ut valeámus ad tantæ salútis gáudia perveníre,
et eam votis sollémnibus álacri semper lætítia celebráre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 11/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 11/4

Esto nobis, Dómine,
desiderábilis virtus et protéctio salutáris,
ut futúra, quam optámus, natívitas Salvatóris
lætítiam ómnibus et pleníssimam cónferat sanitátem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 11/5

Inténde, quǽsumus, Dómine, sacrifícium singuláre,
ut huius participatióne mystérii
quæ speránda crédimus, exspectáta sumámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 11/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, Deus omnípotens, benedícere,
quos patérna disposuísti miseratióne fovére.

Tibi enim genus humánum advéntu reconciliáre domínico voluísti,
et iúgiter salútem in vita Christi præbére dignáris.

Unde et nos tibi grátias ágimus exsultántes,
et tuas virtútes prædicámus,
cum ángelis sanctísque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 5, 12 11/7

Omnes qui sperant in te, læténtur,
in ætérnum exsúltent.
Obumbrábis eis, et gloriabúntur in te,
qui díligunt nomen tuum.

TRANSITORIUM Ps 9, 10-11 11/8

Erit Dóminus refúgium opprésso,
refúgium in opportunitátibus, in tribulatióne.
Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum,
quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

POST COMMUNIONEM 11/9

Róboret nos, Dómine, tui percéptio sacraménti,
ut veniénti Salvatóri
mereámur dignis cum opéribus obviáre,
et beatitúdinis felíciter prǽmia promeréri.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ag 2, 8 12/1
Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.
Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

SUPER POPULUM 12/2
Fac nos, quǽsumus, Deus noster,
advéntum Christi Fílii tui sollícitos exspectáre,
ut, dum vénerit pulsans, oratióne pervígiles
et in suis invéniat láudibus exsultántes.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 12/3
Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 12/4
Supplicatiónibus nostris, Dómine Deus, esto propítius,
tuíque advéntu Fílii suffragánte,
preces nostras dignánter exáudi.
Per Christum.

SUPER OBLATA 12/5
Ecclésiæ tuæ, Dómine, múnera placátus assúme,
quæ et miséricors offerénda tribuísti
et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium.
Per Christum.

PRÆFATIO 12/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In cuius advéntu omnis de captivitáte terra redímitur,
et nostræ carnis fragílitas a vínculis absólvitur peccatórum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 12/7

Vere véniet Christus,
et in manu eius píetas et misericórdia.
Salus nostra cito véniet,
et commínuet iugum captivitátis nostræ.

TRANSITORIUM Cf. Lc 12, 36; cf. Mt 24, 44 12/8

Paráti simus, símiles homínibus exspectántibus dóminum,
quando revertátur a núptiis, et clamémus:
Veni, Dómine, et noli tardáre,
miserére nobis pósitis in sǽculi fine.

POST COMMUNIONEM 12/9

Cælésti múnere satiátis, Dómine,
pacem tuam concéde propítius,
ut Fílio tuo dilectíssimo veniénti
accénsis lampádibus digni præstolémur occúrsum.
Per Christum.

INGRESSA Is 55, 6-7ab 13/1

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest;
invocáte eum, dum prope est.
Derelínquat ímpius viam suam,
et vir iníquus cogitatiónes suas;
et revertátur ad Dóminum.

SUPER POPULUM 13/2

Humáni géneris Cónditor et immaculáte Salvátor,
de incontamináta Vírgine, quǽsumus,
iam pro mundi redemptióne procéde,
ut sentiámus per eándem nos grátiam liberári,
per quam ipse fíeri dignátus es
nobis símilis absque delícto.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 13/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 13/4

Dirigátur, quǽsumus, Dómine,
in conspéctu tuo nostræ petitiónis orátio,
ut ad nativitátis Unigéniti tui salutáre mystérium
nostræ vota servitútis illibáta puritáte pervéniant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 13/5

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 13/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Advéntum enim glóriæ Christi ac nativitátis mystérium
sollémni devotióne recólimus
nostræque salútis insígnia,
quæ tantis sunt proláta virtútibus.

Quaprópter benefícia tua exsultántibus ánimis prædicámus,
cum angelórum exércitu sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Is 12, 2 13/7

Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

TRANSITORIUM Cf. Is 66, 13-14 13/8

Sicut mater consolátur fílios suos,
ita consolábor vos, dicit Dóminus;
véniet vobis Salvátor,
et vidébitis et gaudébit cor vestrum.

POST COMMUNIONEM 13/9

Intra nos, Dómine, dignáre tuæ munus glóriæ custodíre,
ut contra omnes sǽculi præséntis insídias
vitális alimóniæ víribus, quam percépimus, muniámur.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Is 56, 1; 62, 1 14/1

Hæc dicit Dóminus:
Custodíte iudícium et fácite iustítiam,
quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur.
Egrediátur ut splendor Iustus tuus, Dómine,
et Salvátor noster ut lampas accendátur.

SUPER POPULUM 14/2

Voci nostræ, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis accómmoda,
et cordis nostri ténebras
grátia Fílii tui nos visitántis illústra.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 14/3

Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 14/4

Omnípotens sempitérne Deus,
maiestátem tuam súpplices deprecámur,
ut, refulgénte domínicæ carnis advéntu,
ad nostras preces aures præbeas miserátus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 14/5

Hæc oblátio, qua divíni cultus nobis est índita plenitúdo,
sit tibi, Dómine, perfécta placátio,
ut nostri Redemptóris exórdia
purificátis méntibus celebrémus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 14/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper, hic et ubíque, grátias ágere,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Deus in humilitáte iam venit,
ut a morte redímeret quos prædestinávit ad vitam;
et íterum est in maiestáte ventúrus,
ut remúneret quos redémit.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 5, 12 14/7

Omnes qui sperant in te, læténtur,
in ætérnum exsúltent.
Obumbrábis eis, et gloriabúntur in te,
qui díligunt nomen tuum.

TRANSITORIUM Ps 9, 10-11 14/8

Erit Dóminus refúgium opprésso,
refúgium in opportunitátibus, in tribulatióne.
Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum,
quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

POST COMMUNIONEM 14/9

Quos, Dómine, quǽsumus, spirituálibus épulis satiásti,
æternitátis glória, veniénte Christo, donáre ne rénuas.
Qui vivit.

15 DOMINICA III ADVENTUS

INGRESSA Is 45, 8ab 15/1

Roráte, cæli, désuper
et nubes pluant iustum;
aperiátur terra
et gérminet Salvatórem.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 15/2

Deus, qui hóminem delápsum in mortem
Unigéniti tui advéntu redímere voluísti,
præsta, quǽsumus,
ut, qui gloriósam eius incarnatiónem cum gáudio confiténtur,
ipsíus étiam Redemptóris consórtia mereántur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Is 35, 4 15/3

Consolámini, qui estis pusillánimes,
consolámini, et iam nolíte timére:
ecce Deus noster iudícium retríbuet;
ipse véniet, et salvos nos fáciet.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 15/4

Preces pópuli tui, Dómine, quǽsumus, cleménter exáudi,
ut, qui de Unigéniti tui secúndum carnem lætántur advéntu,
in secúndo, cum vénerit in maiestáte sua,
ætérnæ vitæ prǽmium consequántur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 15/5

Propítius, quǽsumus, Dómine, intuére múnera
quæ tuis altáribus exhibémus,
et quod a nostra fragilitáte defértur
poténti tua virtúte sacrétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 15/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cui veniénti peregrína, spe gaudens, occúrrit Ecclésia,
donec cum ipso, regni mystério consummáto,
in fine váleat ad núptias introíre.

Per ipsum ígitur te ómnia creáta gloríficant,
et cum ángelis nos étiam laudámus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Is 30, 19. 27. 29. 30 15/7

Pópulus Sion, ecce Dóminus véniet ad salvándas gentes,
et audítam fáciet Dóminus glóriam laudis suæ
in lætítia cordis vestri.

TRANSITORIUM Cf. Ps 101, 12; cf. Mt 25, 1-13 15/8

Declínant anni nostri et dies ad finem.
Quia tempus est,
corrigámus nos ad laudem Christi.
Lámpades sint accénsæ,
quia excélsus Iudex venit iudicáre gentes.

POST COMMUNIONEM 15/9

Animæ nostræ, quǽsumus, Dómine,
hoc desidério potiántur,
ut, a tuo accénsi spíritu
et divíno múnere satiáti,
ante conspéctum veniéntis Christi
velut clara luminária fulgeámus.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Phil 4, 5; Is 9, 5. 6 16/1

Dóminus prope est, occúrrite illi, dicéntes:
Magnum princípium, et regni eius non erit finis:
Deus fortis, Dominátor, Princeps pacis.

SUPER POPULUM 16/2

Fámulos tuos, Dómine,
adhuc hóspites et peregrínos in terris,
contínua virtúte proséquere,
ut ad finem firmam spei glóriam fiduciámque retíneant,
et læti ac secúri ingrediántur in réquiem.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 102, 15. 17a 16/3

Homo sicut fenum dies eius,
tamquam flos agri sic efflorébit.
Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 16/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut redemptiónis nostræ ventúra sollémnitas
et præséntis nobis vitæ subsídia cónferat
et ætérnæ beatitúdinis prǽmia largiátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 16/5

Obláta tibi, Dómine,
múnera benígnus assúme,
ut eórum perceptióne expiémur a máculis,
et advéntus Fílii tui glóriam
puris méntibus præstolémur.
Qui vivit.

PRÆFATIO 16/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens,

semper et hoc præcípue témpore grátias ágere,
cum advéntus Christi, effúsa lætítia, mystéria celebrámus.

Memória namque tantæ nobis exhíbitæ caritátis
redemptiónis in carne Fílii tui
procuráta benefícia renovántur,
ut, spei confessióne reténta,
in vita cum ipso regnémus ætérna.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 22, 12-13 16/7

Ecce vénio cito, dicit Dóminus,
et merces mea mecum est,
réddere unicuíque sicut opus eius est.
Ego Alpha et Oméga,
primus et novíssimus,
princípium et finis.

TRANSITORIUM Tit 2, 12c. 13a; cf. 2 Tim 4, 8 16/8

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei.
Corónam iustítiæ reddet iustus Iudex
iis qui díligunt advéntum eius.

POST COMMUNIONEM 16/9

Oblátam grátiam, Dómine, redemptiónis ætérnæ,
nostrárum méntium, quǽsumus, vígili fidelitáte servémus,
ut in Christi revelatióne salútem cum gáudio consequámur.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Iac 5, 7a. 8b. 9c 17/1

Patiéntes estóte, fratres,
usque ad advéntum Dómini,
et confirmáte corda vestra,
quóniam advéntus Dómini appropinquávit,
et Iudex iam ante iánuam assístit.

SUPER POPULUM 17/2

Dona, Deus, Ecclésiæ tuæ advéntum Dómini memoránti
nulla umquam seductióne pervérti,
ut, in salútem suam veritátis caritáte recépta,
eiúsdem glóriam in sanctificatióne spíritus consequátur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 108, 21-22 17/3

Tu, Dómine, Dómine,
fac mecum propter nomen tuum,
quia suávis est misericórdia tua;
líbera me, quia egénus et pauper ego sum,
et cor meum vulnerátum est intra me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 17/4

Preces pópuli tui, Dómine, cleménter exáudi,
ut, auxílio tuæ grátiæ confirmátus,
in réquiem tuam íngredi patiéntia fidéque festínet.
Per Christum.

SUPER OBLATA 17/5

Altári tuo, Dómine, múnera nostra inférimus supplicántes,
ut famulátum nostrum tibi semper accéptum
et sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

PRÆFATIO 17/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Unigénitum tuum, pro nobis in carne ventúrum
ac de Vírgine nascitúrum prophéticis vócibus promisísti,
et in novíssimis tempóribus, quæ promíseras, adimplésti.

Quem, innováto gáudio, mundum crédimus redemísse,
rursúsque ventúrum ad iudícium profitémur.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Tit 2, 13; Ap 22, 20 17/7

Læti exspectámus advéntum tuum:
Veni, Dómine Iesu.
Qui es ante sǽcula et non horruísti mortálem natúram.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 1, 7-8 17/8

Exspectámus revelatiónem tuam, Dómine Salvátor;
confírma nos usque in finem sine crímine,
in die advéntus tui.

POST COMMUNIONEM 17/9

Partícipes Christi mysteriórum effécti,
tibi, Dómine, supplicámus,
ut, crescéntes iúgiter in salútem,
spem usque ad finem sollicítius expleámus.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. 2 Cor 5, 6; Ps 105, 4 18/1

Ambulántes in Christo et adhuc peregrinántes,
donec perveniámus, clamémus:
O rex géntium et desiderátus eárum,
veni et salva hóminem, quem de limo formásti.
Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo.

SUPER POPULUM 18/2

Fámuli tui, Dómine, quǽsumus, patérno solácio muniántur,
quo, spem propósitam tenéndo secúri,
ad ætérnam domum possint perseveránter incédere.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 102, 15. 17a 18/3

Homo sicut fenum dies eius,
tamquam flos agri sic efflorébit.
Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 18/4

Supplicatiónibus nostris,
Deus, propitiáre cleménter,
ac tribulántibus, quǽsumus, tuæ concéde pietátis auxílium,
et eos de tui veniéntis Fílii præséntia consoláre.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 18/5

Tua, Dómine, quǽsumus, maiestáte sanctífica
quod de tuis accépimus munus oblátum,
ut per ipsum hereditátem valeámus possidére futúram.
Per Christum.

PRÆFATIO 18/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
humánæ natúræ cónditor et redémptor.

Qui perpétuæ virginitátis in útero
Verbum tuum carnem súmere voluísti,
ut ipse Unigénitus tuus, nostra humanitáte suscépta,
suo nos divíno consórtio mirabíliter sociáret.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 18/7

Qui omnes hómines in regnum tuum adunáre voluísti,
veni ad congregándos eos,
qui vultus tui visiónem exspéctant.

TRANSITORIUM 18/8

Veni, Dómine, et sapiéntiæ tuæ illúmina splendóre,
quos in ténebris et umbra mortis cónspicis detinéri.
Qui humiliátus iniquitátem nostram abstulísti,
gloriósus beatitúdinis prǽmia nobis largíre.

POST COMMUNIONEM 18/9

Deus, qui nunc córporis Christi et sánguinis sacraméntis
iam promíssa largíris,
concéde, ut sancta conversatióne diem Dómini properántes,
in cælis demum percipiámus ætérna.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Phil 4, 5; Is 9, 5. 6 19/1

Dóminus prope est, occúrrite illi, dicéntes:
Magnum princípium, et regni eius non erit finis:
Deus fortis, Dominátor, Princeps pacis.

SUPER POPULUM 19/2

Concéde nobis, Pater omnípotens,
ut, dignos fructus pæniténtiæ proferéntes,
veniénti Christo viam præparémus impénsius
tuúmque Salutáre felíciter videámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 108, 21-22 19/3

Tu, Dómine, Dómine,
fac mecum propter nomen tuum,
quia suávis est misericórdia tua;
líbera me, quia egénus et pauper ego sum,
et cor meum vulnerátum est intra me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 19/4

Festína, quǽsumus, Dómine Iesu, neque tardáveris,
ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur,
qui in tua fidéliter pietáte confídunt.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 19/5

Deus, cui summum sacrifícium est
in consciéntia pura sincéra diléctio,
oblatiónes nostras propitiátus assúme,
ut, múnere tui Spíritus sacrátæ, perpétuæ profíciant caritáti.
Per Christum.

PRÆFATIO 19/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum,
qui ventúrus est nobis neque tardábit.

Tu enim ex fide vivéntibus in diem æternitátis solácium tribuísti,
et hereditátem incorruptíbilem promisísti conservátam in cælis.

Quam ergo, exsultatúri glorificáta lætítia,
mente pervígiles exspectántes,
iam cum sanctis et ángelis tuis una te collaudámus voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 22, 12-13 19/7

Ecce vénio cito, dicit Dóminus,
et merces mea mecum est,
réddere unicuíque sicut opus eius est.
Ego Alpha et Oméga,
primus et novíssimus,
princípium et finis.

TRANSITORIUM Tit 2, 12c. 13a; cf. 2 Tim 4, 8 19/8

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei.
Corónam iustítiæ reddet iustus Iudex
iis qui díligunt advéntum eius.

POST COMMUNIONEM 19/9

Præsta, quǽsumus, Deus, refectis convívio salutári,
ut, quæ bona de tua largitáte percépimus,
iúgiter secúra fide in vitam teneámus ætérnam.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Iac 5, 7a. 8b. 9c 20/1

Patiéntes estóte, fratres,
usque ad advéntum Dómini,
et confirmáte corda vestra,
quóniam advéntus Dómini appropinquávit,
et Iudex iam ante iánuam assístit.

SUPER POPULUM 20/2

Omnípotens Christe, Fili Dei, in die nativitátis tuæ
ad salvándum in te pópulum descénde propítius,
ut, benignitáte sólita miserátus,
ab omni dubietáte et metu témporis
nos iúbeas liberári.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM Ps 102, 15. 17a 20/3

Homo sicut fenum dies eius,
tamquam flos agri sic efflorébit.
Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 20/4

Excita, Dómine, corda nostra
ad præparándas Unigéniti tui vias,
ut eius advéntu
purificátis tibi méntibus servíre mereámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 20/5

Oblatiónibus nostris, Dómine, quǽsumus,
benedícere sic dignéris,
ut, ex eis libántes, mundémur a crímine,
et tuam grátiam mereámur sine fine percípere.
Per Christum.

PRÆFATIO 20/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, Pater omnípotens, grátias ágere,
et exsultántibus ánimis dies istos advéntus suscípere Salvatóris.

Quem nobis factum in carne inenarrábili pietáte misísti,
ut, quómodo per hóminem victum in mortem decídimus,
per hóminem victórem íterum ascendámus in vitam.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Tit 2, 13; Ap 22, 20 20/7

Læti exspectámus advéntum tuum:
Veni, Dómine Iesu.
Qui es ante sǽcula et non horruísti mortálem natúram.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 1, 7-8 20/8

Exspectámus revelatiónem tuam, Dómine Salvátor;
confírma nos usque in finem sine crímine,
in die advéntus tui.

POST COMMUNIONEM 20/9

Mortis et resurrectiónis Fílii tui mystério frequentáto,
a carnálibus desidériis, Dómine, donec véniat, abstinéntes,
animárum reportémus in glóriæ revelatióne salútem.
Per Christum.

INGRESSA Cf. 2 Cor 5, 6; Ps 105, 4 21/1

Ambulántes in Christo et adhuc peregrinántes,
donec perveniámus, clamémus:
O rex géntium et desiderátus eárum,
veni et salva hóminem, quem de limo formásti.
Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo.

SUPER POPULUM 21/2

Maiestátem tuam, Dómine, humíliter exorámus,
ut nos Unigéniti tui in præsénti sæculo ita respéctus illústret,
quáliter culpis ómnibus emundátos
secúndus invéniat eius advéntus.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 108, 21-22 21/3

Tu, Dómine, Dómine,
fac mecum propter nomen tuum,
quia suávis est misericórdia tua;
líbera me, quia egénus et pauper ego sum,
et cor meum vulnerátum est intra me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 21/4

Aspice, Christe, Redémptor noster, et veni,
ut nos de profúndo iniquitátis erípias,
ac perpétuam Ecclésiæ tuæ
tranquillitátem pacémque concédas.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 21/5

Misericórdiæ tuæ donis, omnípotens Deus, placátus inténde,
ut mundo corde rectáque mente sumptúris
æternitátis heréditas confirmétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 21/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum,
cuius præstolámur advéntum.

Qui sic est dignátus úterum Vírginis introíre,
ut et nobis viam salútis offérret
et a tuæ deitátis numquam maiestáte deésset.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 21/7

Qui omnes hómines in regnum tuum adunáre voluísti,
veni ad congregándos eos,
qui vultus tui visiónem exspéctant.

TRANSITORIUM 21/8

Veni, Dómine, et sapiéntiæ tuæ illúmina splendóre,
quos in ténebris et umbra mortis cónspicis detinéri.
Qui humiliátus iniquitátem nostram abstulísti,
gloriósus beatitúdinis præmia nobis largíre.

POST COMMUNIONEM 21/9

Ecclésiam tuam, Dómine, huius mensæ Christi partícipem
ab omni sǽculi malignitáte custódi,
ut, pura tibi fidelitáte serváta,
ad cenam nuptiárum Agni vocétur ætérnam.
Qui vivit.

INGRESSA Lc 1, 68-69a. 70 22/1

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ
et eréxit cornu salútis nobis,
sicut locútus est per os sanctórum,
qui a sæculo sunt, prophetárum eius.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 22/2

Verbi tui nos, quǽsumus, Pater, advéntus illúminet,
et a sórdibus peccatórum cleménter emúndet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Sof 3, 16-17a 22/3

Noli timére, Sion;
non dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 22/4

Prævéniat nos, omnípotens Deus,
grátia tua semper ac subsequátur,
ut, qui advéntum Unigéniti tui
summo cordis desidério sustinémus,
et præséntis vitæ subsídia
et futúræ páriter consequámur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 22/5

Sacrifíciis nostris, quǽsumus, Dómine,
quæ reverénter offérimus,
sanctificatiónem tuam benígnus infúnde,
qua ex his sumptúri æternitátis glóriam hauriámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 22/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Dómine, sancte Pater omnípotens, grátias ágere,
et nostræ libertátis advéntum cum lætítia celebráre.

Per Verbum enim tuum
hóminem in sanctitáte creátum,
lapsum miserabíliter in delíctum,
ad spem salútis erexísti redemptióne promíssa.

Ipsum vero nobis suo témpore in tua pietáte misísti,
ut, cum homínibus conversándo, Patris íntima nuntiáret,
et a peccáti morte solútos in vitam suscitáret ætérnam.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 22/7

O Emmánuel, rex et légifer noster,
exspectátio géntium et salvátor eárum:
veni ad salvándum nos, Dómine, Deus noster.

TRANSITORIUM Ps 61, 3a. 6b. 8b. 9ab 22/8

Ipse Deus refúgium meum et salutáre meum,
ab ipso patiéntia mea.
Deus fortitúdinis meæ, et refúgium meum in Deo est:
Speráte in eo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra.

POST COMMUNIONEM 22/9

Quǽsumus, Deus, pígnore sumpto redemptiónis ætérnæ,
ut, quanto magis dies salutíferæ nativitátis accédit,
tanto devótius proficiámus
ad hoc Fílii tui digne mystérium celebrándum.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 24, 5. 3a 23/1

Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus meus
et te sustínui tota die.
Etenim univérsi, qui te exspéctant,
non confundéntur.

SUPER POPULUM 23/2

**Dignáre, Dómine, supplícibus adésse propítius,
et Ecclésiæ tuæ misericórdiam, quam confitétur, osténde,
Unigéniti tui maniféstans mirábile sacraméntum.
Qui tecum vivit.**

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 23/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 23/4

**Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Fílii tui ventúra sollémnitas
et præséntis vitæ remédia largiátur
et prǽmia nobis ætérna concédat.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 23/5

**Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis,
et cæléstibus nos munda mystériis,
et cleménter exáudi.
Per Christum.**

PRÆFATIO 23/6

**Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes,
per Christum Dóminum nostrum.**

Cuius incarnatióne salus est mundo pérdito comparáta,
et passióne hómini peccatóri procuráta redémptio.
Cuius humilitáte mortálitas est ad vitam erécta,
et sublimitáte fragílitas a malis ómnibus præmuníta.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 105, 4-5 23/7

Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo,
ut videámus bona electórum tuórum,
ut lætémur in lætítia gentis tuæ,
ut gloriémur cum hereditáte tua.

TRANSITORIUM Mich 7, 7. 8c. 9c 23/8

Ego ad Dóminum aspíciam,
exspectábo Deum salvatórem meum;
áudiet me Deus meus.
Dóminus lux mea est.
Edúcet me in lucem,
vidébo iustítiam eius.

POST COMMUNIONEM 23/9

Quǽsumus, Dómine, Deus noster, ut sacrosáncta mystéria,
quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti,
et præsens nobis remédium esse fácias et futúrum.
Per Christum.

INGRESSA Is 35, 4d. 3-4ab 24/1

Ecce Deus ipse véniet et salvábit nos.
Confortáte manus dissolútas
et génua debília roboráte.
Dícite pusillánimis:
Confortámini, nolíte timére.

SUPER POPULUM 24/2

Excita, Dómine, quǽsumus, poténtiam tuam et veni,
ut ab imminéntibus nostrórum perículis peccatórum
te mereámur protegénte éripi,
te liberánte salvári.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 24/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 24/4

Inenarrábilem poténtiæ tuæ, Deus, exténde virtútem,
et pópulo tuo supplicánti
per Fílii tui præséntiam defénsor accéde,
ut ad votíva desidéria, ipso iuvánte, pervéniat.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 24/5

Sacrifícium tibi, Dómine, celebrándum placátus inténde,
quod et nos a vítiis nostræ condiciónis emúndet
et tuo semper nómini reddat accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 24/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mundi ténebras lucis suæ fugávit advéntu,
et viam nobis in seípso veritátis osténdit,
per quam immortális vitæ beatitúdinem consequámur.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Is 26, 8-9 24/7

In sémita iudiciórum tuórum, Dómine, sperávimus in te;
ad nomen tuum et ad memoriále tuum desidérium ánimæ.
Anima mea desíderat te in nocte,
sed et spíritu meo in præcórdiis meis te quæro.

TRANSITORIUM Is 25, 9b-d 24/8

Ecce Deus noster iste,
exspectávimus eum, ut salváret nos;
iste Dóminus, sustinúimus eum:
exsultábimus et lætábimur in salutári eius.

POST COMMUNIONEM 24/9

Sacrosáncti córporis et sánguinis Dómini nostri Iesu Christi
refectióne vegetáti,
omnípotens Deus, súpplices te rogámus,
ut hoc remédium singuláre
ab ómnium peccatórum nos contagióne puríficet.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Is 41, 10 25/1

Ne tímeas, quia ego tecum sum;
ne declínes, quia ego Deus tuus:
confortábo te et auxiliábor tibi
et sustentábo te déxtera iustítiæ meæ.

SUPER POPULUM 25/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut advéntus gloriosíssimi Fílii tui
et ábluat nostra peccáta
et pópulo tuo pacem cónferat ac salútem.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 25/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 25/4

Exáudi preces pópuli tui, omnípotens Deus,
et, radiánte de cælo iustítia,
omnis gérminet terra lætítiam,
ut in Fílii tui mundi redemptóris advéntu
desiderántes ánimæ nostræ
benedictióne pinguíssima repleántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 25/5

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacris péragat institúta mystériis
et salutáre tuum nobis mirabíliter operétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 25/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Cuius Verbi ætérnitas cæli fáciem decorávit,
et Vírginis úterum domínicæ carnis glória fecundávit,
ut splendor novæ lucis ómnibus apparéret,
et salus humáni géneris de castis viscéribus adveníret.

Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum ómnibus agmínibus angelórum
clamámus in gáudio, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 33, 2 25/7

Dómine, miserére nostri,
te enim exspectávimus;
esto bráchium nostrum in mane
et salus nostra in témpore tribulatiónis.

TRANSITORIUM Is 38, 17bc. 20 25/8

Dómine, eruísti ánimam meam a fóvea consumptiónis,
proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.
Dómine, salvum me fac,
et ad sonum cítharæ cantábimus
cunctis diébus vitæ nostræ
in domo Dómini.

POST COMMUNIONEM 25/9

Ecclésiam tuam in terris iúgiter laborántem
córporis Christi, Dómine, sacraméntum enútriat,
donec in pátria ætérno gáudio perfruátur.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 24, 5. 3a 26/1

Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus meus
et te sustínui tota die.
Etenim univérsi, qui te exspéctant,
non confundéntur.

SUPER POPULUM 26/2

Tríbue, quǽsumus, Pater omnípotens atque clemens,
ut devótis méntibus divínum exspectémus advéntum,
quo Vírginis partus de Spíritu sancto
nobis géneret Salvatórem.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 26/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 26/4

Reple bonis, Dómine, terram tuam
Redemptóris sui præséntiam cupiéntem,
ut, circúmdata grátia consolatiónis ætérnæ,
plebs tua cæléstí permáneat auxílio gubernáta.
Per Christum.

SUPER OBLATA 26/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera
quæ de tuis benefíciis colláta deférimus,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 26/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui lætítiam et pacem de sua plenitúdine
pópulis ómnibus impertívit,
ac suæ splendóre veritátis
enarrávit divína mystéria.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 105, 4-5 26/7

Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo,
ut videámus bona electórum tuórum,
ut lætémur in lætítia gentis tuæ,
ut gloriémur cum hereditáte tua.

TRANSITORIUM Mich 7, 7. 8c. 9c 26/8

Ego ad Dóminum aspíciam,
exspectábo Deum salvatórem meum;
áudiet me Deus meus.
Dóminus lux mea est.
Edúcet me in lucem,
vidébo iustítiam eius.

POST COMMUNIONEM 26/9

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

INGRESSA Is 35, 4d. 3-4ab 27/1

Ecce Deus ipse véniet et salvábit nos.
Confortáte manus dissolútas
et génua debília roboráte.
Dícite pusillánimis:
Confortámini, nolíte timére.

SUPER POPULUM 27/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui per advéntum Unigéniti tui
mundum tuæ maiestáti reconciliáre dignátus es,
tríbue, quǽsumus, ut, a peccatórum vínculis absolúti,
domínicæ mystéria nativitátis casta lætítia celebrémus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 69, 5 27/3

Exsúltent et læténtur in te omnes,
qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Deus,
qui díligunt salutáre tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 27/4

**Desideránti pópulo tuo, quǽsumus, Dómine,
concéde propítius,
ut Redemptóris sui advéntum cum devotióne suscípiat,
et ab eo cæléstia dona
in benedictiónis plenitúdine consequátur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 27/5

**Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.**

PRÆFATIO 27/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
et hoc præcípue témpore, tibi, Pater, laudes reférre devótas,
cum Christi Fílii tui nativitátis sollémnia prævenímus,
ut, dum primum advéntum cum iucunditáte recólimus,
mentes quoque vígiles ad exspectatiónem secúndi
cum fidúcia dirigámus.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
húmili tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 26, 8-9 27/7

In sémita iudiciórum tuórum, Dómine, sperávimus in te;
ad nomen tuum et ad memoriále tuum desidérium animæ.
Anima mea desíderat te in nocte,
sed et spíritu meo in præcórdiis meis te quæro.

TRANSITORIUM Is 25, 9b-d 27/8

Ecce Deus noster iste,
exspectávimus eum, ut salváret nos;
iste Dóminus, sustinúimus eum:
exsultábimus et lætábimur in salutári eius.

POST COMMUNIONEM 27/9

Sit plebi tuæ, Dómine,
divíni participátio mystérii continuáta defénsio,
ut, maiestáti tuæ plena devotióne subiécta,
salvatiónem mentis et córporis affluénter accípiat.
Per Christum.

INGRESSA Is 41, 10 28/1

Ne tímeas, quia ego tecum sum;
ne declínes, quia ego Deus tuus:
confortábo te et auxiliábor tibi,
et sustentábo te déxtera iustítiæ meæ.

SUPER POPULUM 28/2

Ipse nos, quǽsumus, Dómine, ad prǽmium perdúcat ætérnum,
qui nos redémit de ténebris infernórum,
et iustíficet in advéntu secúndo
qui nos Christus redémit in primo.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 71, 18-19 28/3

Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus.
Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum;
et replébitur maiestáte eius omnis terra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 28/4

Deus, qui hóminem olim pérditum
nativitátis tuæ lúmine perfudísti,
concéde propítius,
ut, quos tantæ salútis benefício munerásti,
nullis malórum patiáris subiacére perículis.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 28/5

Sanctífica, quǽsumus, Dómine, pópuli tui dona colláta,
ut, sacro commércio roborátus,
Christi Fílii tui advéntum fiduciáliter váleat exspectáre.
Qui vivit.

PRÆFATIO 28/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

qui, tui Spíritus habéntes ex ineffábili caritáte primítias,
iam in Christo divínam adoptiónem accépimus filiórum,
et per patiéntiam póssumus glóriam exspectáre promíssam.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 33, 2 28/7

Dómine, miserére nostri,
te enim exspectávimus;
esto bráchium nostrum in mane
et salus nostra in témpore tribulatiónis.

TRANSITORIUM Is 38, 17bc. 20 28/8

Dómine, eruísti ánimam meam a fóvea consumptiónis,
proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.
Dómine, salvum me fac,
et ad sonum cítharæ cantábimus
cunctis diébus vitæ nostræ
in domo Dómini.

POST COMMUNIONEM 28/9

In médio templi tui misericórdia et veritáte suscépta,
redemptiónis nostræ, Dómine, ventúra sollémnia
cóngruis honóribus præcedámus.
Per Christum.

29 DOMINICA V ADVENTUS

INGRESSA Cf. Ps 79, 2-4. 15 29/1
Qui sedes super Chérubim, appáre;
éxcita poténtiam tuam, et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.
Deus virtútum, convérte nos,
réspice de cælo et vide,
et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 29/2

**Aspice de cælo, Deus, et veni,
et fidem pópuli tui pietatémque multíplica,
ut per te sequátur augméntum,
per quem sumpsit inítium.
Qui vivis et regnas.**

POST EVANGELIUM Sof 3, 16-17a 29/3
Noli timére, Sion;
non dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 29/4

**Exspectántibus te, Dómine, in veritáte, prope sic esto,
ut illis de thesáuro divinitátis imménso
indeficiéntes tríbuas divítias bonitátis.
Qui vivis.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 29/5

**Deus, qui in Christi humanitáte
tibi nos in pace reconciliáre dignátus es,
oblatiónes nostras súscipe miserátus,
et concórdes ínvicem fámulos tuos
præsta iúgiter permanére.
Per eúndem Christum.**

PRÆFATIO 29/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
et exsultántibus te ánimis prædicáre,
quia appropínquat nostra redémptio,
exspectátio géntium venit antíqua,
adest promíssa resurréctio mortuórum,
iamque beatórum gáudium præfúlget ætérnum.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM 29/7

Crédite Salvatórem nostrum ventúrum esse cum glória,
et vos estóte paráti suscípere regnum Dei.

TRANSITORIUM Cf. Ps 39, 2-3; Tob 5, 13 29/8

Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi:
ecce iam in próximo est redémptio nostra.
Exaudívit preces meas
et diréxit gressus meos.

POST COMMUNIONEM 29/9

Da, Pater omnípotens, tuæ votis precibúsque famíliæ,
ut, quæ salútis convívio iam tua propinquitáte lætátur,
in cæléstí mansióne tecum in sæcula collocétur.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ag 2, 8 30/1

Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.
Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

SUPER POPULUM 30/2

Fidélium tuórum cáritas, quǽsumus, Pater,
in omnes semper abúndet,
ut, sine queréla in sanctitáte vivéntes,
sua corda séntiant in advéntu Dómini confirmári.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 30/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 30/4

Cæli terræque dominátor, Deus,
ad oratiónem famíliæ tuæ inténde propítius,
et, veniénti Unigénito tuo
pia vota sólvere cupiéntem,
benignitáte tua placátus exáudi.
Per Christum.

SUPER OBLATA 30/5

Deus, qui mysteriórum tuórum
dignánter operáris efféctus,
præsta, quǽsumus, ut, sacris apta munéribus,
fiant et nobis salutária nostra servítia.
Per Christum.

PRÆFATIO 30/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Qui Pater es nobis pietáte miránda,
cum Dóminus imménsa potestáte permáneas;
quóniam, quos servos orígo reddíderat,
dignátus es in fílios adoptáre,
et, quos demérserat generátio terréstris in mortem,
regenerátio cæléstis eréxit ad vitam,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 30/7

Vere véniet Christus,
et in manu eius píetas et misericórdia.
Salus nostra cito véniet,
et commínuet iugum captivitátis nostræ.

TRANSITORIUM Cf. Lc 12, 36; cf. Mt 24, 44 30/8

Paráti simus, símiles homínibus exspectántibus dóminum,
quando revertátur a núptiis, et clamémus:
Veni, Dómine, et noli tardáre,
miserére nobis pósitis in sǽculi fine.

POST COMMUNIONEM 30/9

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
te, Dómine, súpplices deprecámur,
ut huius participatióne mystérii
dóceas nos sapiénter terréna perpéndere
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

INGRESSA Is 55, 6-7ab 31/1

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest;
invocáte eum, dum prope est.
Derelínquat ímpius viam suam,
et vir iníquus cogitatiónes suas;
et revertátur ad Dóminum.

SUPER POPULUM 31/2

Omnípotens et miséricors Deus,
in tui occúrsum Fílii festinántes
nulla ópera terrénæ delectatiónis impédiant,
sed sapiéntiæ cæléstis erudítio
nos eius fáciat esse consórtes.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 31/3

Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 31/4

Tuórum, Dómine, propítius inténde précibus famulórum,
ut, qui Redemptóris mundi præstolámur advéntum,
eius capiámus prǽmium sempitérnum.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 31/5

Ecclésiæ tuæ, Dómine, dona sanctífica,
et concéde, ut per hæc veneránda mystéria
pane cælésti réfici mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 31/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ad spei sustinéntiam
hos sacros dies perágere tuæ concédis Ecclésiæ,
ut sicut fílii lucis vigilántes ambulémus ac sóbrii,
et cum Christo tandem vivámus in sǽcula.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Is 12, 2 31/7

Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

TRANSITORIUM Cf. Is 66, 13-14 31/8

Sicut mater consolátur fílios suos,
ita consolábor vos, dicit Dóminus;
véniet vobis Salvátor,
et vidébitis et gaudébit cor vestrum.

POST COMMUNIONEM 31/9

Effécti cenæ Christi tua pietáte partícipes,
te súpplices, Dómine, deprecámur,
ut eius esca et sánguine roboráta
cuncta nostra fratérnitas copulétur.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Is 56, 1; 62, 1 32/1

Hæc dicit Dóminus:
Custodíte iudícium et fácite iustítiam,
quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur.
Egrediátur ut splendor Iustus tuus, Dómine,
et Salvátor noster ut lampas accendátur.

SUPER POPULUM 32/2

Deus, qui cónspicis pópulum tuum
natális domínici festivitátem fidéliter exspectáre,
præsta, quǽsumus,
ut valeámus ad tantæ salútis gáudia perveníre,
et eam votis sollémnibus álacri semper lætítia celebráre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 32/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 32/4

Esto nobis, Dómine,
desiderábilis virtus et protéctio salutáris,
ut futúra, quam optámus, natívitas Salvatóris
lætítiam ómnibus et pleníssimam cónferat sanitátem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 32/5

Inténde, quǽsumus, Dómine, sacrifícium singuláre,
ut huius participatióne mystérii
quæ speránda crédimus, exspectáta sumámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 32/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, Deus omnípotens, benedícere,
quos patérna disposuísti miseratióne fovére.

Tibi enim genus humánum advéntu reconciliáre domínico voluísti,
et iúgiter salútem in vita Christi præbére dignáris.

Unde et nos tibi grátias ágimus exsultántes,
et tuas virtútes prædicámus,
cum ángelis sanctísque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 5, 12 32/7

Omnes qui sperant in te, læténtur,
in ætérnum exsúltent.
Obumbrábis eis, et gloriabúntur in te,
qui díligunt nomen tuum.

TRANSITORIUM Ps 9, 10-11 32/8

Erit Dóminus refúgium opprésso,
refúgium in opportunitátibus, in tribulatióne.
Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum,
quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

POST COMMUNIONEM 32/9

Róboret nos, Dómine, tui percéptio sacraménti,
ut veniénti Salvatóri
mereámur dignis cum opéribus obviáre,
et beatitúdinis felíciter prǽmia promeréri.
Per Christum.

A die 17 ad diem 24 decembris adhibentur missæ in feriis « ante Nativitatem » iuxta ordinem progredientem, die dominico non computato.

33 FERIA V HEBDOMADÆ V ADVENTUS

INGRESSA Cf. Ag 2, 8 33/1

Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.
Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

SUPER POPULUM 33/2

Fac nos, quǽsumus, Deus noster,
advéntum Christi Fílii tui sollícitos exspectáre,
ut, dum vénerit pulsans, oratióne pervígiles
et in suis invéniat láudibus exsultántes.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 33/3

Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 33/4

Supplicatiónibus nostris, Dómine Deus, esto propítius,
tuíque advéntu Fílii suffragánte,
preces nostras dignánter exáudi.
Per Christum.

SUPER OBLATA 33/5

Ecclésiæ tuæ, Dómine, múnera placátus assúme,
quæ et miséricors offerénda tribuísti
et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium.
Per Christum.

PRÆFATIO 33/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In cuius advéntu omnis de captivitáte terra redímitur,
et nostræ carnis fragílitas a vínculis absólvitur peccatórum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 33/7

Vere véniet Christus,
et in manu eius píetas et misericórdia.
Salus nostra cito véniet,
et commínuet iugum captivitátis nostræ.

TRANSITORIUM Cf. Lc 12, 36; cf. Mt 24, 44 33/8

Paráti simus, símiles homínibus exspectántibus dóminum,
quando revertátur a núptiis, et clamémus:
Veni, Dómine, et noli tardáre,
miserére nobis pósitis in sǽculi fine.

POST COMMUNIONEM 33/9

Cælésti múnere satiátis, Dómine,
pacem tuam concéde propítius,
ut Fílio tuo dilectíssimo veniénti
accénsis lampádibus digni præstolémur occúrsum.
Per Christum.

INGRESSA Is 55, 6-7ab 34/1

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest;
invocáte eum, dum prope est.
Derelínquat ímpius viam suam,
et vir iníquus cogitatiónes suas;
et revertátur ad Dóminum.

SUPER POPULUM 34/2

Humáni géneris Cónditor et immaculáte Salvátor,
de incontamináta Vírgine, quǽsumus,
iam pro mundi redemptióne procéde,
ut sentiámus per eándem nos grátiam liberári,
per quam ipse fíeri dignátus es
nobis símilis absque delícto.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 34/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 34/4

Dirigátur, quǽsumus, Dómine,
in conspéctu tuo nostræ petitiónis orátio,
ut ad nativitátis Unigéniti tui salutáre mystérium
nostræ vota servitútis illibáta puritáte pervéniant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 34/5

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 34/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Advéntum enim glóriæ Christi ac nativitátis mystérium
sollémni devotióne recólimus
nostræque salútis insígnia,
quæ tantis sunt proláta virtútibus.

Quaprópter benefícia tua exsultántibus ánimis prædicámus,
cum angelórum exércitu sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Is 12, 2 34/7

Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

TRANSITORIUM Cf. Is 66, 13-14 34/8

Sicut mater consolátur fílios suos,
ita consolábor vos, dicit Dóminus;
véniet vobis Salvátor,
et vidébitis et gaudébit cor vestrum.

POST COMMUNIONEM 34/9

Intra nos, Dómine, dignáre tuæ munus glóriæ custodíre,
ut contra omnes sǽculi præséntis insídias
vitális alimóniæ víribus, quam percépimus, muniámur.
Per Christum.

35 DOMINICA VI ADVENTUS
BEATÆ DEI GENETRICIS SEMPERQUE VIRGINIS MARIÆ

Sollemnitas

INGRESSA Cf. Lc 1, 43 35/1

Vidésne Elísabeth cum Dei genetríce María disputántem:
Quid ad me venísti, mater Dómini mei?
Si enim scirem, in tuum venírem occúrsum.
Tu enim regnatórem portas, et ego prophétam;
tu legem dantem, et ego legem accipiéntem;
tu Verbum, et ego vocem proclamántis advéntum Salvatóris.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 35/2

Deus, qui salútis ætérnæ,
beátæ Maríæ virginitáte fecúnda,
humáno géneri prǽmia præstitísti,
tríbue, quǽsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus,
per quam merúimus auctórem vitæ suscípere.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 35/3

Salvátor noster descéndit de cælo
per Maríæ vírginis úterum.
Ab ángelis collaudátur,
et vocátur Admirábilis, Deus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 35/4

Dómine sancte, Deus ætérne
et humánæ substántiæ creátor omnípotens,
qui Verbum tuum in Vírginis úterum veníre voluísti,
supplicántium tibi preces benígnus inténde.
Per Christum.

Dicitur Credo.
Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 35/5

Altári tuo, Dómine, superimpósita múnera
Spíritus sanctus assúmat,
qui beátæ Maríæ víscera sui splendóris veritáte replévit.
Per Christum.

PRÆFATIO 35/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos beátæ sempérque vírginis Maríæ sollémnia celebráre.

Hæc enim parvo útero Dóminum cæli portávit,
et Redemptórem mundi, ángelo nuntiánte,
Verbum carne mortáli édidit Salvatórem,
qui castis viscéribus est concéptus,
clausa ingrédiens et clausa relínquens.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

vel: 35/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Dómine, Deus omnípotens, grátias ágere,
et cum tuæ invocatióne virtútis
beátæ Maríæ vírginis festa celebráre.

De cuius ventre fructus efflóruit,
qui panis angélici múnere nos replévit.
Quod Eva vorávit in crímine,
María restítuit in salúte.

Inde fusa sunt venéna discríminis,
hinc egréssa mystéria Salvatóris.

Inde se præbuit tentántis iníquitas,
hinc Redemptóris est opituláta maiéstas.

Inde partus occúbuit,
hinc Cónditor resurréxit,
a quo humána natúra, non iam captíva
sed líbera restitúitur.

Quod hæc Adam pérdidit in parénte,
Christo recépit auctóre.

Quem una tecum, omnípotens Pater,
et cum Spíritu sancto laudant ángeli, venerántur archángeli,
throni, dominatiónes, virtútes, principátus et potestátes adórant.

Quem chérubim et séraphim sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
súpplici confessióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 11, 27 35/7

Beátus ille venter, qui te portávit, Christe,
et beáta úbera, quæ te lactavérunt
Dóminum et Salvatórem mundi,
qui pro salúte géneris humáni
carnem assúmere dignátus es.

TRANSITORIUM 35/8

O admirábile commércium!
Creátor géneris humáni,
animátum corpus sumens,
de Vírgine nasci dignátus est,
et, procédens homo sine sémine,
largítus est nobis suam deitátem.

POST COMMUNIONEM 35/9

**Adésto nobis, omnípotens Deus, dilectióne contínua,
ut, quæ fidéliter súmpsimus sacraménta,
beátæ Maríæ, piæ matris et perpétuæ vírginis,
intercessióne servémus.
Per Christum.**

IN FERIIS ANTE NATIVITATEM
I

INGRESSA Cf. Is 56, 1; 62, 1 36/1

Hæc dicit Dóminus:
Custodíte iudícium et fácite iustítiam,
quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur.
Egrediátur ut splendor Iustus tuus, Dómine,
et Salvátor noster ut lampas accendátur.

SUPER POPULUM 36/2

Voci nostræ, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis accómmoda,
et cordis nostri ténebras
grátia Fílii tui nos visitántis illústra.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 101, 26-27ab 36/3

Inítio terram fundásti, Dómine;
et ópera mánuum tuárum sunt cæli.
Ipsi períbunt, tu autem pérmanes;
et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 36/4

Omnípotens sempitérne Deus,
maiestátem tuam súpplices deprecámur,
ut, refulgénte domínicæ carnis advéntu,
ad nostras preces aures prǽbeas miserátus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 36/5

Hæc oblátio, qua divíni cultus nobis est índita plenitúdo,
sit tibi, Dómine, perfécta placátio,
ut nostri Redemptóris exórdia
purificátis méntibus celebrémus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 36/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper, hic et ubíque, grátias ágere,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Deus in humilitáte iam venit,
ut a morte redímeret quos prædestinávit ad vitam;
et íterum est in maiestáte ventúrus,
ut remúneret quos redémit.

Quaprópter benefícia tua exsultántibus ánimis prædicámus,
cum angelórum exércitu sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Ps 5, 12 36/7

Omnes qui sperant in te, læténtur,
in ætérnum exsúltent.
Obumbrábis eis, et gloriabúntur in te,
qui díligunt nomen tuum.

TRANSITORIUM Ps 9, 10-11 36/8

Erit Dóminus refúgium opprésso,
refúgium in opportunitátibus, in tribulatióne.
Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum,
quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

POST COMMUNIONEM 36/9

Quos, Dómine, quǽsumus, spiritálibus épulis satiásti,
æternitátis glória, veniénte Christo, donáre ne rénuas.
Qui vivit.

37 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM II

INGRESSA Cf. Ps 79, 2-4. 15 37/1

Qui sedes super Chérubim, appáre;
éxcita poténtiam tuam, et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.
Deus virtútum, convérte nos,
réspice de cælo et vide,
et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.

SUPER POPULUM 37/2

**Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut magnæ festivitátis ventúra sollémnia
próspero celebrémus efféctu,
paritérque reddámur et inténti cæléstibus disciplínis
et de nostris tempóribus lætióres.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Sof 3, 14-15 37/3

Lauda, fília Sion,
iubiláte, Israel;
lætáre et exsúlta in omni corde,
fília Ierúsalem!
Abstulit Dóminus iudícium tuum,
avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 37/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
nativitátem Fílii tui secúndum carnem propinquáre cernéntes,
quǽsumus, ut nobis indígnis fámulis tuis
misericórdiam Verbum præstet ætérnum,
quod ex vírgine María caro factum
habitávit dignánter in nobis.
Per eúndem Christum.**

SUPER OBLATA 37/5

Servitútis hóstias, quǽsumus, Dómine,
per ipsum tibi possímus offérre,
qui nos in unum sua caritáte coniúnxit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 37/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quem prædixérunt cunctórum præcónia prophetárum,
virgo Mater ineffábili dilectióne sustínuit,
Ioánnes cécinit affutúrum et adésse monstrávit.

Qui suæ nativitátis mystérium tríbuit nos præveníre gaudéntes,
ut et in oratióne pervígiles
et in suis invéniat láudibus exsultántes.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 37/7

Crédite Salvatórem nostrum ventúrum esse cum glória,
et vos estóte paráti suscípere regnum Dei.

TRANSITORIUM Cf. Ps 39, 2-3; Tob 5, 13 37/8

Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi:
ecce iam in próximo est redémptio nostra.
Exaudívit preces meas
et diréxit gressus meos.

POST COMMUNIONEM 37/9

Adésto, quǽsumus, Dómine,
humánæ sacraménto salútis cum exsultatióne reféctis,
ut, illibáta devotióne serváta,
ad diem iudícii confidéntes propinquáre possímus.
Per Christum.

38 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM
III

INGRESSA Cf. Ps 112, 4 38/1

Omnípotens Dei Spíritus illuminátor est,
et sic illúminat eos, qui recti sunt corde,
et sicut lúcifer oriétur.
Excélsus Dóminus super omnes gentes,
et super cælos glória eius.

SUPER POPULUM 38/2

Præpara, quǽsumus, Dómine Deus noster,
corda nostra virtúte divína,
ut, veniénte Christo Fílio tuo,
vitæ digni convívio inveniámur ætérnæ,
et cibum cæléstem, ipso ministránte,
percípere mereámur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Sof 3, 16-17a 38/3

Noli timére, Sion;
non dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 38/4

Deus, qui, ad liberándum hóminem a vetustátis condicióne,
Unigénitum tuum cum benignitáte misísti,
largíre devóte exspectántibus
supérnæ tuæ múnera pietátis,
ut veræ libertátis prǽmia consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 38/5

Hæc tibi, Dómine, obláta sacrifícia copiósa benedictióne sanctífica,
ut fámuli tui, cum fidelitáte suméntes,
pietátis tuæ visitatióne relevéntur.
Per Christum.

PRÆFATIO 38/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
et advéntum Unigéniti tui summo cordis desidério sustinére.

Ad nos enim sæculórum fines tua providéntia pervenérunt,
et vere fílii Dei nominámur et sumus
pígnore iam hereditátis accépto,
qua, cum erit ipse visus in glória,
apérta revelatióne potiémur.

Quaprópter benefícia tua exsultántibus ánimis prædicámus,
cum angelórum exércitu sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Zach 9, 9; Lc 4, 18 38/7

Gaude, Sion, in Dómino.
Lætáre et exsúlta, Ierúsalem,
quia rex tuus véniet Christus,
sanáre contrítos corde.

TRANSITORIUM Ps 35, 8-10 38/8

Quam pretiósa misericórdia tua, Deus!
Fílii autem hóminum in tégmine alárum tuárum sperábunt;
inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ,
et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.
Quóniam apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

POST COMMUNIONEM 38/9

Refécti córporis et sánguinis Dómini vivíficis sacraméntis,
eius quoque, Deus omnípotens, obsecrámus,
ut imitatóres efficiámur benigníssimæ caritátis.
Per Christum.

39 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM IV

INGRESSA Lc 1, 68-69a. 70 39/1

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ
et eréxit cornu salútis nobis
sicut locútus est per os sanctórum,
qui a sǽculo sunt, prophetárum eius.

SUPER POPULUM 39/2

Deus, cuius ineffábile Verbum,
ángelo nuntiánte, Virgo immaculáta suscépit,
et, domus divinitátis effécta,
sancti Spíritus est luce repléta,
quǽsumus, ut eius exémplo
tuæ nos voluntáti valeámus húmiles adhærére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Sof 3, 14-15 39/3

Lauda, fília Sion,
iubiláte, Israel;
lætáre et exsúlta in omni corde,
fília Ierúsalem!
Abstulit Dóminus iudícium tuum,
avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 39/4

Excita poténtiam tuam, Deus, et veni,
et, quod Ecclésiæ tuæ usque in finem sǽculi promisísti,
fidélis atque benígnus operáre.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 39/5

Hæc libámina, quǽsumus, Dómine,
tibi sacránda, benígnus assúme,
et, in mundum Fílio tuo nova nativitáte pergénte,
nobis misericórdiæ tuæ dona largíre.
Per Christum.

PRÆFATIO 39/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos in advéntu prióre per suam grátiam reparávit,
et in secúndo datúrum se regna promísit,
nobis cum suis ángelis possidénda.

Unde et nos, Dómine, cum cælítibus cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 39/7

O Emmánuel, rex et légifer noster,
exspectátio géntium et salvátor eárum:
veni ad salvándum nos, Dómine, Deus noster.

TRANSITORIUM Ps 61, 3a. 6b. 8b. 9ab 39/8

Ipse Deus refúgium meum et salutáre meum.
Ab ipso patiéntia mea.
Deus fortitúdinis meæ, et refúgium meum in Deo est:
Speráte in eo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra.

POST COMMUNIONEM 39/9

Cæléesti, Deus omnípotens, cibo potúque refécti,
quǽsumus, ut, quos tanta dignos pietátis grátia voluísti,
ætérna quoque tales remuneratióne percénseas.
Per Christum.

40 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM
V

INGRESSA Cf. Ps 79, 2-4. 15 40/1

Qui sedes super Chérubim, appáre;
éxcita poténtiam tuam, et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.
Deus virtútum, convérte nos,
réspice de cælo et vide,
et veni, Dómine,
ut salvos fácias nos.

SUPER POPULUM 40/2

**Aspice de cælo, Deus, et veni,
et fidem pópuli tui pietatémque multíplica,
ut per te sequátur augméntum,
per quem sumpsit inítium.
Qui vivis et regnas.**

POST EVANGELIUM Sof 3, 16-17a 40/3

Noli timére, Sion;
non dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 40/4

**Exspectántibus te, Dómine, in veritáte, prope sic esto,
ut illis de thesáuro divinitátis imménso
indeficiéntes tríbuas divítias bonitátis.
Qui vivis.**

SUPER OBLATA 40/5

**Deus, qui in Christi humanitáte
tibi nos in pace reconciliáre dignátus es,
oblatiónes nostras súscipe miserátus,
et concórdes ínvicem fámulos tuos
præsta iúgiter permanére.
Per eúndem Christum.**

PRÆFATIO 40/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
et exsultántibus te ánimis prædicáre,
quia appropínquat nostra redémptio,
exspectátio géntium venit antíqua,
adest promíssa resurréctio mortuórum,
iamque beatórum gáudium præfúlget ætérnum.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM 40/7

Crédite Salvatórem nostrum ventúrum esse cum glória,
et vos estóte paráti suscípere regnum Dei.

TRANSITORIUM Cf. Ps 39, 2-3; Tob 5, 13 40/8

Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi:
ecce iam in próximo est redémptio nostra.
Exaudívit preces meas
et diréxit gressus meos.

POST COMMUNIONEM 40/9

Da, Pater omnípotens, tuæ votis precibúsque famíliæ,
ut, quæ salútis convívio iam tua propinquitáte lætátur,
in cæléstí mansióne tecum in sǽcula collocétur.
Per Christum.

41 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM
VI

INGRESSA Cf. Ps 112, 4 41/1

Omnípotens Dei Spíritus illuminátor est,
et sic illúminat eos, qui recti sunt corde,
et sicut lúcifer oriétur.
Excélsus Dóminus super omnes gentes,
et super cælos glória eius.

SUPER POPULUM 41/2

**Consciéntias nostras, quǽsumus, omnípotens Deus,
visitándo purífica,
ut véniens Fílius tuus, Dóminus ac Redémptor,
parátam sibi invéniat mansiónem.
Qui tecum vivit.**

POST EVANGELIUM Sof 3, 14-15 41/3

Lauda, fília Sion,
iubiláte, Israel;
lætáre et exsúlta in omni corde,
fília Ierúsalem!
Abstulit Dóminus iudícium tuum,
avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 41/4

**Adiuva, quǽsumus, Dómine,
plebem tuam benignitáte perénni,
et ad nativitátem tui Fílii gloriósam
tríbue nos páriter veníre gaudéntes.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 41/5

**Hæc libámina, Dómine, quæ húmili mente detúlimus,
ita grátiæ tuæ dulcédo sanctíficet,
ut suméntibus gáudium præbeant et salútem.
Per Christum.**

PRÆFATIO 41/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi grátias ágere,
quia píetas tua descéndit e cælis,
appáret humánitas Salvatóris,
regem ætérnum súscipit terra mortálium.

Unde et nos, Dómine, cum cælítibus cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Zach 9, 9; Lc 4, 18 41/7

Gaude, Sion, in Dómino.
Lætáre et exsúlta, Ierúsalem,
quia rex tuus véniet Christus,
sanáre contrítos corde.

TRANSITORIUM Ps 35, 8-10 41/8

Quam pretiósa misericórdia tua, Deus!
Fílii autem hóminum in tégmine alárum tuárum sperábunt;
inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ,
et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.
Quóniam apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

POST COMMUNIONEM 41/9

Grátias de collátis munéribus referéntes,
fac nos, Deus, quæ tua sunt dona desideráre ventúra,
ut nativitátem Salvatóris nostri
purificátis suscipiámus méntibus honorándam.
Per Christum.

42 IN FERIIS ANTE NATIVITATEM VII

INGRESSA Lc 1, 68-69a. 70 42/1

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ
et eréxit cornu salútis nobis
sicut locútus est per os sanctórum,
qui a sǽculo sunt, prophetárum eius.

SUPER POPULUM 42/2

**Verbi tui nos, quǽsumus, Pater, advéntus illúminet,
et a sórdibus peccatórum cleménter emúndet.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Sof 3, 16-17a 42/3

Noli timére, Sion;
non dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 42/4

**Prævéniat nos, omnípotens Deus,
grátia tua semper ac subsequátur,
ut, qui advéntum Unigéniti tui
summo cordis desidério sustinémus,
et præséntis vitæ subsídia
et futúræ páriter consequámur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 42/5

**Sacrifíciis nostris, quǽsumus, Dómine,
quæ reverénter offérimus,
sanctificatiónem tuam benígnus infúnde,
qua ex his sumptúri æternitátis glóriam hauriámus.
Per Christum.**

PRÆFATIO 42/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Dómine, sancte Pater omnípotens, grátias ágere,
et nostræ libertátis advéntum cum lætítia celebráre.

Per Verbum enim tuum
hóminem in sanctitáte creátum,
lapsum miserabíliter in delíctum,
ad spem salútis erexísti redemptióne promíssa.

Ipsum vero nobis suo témpore in tua pietáte misísti,
ut, cum homínibus conversándo, Patris íntima nuntiáret,
et a peccáti morte solútos in vitam suscitáret ætérnam.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 42/7

O Emmánuel, rex et légifer noster,
exspectátio géntium et salvátor eárum:
veni ad salvándum nos, Dómine, Deus noster.

TRANSITORIUM Ps 61, 3a. 6b. 8b. 9ab 42/8

Ipse Deus refúgium meum et salutáre meum,
ab ipso patiéntia mea.
Deus fortitúdinis meæ, et refúgium meum in Deo est:
Speráte in eo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra.

POST COMMUNIONEM 42/9

Quǽsumus, Deus, pígnore sumpto redemptiónis ætérnæ,
ut quanto magis dies salutíferæ nativitátis accédit,
tanto devótius proficiámus
ad hoc Fílii tui digne mystérium celebrándum.
Qui vivit.

TEMPUS NATIVITATIS

IN NATIVITATE DOMINI

Sollemnitas

43 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere diei 24 decembris.

INGRESSA Cf. Lc 21, 28 43/1

Leváte cápita vestra: ecce appropínquat redémptio vestra.
Crástina die erit vobis salus, dicit Dóminus.
Delébitur iníquitas terræ,
et regnábit super nos Salvátor mundi.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 43/2

Deus Pater omnípotens, qui benignitátem tuam et grátiam
in nativitátis Fílii tui mystério revelásti,
da, quǽsumus, ut promptis semper ánimis
tantæ suscipiámus múnera largitátis,
quátenus adoptiónis tuæ fructus
próspera fecunditáte prodámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Sof 3, 14-15 43/3

Lauda, fília Sion,
iubiláte, Israel;
lætáre et exsúlta in omni corde, fília Ierúsalem!
Abstulit Dóminus iudícium tuum, avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 43/4

Réspice nos, Deus omnípotens atque clemens,
et méntibus humánis, umbra mortis expúlsa,
Christo nascénte summæ veritátis lumen osténde.
Qui vivit.

Dicitur Credo.
Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 43/5

Præ céteris sollemnitátibus gloriántes,
hódie tibi, Dómine, vota persólvimus,
quia Christus ipse, immaculátus Agnus, est éditus,
cuius sacrifícium fidéliter immolámus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 43/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius hódie in confessióne fáciem prævenímus;
quem et voce súpplici exorámus,
ut superventúræ noctis offíciis
nos ita reddat pervígiles,
ut sincéris méntibus mereámur
eius percípere natále ventúrum.

In quo, invisíbilis ex substántia tua,
visíbilis appáruit per carnem in nostra,
tecúmque unus, non témpore génitus, non inférior in natúra,
ad nos venit ex témpore natus.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Cf. Io 1, 14. 16 43/7

Vídimus glóriam Dei, glóriam Unigéniti,
quia Verbum caro factum est,
et habitávit in nobis.
Et nos omnes de plenitúdine eius accépimus grátiam.

TRANSITORIUM 43/8

Virgo Verbum concépit,
virgo permánsit,
Virgo génuit regem ómnium regum.

POST COMMUNIONEM 43/9

Da nobis, Dómine,
hoc dono tuo mirábili recreátis,
ut, sicut adoránda Fílii tui natalícia prævenímus,
sic eius capiámus múnera sempitérna.
Qui vivit.

In Nativitate Domini omnes sacerdotes tres missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hæ suo tempore celebrentur.

Die 25 decembris

IN NATIVITATE DOMINI
44 IN NOCTE SANCTA

INGRESSA Cf. Is 35,1 44/1
Lætáre nunc, stérilis, quæ sitiébas,
et exsúltet desérta;
et gaudéte, solitúdines Iordánis,
quia Dóminus noster venit
et redémit nos.
Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 44/2
Deus, qui hanc sacratíssimam noctem
veri lúminis fecísti illustratióne claréscere,
da, quǽsumus,
ut, cuius lucis mystérium in terra cognóvimus,
eius quoque gáudiis perfruámur in cælis.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 44/3
Gaudeámus, omnes fidéles:
Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie procéssit proles,
et magnífici gérminis persevérat pudor virginitátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 44/4
Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quos tenet sub peccáti iugo vetústa captívitas,
eos Unigéniti tui dignétur nova per carnem natívitas liberáre.
Qui vivit.

Dicitur Credo.
Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 44/5
Oblátio tibi sit, Dómine, hodiérnæ festivitátis accépta,
quia et nostræ reconciliatiónis procéssit perfécta placátio
et divíni cultus nobis est índita plenitúdo.
Per Christum.

PRÆFATIO 44/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Hódie enim non tam Salvatóris natális est quam salútis,
quia, nascénte Christo, Fílio tuo, mundus ipse renáscitur,
defúnctis resurréctio perhibétur,
ac vita mortálibus reparátur.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM 44/7

Gaudeámus omnes in Dómino,
quia Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie nobis de cælo pax vera descéndit.

TRANSITORIUM 44/8

Hic est Salvátor, quem prophétæ dixérunt,
et hic est Agnus, quem dixit Isaías;
hunc annuntiávit Gábriel Vírgini:
ipsum adorémus et ei serviámus.

POST COMMUNIONEM 44/9

Quǽsumus, Dómine, sacraméntis cæléstibus roboráti,
ut, qui nativitátem Dómini nostri Iesu Christi
frequentáre gaudémus,
dignis conversatiónibus ad eius consórtium pertíngere mereámur.
Qui vivit.

45 IN NATIVITATE DOMINI IN AURORA

INGRESSA Is 9, 6 45/1

Puer natus est nobis,
et fílius datus est nobis,
cuius impérium super úmerum eius:
et vocábitur nomen eius magni consílii ángelus.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 45/2

Deus, qui Unigénitum tuum,
per úterum Maríæ vírginis illibátum,
huic mundo manifestáre dignátus es,
fámulis tuis ne desit pietátis tuæ invictíssima salus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 2, 7 45/3

Dóminus dixit ad me:
Fílius meus es tu;
ego hódie génui te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 45/4

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto miséricors,
ut pópulus tuus, qui te factóre cónditus
teque est reparátus auctóre,
te quoque iúgiter operánte salvétur.
Per Christum.

Dicitur Credo.
Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 45/5

Deus, qui tuæ nativitátis exórdium
pro nostra necessárium salúte duxísti,
totíus Ecclésiæ tuæ ad munus intuére propítius,
et, quos símiles ad tuam imáginem condidísti,
similióres observatióne pérfice mandatórum.
Qui vivis.

PRÆFATIO 45/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
quóniam magníficum nostræ commércium reparatiónis effúlget.

Hódie enim de hómine véteri homo novus exsístit,
atque curátur mortalitáte mortálitas.
Hódie humána condício
de ipsíus confécta medicatióne sanátur,
et de obnóxia generatióne peccáto
totíus peccáti néscia proles exóritur;
ac non solum nostra a Verbo tuo suscépta fragílitas
perpétui fit honóris,
sed nos quoque mirándo consórtio reddit ætérnos.

Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Hab 3, 3cd 45/7

Opéruit cælos glória Dómini,
et laudis eius plena est terra.

TRANSITORIUM Ps 97, 3c; Ap 4, 11a 45/8

Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.
Dignus es, Dómine et Deus noster,
accípere glóriam et honórem.

POST COMMUNIONEM 45/9

Fámuli tui, quǽsumus, Dómine,
sollémnius hódie múneris partícipes salutáris,
magnum Fílii tui nativitátis gáudium
in córdibus iúgiter experíri,
et in mundo sincéra nuntiáre váleant ómnibus caritáte.
Per eúndem Christum.

IN NATIVITATE DOMINI
46 IN DIE

INGRESSA Cf. Is 9, 2. 6 46/1
Lux fulgébit hódie super nos,
quia natus est nobis Dóminus
et vocábitur admirábilis Deus, princeps pacis,
pater futúri sǽculi,
cuius regni non erit finis.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 46/2
Deus, qui hunc diem sacratíssimum
per incarnatiónem Verbi tui
et partum Maríæ vírginis consecrásti,
da nobis hoc pium ita celebráre consórtium,
ut, qui tua grátia sunt redémpti,
tuæ digni fiant hereditátis honóre.
Per Dóminum.

ANTE EVANGELIUM Lc 2, 14 46/3a
Glória in excélsis Deo, et in terra pax.
Allelúia, allelúia, allelúia.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 2, 10-11; 1, 33 46/3b
Ecce annúntio vobis gáudium magnum,
quod erit in univérsa terra:
Hódie natus est vobis Salvátor mundi in civitáte David,
regnábit, et regni eius non erit finis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 46/4
Deus, qui humánæ substántiæ dignitátem
mirabíliter condidísti et mirabílius reformásti,
da nobis, quǽsumus, Christi Fílii tui divinitátis esse consórtes,
qui humanitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.
Qui vivit.

Dicitur Credo.
Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 46/5
Accépta tibi sit, Dómine, hodiérnæ festivitátis oblátio,
ut per hæc sacrosáncta commércia, tua grátia largiénte,
in illíus inveniámur forma, in quo tecum est nostra substántia.
Qui vivit.

PRÆFATIO 46/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quem beata María, sine virginitátis glóriæ detriménto,
mater et virgo concépit intácta,
ut créderet quod audívit ab ángelo,
et quod credíderat indubitánter accíperet.
Nec integritátis in ea exterminátus est honor,
ut mater dicerétur perpétuæ castitátis.
O sacrosánctum Maríæ vírginis úterum et beátum,
quæ mundi Dóminum suis viscéribus
méruit inter mulíeres sola portáre,
et ad nostram quoque salútem édidit Salvatórem.

Orbis ítaque gáudeat univérsus,
congratulétur angelórum exércitus innumerábilis multitúdo,
cum quibus glóriam tuam cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM 46/7

Magnum et salutáre mystérium Dei nostri:
quæ péperit et mater et virgo est;
quem péperit homo et Deus est;
ipse est creátor ómnium,
fílius Vírginis,
Dóminus Genetrícis.

TRANSITORIUM 46/8

Gaude et lætáre, exsultátio angelórum.
Gaude, Dómini virgo, prophetárum gáudium.
Gáudeas, benedícta, Dóminus tecum est.
Gaude, quæ per ángelum gáudium mundi suscepísti.
Gaude, quæ genuísti factórem et Dóminum.
Gáudeas, quia digna es esse mater Christi.

POST COMMUNIONEM 46/9

Da nobis, Dómine, Fílii tui nativitátem
læta devotióne coléntibus,
huius arcána mystérii et plena fide cognóscere
et plenióre caritátis ardóre dilígere.
Per Christum.

Die 26 decembris

47 S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS

Festum

INGRESSA Cf. Act 7, 56. 59-60; Lc 23, 34 47/1

Vídeo cælos apértos,
et Iesum stantem a dextris virtútis Dei.
Dómine Iesu, súscipe spíritum meum,
et ne státuas illis hoc peccátum,
quia nésciunt quid fáciunt.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 47/2

**Da nobis, quǽsumus, Dómine, quod cólimus imitári,
ut discámus et inimícos dilígere,
quia eius natalícia celebrámus,
qui te novit étiam pro persecutóribus exoráre.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Ps 108, 5. 4 47/3

Posuérunt, Dómine, advérsum me mala pro bonis,
et ódium pro dilectióne mea;
ego autem semper orábam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 47/4

**Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, beáti protomártyris tui Stéphani
sollémnia recenséntes,
et ipsíus méritis protegámur
et précibus adiuvémur.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 47/5

**Hoc munus pópuli tui, Dómine,
levítæ et protomártyris tui Stéphani
deprecatióne sit gratum,
ut Ecclésia tua eius semper intercessiónibus adiuvétur,
cuius sine cessatióne instrúitur disciplínis.
Per Christum.**

PRÆFATIO 47/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui tui præcónem levítam Stéphanum advocásti.

Hic tibi primus nomen martýrii dedicávit,
hic tibi sánguinem inchoávit primus effúndere;
hic apértos cælos vidére proméruit,
Filiúmque stantem ad déxteram Patris aspéxit.

Hic magístri verba referébat,
et, quod Christus dixit in cruce,
hoc Stéphanus dócuit in effusióne cruóris.
Christus in cruce indulgéntiam seminábat,
et Stéphanus pro suis lapidatóribus Dóminum supplicábat.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus festíva exsultatióne dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM 47/7

Hestérna die Dóminus natus est in terris,
ut Stéphanus nascerétur in cælis;
ingréssus est in mundum,
ut Stéphanus ingrederétur in cælum.

TRANSITORIUM Cf. Act 7, 59; Ps 30, 4 47/8

Tu es, Dómine, spes mea:
fortitúdo mea et refúgium meum es tu.
Dómine Iesu, súscipe spíritum meum.

POST COMMUNIONEM 47/9

Multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis,
grátias ágimus, Deus noster,
qui et Fílii tui nativitáte nos salvas
et beáti mártyris Stéphani celebratióne lætíficas.
Per Christum.

Die 27 decembris

48 S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Festum

INGRESSA 48/1

Iste est Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit:
beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia,
qui et verba vitæ in toto terrárum orbe diffúdit.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 48/2

Deus, qui per beátum apóstolum Ioánnem
Verbi tui nobis arcána reserásti,
præsta, quǽsumus,
ut, quod ille nostris áuribus excellénter infúdit,
intellegéntiæ competéntis eruditióne capiámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Act 4, 19-20 48/3

Petrus et Ioánnes respondéntes dixérunt:
Si iustum est in conspéctu Dei
vos pótius audíre quam Deum, iudicáte;
non enim póssumus nos, quæ vídimus et audívimus, non loqui.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 48/4

Per intercessiónem beati Ioánnis apóstoli,
da nobis, Dómine, benígnus inténdens,
ut, eius documénto de mystério nostri Redemptóris edócti,
ad dona perveníre mereámur,
quæ Fílius tuus ipse promísit.
Qui vivit.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 48/5

Múnera, quǽsumus, Dómine,
obláta sanctífica, et præsta,
ut ex huius cenæ convívio secréta Verbi hauriámus ætérni,
quæ ex eódem fonte Ioánni apóstolo revelásti.
Per Christum.

PRÆFATIO 48/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
beáti Ioánnis evangelístæ mérita recoléntes.

Quem Dóminus Iesus Christus
non solum peculiári decóre semper ornávit,
sed et in cruce pósitus,
tamquam hereditário múnere prosecútus,
vicárium pro se Matri fílium cleménter attríbuit.
Quem in tantum benígnitas indúlta præfécit,
ut, et factus ex piscatóre discípulus
et humánæ modum dispensatiónis excédens,
præ céteris ipsam Verbi tui sine inítio deitátem
et mente conspíceret et voce proférret.

Et ídeo cum ipso beáto fámulo tuo
cælórum cívibus in tuam glóriam sociámur,
maiestáti tuæ cum gáudio sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM Io 1, 18 48/7

Deum nemo vidit umquam;
unigénitus Deus, qui est in sinu Patris,
ipse enarrávit.

TRANSITORIUM Io 1, 14. 16 48/8

Verbum caro factum est et habitávit in nobis.
Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus.

POST COMMUNIONEM 48/9

Pater, qui princípium es a quo cuncta procédunt,
præsta, ut Verbum tuum caro factum,
quod beátus Ioánnes apóstolus prædicávit,
hoc mystério dilectiónis suæ
hábitet semper in nobis.
Per Christum.

Die 28 decembris

49 SS. INNOCENTIUM, MARTYRUM

Festum

INGRESSA 49/1

Innocéntes pro Christo infántes occísi sunt,
ipsum sequúntur Agnum sine mácula,
et dicunt semper: Glória tibi, Dómine.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 49/2

Deus, cuius hodiérna die præcónium
Innocéntes mártyres non loquéndo
sed moriéndo conféssi sunt,
da, quǽsumus,
ut fidem tuam, quam lingua nostra pronúntiat,
étiam móribus vita fateátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 65, 19; Ap 21, 4. 5 49/3

Gaudébo in pópulo meo
et non audiétur in eo ultra vox fletus et vox clamóris.
Mors ultra non erit,
neque luctus neque clamor neque dolor:
Ecce nova fácio ómnia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 49/4

Ecclésia tua, quǽsumus, Dómine,
de tuórum celebritáte lætétur Infántium,
et misericórdiæ tuæ iúgiter experiátur effectum,
quo et fragílitas humána subsístat
et divína supplicántibus redémptio non negétur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 49/5

Súscipe, Dómine, quǽsumus, devotórum múnera famulórum,
et eos purífica tuis serviéntes cum pietáte mystériis,
quibus étiam iustíficas ignorántes.
Per Christum.

PRÆFATIO 49/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos in parvulórum morte pretiósa
te, sancte Pater omnípotens, gloriósius collaudáre,
quos propter Fílii tui Dómini nostri Salvatóris infántiam
immáni sævítia Heródes funéstus occídit.

Imménsa cleméntiæ tuæ dona cognóscimus:
fulget namque sola magis grátia, quam volúntas,
et clara est prius conféssio, quam loquéla;
ante pássio, quam membra passiónis exísterent;
testes Christi, qui eius nondum fúerant agnitóres.

Vere Omnipoténtis benígnitas infiníta,
cum étiam nesciéntibus, pro suo nómine trucidátis,
méritum glóriæ períre non pátitur,
sed próprio cruóre perfúsis
et salus regeneratiónis explétur
et imputátur coróna martýrii.

Et ídeo ipsis cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM Ap 7, 17 49/7

Agnus qui in médio throni est pascet illos
et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum,
et abstérget Deus omnem lácrimam ex óculis eórum.

TRANSITORIUM Ap 14, 4 49/8

Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno;
hi sequúntur Agnum, quocúmque abíerit.

POST COMMUNIONEM 49/9

Salvatiónis abundántiam tríbue, Dómine, fidélibus
in eórum festivitáte tua sancta suméntibus,
qui, Fílium tuum humána necdum voce profiténtes,
pro eius nativitáte cælésti sunt grátia coronáti.
Qui vivit.

50 DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

INGRESSA 50/1

In Patre manet ætérnitas,
non périit de Matre virgínitas.
Invisíbilis non dedignátus est carnem assúmere,
natus non relíquit impérium.

SUPER POPULUM 50/2

**Deus, cui non cæli nec terra suffíciunt,
qui, Vírginis víscera ingréssus,
templum tuæ habitatiónis
dedicáre dignátus es,
tuam orámus súpplices pietátem,
ut huius sacraménti mystério
pópulum tuum pervígili protectióne custódias.
Qui vivis et regnas.**

POST EVANGELIUM Ps 148, 2 50/3

Laudáte Dóminum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 50/4

**Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Fílii tui natívitas salutáris
et ábluat nostra peccáta
et pópulo tuo pacem cónferat et salútem.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 50/5

**Inténde múnera, Dómine, quǽsumus,
in Fílii tui nativitáte propósita,
ut per hæc beáta mystéria
libertátem nobis et indulgéntiam largiáris.
Per Christum.**

PRÆFATIO 50/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
et sursum, sancte Pater,
córdibus eréctis divínum adoráre mystérium,
quo humána condício, véteri terrenáque lege cessánte,
nova cælestíque substántia mirabíliter restauráta profértur,
ut, quod magna Dei géritur largitáte,
magnis ecclésiæ gáudiis celebrétur.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM Lc 4, 18 50/7

Spíritus Dómini super me;
propter quod unxit me
evangelizáre paupéribus,
misit me dimíttere confráctos in remissióne.

TRANSITORIUM 50/8

Ab inítio, Dómine, tu es cum Patre,
et in fine mundi assumpsísti carnem
de Vírgine sine sémine, María matre.

POST COMMUNIONEM 50/9

Plebs tua, Pater,
eius participatióne semper gáudeat sacraménti,
quod in Christi Dómini sui
incarnatióne cognóvit.
Qui vivit.

Die 29 decembris

51 DE V DIE INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

INGRESSA Cf. Ps 94, 1 51/1

Lux lucis, Verbum Patris, lucet in Vírgine.
Qui ante sǽcula cum Patre fecit ómnia,
ipse hódie nobis natus est.
Veníte, exsultémus in Dómino,
iubilémus Deo salutári nostro.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 51/2

**Deus, qui restaurationem condiciónis humánæ mirabíliter operáris,
tríbue, quǽsumus,
ut simul perficiátur in nobis,
quod Verbi tui creávit summa dignátio,
et quod eiúsdem in carne gloriósa natívitas reformávit,
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM 51/3

Gaudeámus, omnes fidéles:
Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie procéssit proles,
et magnífici gérminis persevérat pudor virginitátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 51/4

**Largíre, quǽsumus, Dómine, fámulis tuis
fídei et securitátis augméntum,
ut, qui tui nativitáte Fílii gloriántur,
et mundi advérsa non séntiant
et, quæ temporáliter celebráre desíderant,
sine fine percípiant.
Per Christum.**

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 51/5

**Præsénti sacrifício, Dómine, quǽsumus,
plebs fidélis exsúltet,
quo sunt primítiæ infirmitátis eius assúmptæ,
ut divínæ párticeps fíeret ipsa poténtiæ.
Per Christum.**

PRÆFATIO 51/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia per incarnáti Verbi mystérium
nova mentis nostræ óculis lux tuæ claritátis infúlsit,
ut, dum visibíliter Deum cognóscimus,
per hunc invisibílium amóre rapiámur.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM 51/7

Dies sanctificátus illúxit nobis:
veníte, gentes, et adoráte Dóminum,
quia hódie descéndit lux magna super terram.

TRANSITORIUM 51/8

Beáta progénies, unde Christus natus est:
quam gloriósa est Virgo,
quæ cæli regem génuit!

POST COMMUNIONEM 51/9

Deus, qui nos sacraménti tui participatióne contíngis,
virtútis eius efféctus in nostris córdibus operáre,
ut suscipiéndo múneri tuo per ipsum munus aptémur.
Per Christum.

Die 30 decembris

52 DE VI DIE INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

INGRESSA Io 3, 16 52/1

Sic diléxit Deus mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis, qui credit in eum,
non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 52/2

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut Salutáre tuum nova cælórum luce mirábile,
quod ad salútem mundi hodiérna festivitáte procéssit,
nostris semper innovándis córdibus oriátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 2, 7 52/3

Dóminus dixit ad me:
Fílius meus es tu;
ego hódie génui te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 52/4

Divérsis, Dómine, plebs tua gubernáta subsídiis,
et præséntia pietátis tuæ remédia cápiat et futúra,
ut, transeúntium rerum necessária consolatióne fovénte,
fiduciálius semper ad ætérna conténdat.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 52/5

Múnera tuæ plebis, Dómine, propitiátus assúme,
ut, quæ fídei pietáte profiténtur,
sacraméntis cæléstibus apprehéndant.
Per Christum.

PRÆFATIO 52/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia nostri Salvatóris lux vera procéssit,
quæ clara nobis ómnia et intelléctu manifestávit et visu.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM 52/7

Hódie Christus natus est,
hódie Salvátor appáruit;
hódie in terra canunt ángeli,
lætántur archángeli;
hódie exsúltant iusti, dicéntes:
Glória in excélsis Deo.

TRANSITORIUM Cf. Io 1, 1. 14; Lc 2, 11 52/8

In princípio et ante sǽcula Deus erat Verbum:
ipse natus est hódie Salvátor mundi.
Verbum caro factum est
et habitávit in nobis.

POST COMMUNIONEM 52/9

Deus, qui splendórem glóriæ tuæ
per sacræ Vírginis partum mundo dignátus es reveláre,
da, ut tantum incarnatiónis mystérium
et fídei integritáte colámus
et devóto semper obséquio frequentémus.
Per Christum.

Die 31 decembris

53 DE VII DIE INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

INGRESSA 53/1

Hódie nobis cælórum Rex
per Vírginem natus advénit,
ut hóminem pérditum ad regna cæléstia revocáret.
Gaudet exércitus angelórum,
quia salus ætérna humáno géneri advénit.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 53/2

Deus, qui per beátum sacræ Vírginis partum
Fílii tui carnem humánis fecísti præiudíciis non tenéri,
præsta, quǽsumus,
ut, huius creatúræ novitáte suscépta,
vetustátis antíquæ contágiis exuámur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 2, 10-11; 1, 33 53/3

Ecce annúntio vobis gáudium magnum,
quod erit in univérsa terra:
Hódie natus est vobis Salvátor mundi in civitáte David,
regnábit, et regni eius non erit finis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 53/4

Tuére, Dómine, plebem tuam,
et sacram sollemnitátem recoléntem
cæléstis grátiæ largitáte proséquere,
ut, visibílibus adiúta soláciis,
ad invisibília bona prómptius incitétur.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 53/5

Deus, auctor sincéræ devotiónis et pacis,
da, quǽsumus, ut et maiestátem tuam
convenienter hoc múnere venerémur
et sacri participatióne mystérii fidéliter ánimis uniámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 53/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem hódie commércium nostræ reparatiónis effúlsit,
quia, dum a tuo Verbo suscípitur nostra fragílitas,
non solum humána mortálitas in perpétuum transit honórem,
sed nos quoque, mirándo consórtio, æternitáte donámur.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM 53/7

Omnis prophetía impléta est hódie;
creatúra exsúltat,
Christus natus est:
Veníte, adorémus.

TRANSITORIUM Ps 22, 6a. 4ab 53/8

Misericórdia tua, Dómine,
subsequátur me
ómnibus diébus vitæ meæ.
Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala,
quóniam tu mecum es.

POST COMMUNIONEM 53/9

Da nobis, Dómine, de Fílii tui nativitáte lætántibus,
ut mysteriórum virtúte sacrórum
iúgiter in salútem vita nostra firmétur.
Per Christum.

Die 1 ianuarii

54 IN OCTAVA NATIVITATIS DOMINI

Sollemnitas

INGRESSA 54/1

Hódie nobis de cælo pax vera descéndit,
hódie per totum mundum mellíflui facti sunt cæli.
Hódie illúxit dies redemptiónis novæ,
præparatiónis antíquæ,
felicitátis ætérnæ.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 54/2

**Deus, qui octávum nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis,
da, quǽsumus, eius perpétua nos divinitáte muníri,
cuius sumus carnáli commércio reparáti.
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Dan 6, 27 54/3

Hic est Deus noster, vivens in sǽcula,
et regnum eius non exterminábitur,
et potéstas eius in ætérnum erit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 54/4

**Deus, qui salútem humáni géneris
in Verbi tui incarnatióne fundásti,
da pópulis tuis misericórdiam quam depóscunt,
ut sciant omnes non esse, quam Unigéniti tui,
nomen áliud invocándum.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 54/5

**Deus, qui bona ínchoas et pérficis univérsa,
da Ecclésiæ tuæ sollémni sacrifício de Christi nativitáte lætánti,
sicut de inítiis tuæ grátiæ gloriátur,
ita de illíus perfectióne gaudére.
Per eúndem Christum.**

PRÆFATIO 54/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, ut nos a gravi legis servitúte redímeret,
legális purificatiónem circumcisiónis accépit,
in qua et observatiónis antíquæ probátor exsísteret
et humánam in se natúram vetustáte exspólians innováret:
prætériti sacramentórum mystérii consummátor,
idem legislátor et custos,
præcípiens et obœdiens,
dives in suo, pauper in nostro.

Quem una tecum, omnípotens Pater,
et cum Spíritu sancto laudant ángeli, venerántur archángeli,
throni, dominatiónes, virtútes,
principátus et potestátes adórant.
Quem chérubim et séraphim sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
súpplici confessióne dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes de Nativitate.

CONFRACTORIUM Cf. 1 Par 29, 11 54/7

Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine;
tu es super omnes deos:
líbera nos in manu tua.

TRANSITORIUM 54/8

Virgo hódie fidélis,
etsi Verbum génuit incarnátum,
virgo mansit et post partum.
Quam laudántes, omnes dícimus:
Benedícta tu in muliéribus.

POST COMMUNIONEM 54/9

Omnípotens sempitérne Deus,
qui tuæ mensæ partícipes a diabólico iubes abstinére convívio,
da, quǽsumus, plebi tuæ,
ut, gustu mortíferæ profanitátis abiécto,
puris méntibus ad épulas ætérnæ salútis accédat.
Per Christum.

INGRESSA 55/1

Veníte et vidéte magnum mystérium Dei:
Deus venit per Vírginem,
ut redímeret mundum.
Hic est Salvátor, quem prophétæ dixérunt,
et hic est Agnus, quem dixit Isaías.

SUPER POPULUM 55/2

Deus, qui, dives in misericórdia,
in dilécto Fílio tuo nos sorte vocásti,
quǽsumus, ut illíus generatiónis naturǽque consórtes,
novam creatúram effícias tantæ cónsciam dignitátis.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 9, 1 55/3

Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 55/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nativitátis Iesu ad festa nos ánnua perduxísti,
concéde propítius,
ut per hæc piæ devotiónis offícia
benignitátis tuæ grátia copiósius repleámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 55/5

Réspice, Dómine, quǽsumus, nostram propítius servitútem,
ut quod offérimus sit tibi munus accéptum,
sit nostræ fragilitáti perénne subsídium.
Per Christum.

PRÆFATIO 55/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
tuæ laudis hóstiam iúgiter immolántes.

Cuius figúram Abel iustus instítuit,
agnus quoque legális osténdit,
Abraham celebrávit,
Melchísedech sacérdos exhíbuit,
sed verus agnus et póntifex sempitérnus
hódie natus Christus implévit.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 55/7

Hódie nobis Dóminus advénit:
veníte, pópuli, collaudémus Fílium Dei.
Illúxit nobis lux veritátis.

TRANSITORIUM 55/8

Christus Deus noster,
in quo divinitátis est plenitúdo,
carnis nostræ infírma suscípiens,
novus natus est homo.

POST COMMUNIONEM 55/9

His, Dómine, sacraméntis, tuus nos semper natális instáuret,
cuius nobílitas singuláris
humánam réppulit vetustátem.
Qui vivis.

IN EPIPHANIA DOMINI

Sollemnitas

56 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere.

INGRESSA 56/1

Advéniens Dóminus ábstulit omnem calíginem noctis,
et ubi non erat lumen
facta est cláritas,
et appáruit dies.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 56/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui Verbi tui incarnatiónem præclári testimónio síderis indicásti,
quod vidéntes Magi
tuam adoravérunt oblátis munéribus maiestátem,
concéde, ut in méntibus nostris
tuæ semper appáreat stella iustítiæ,
et noster sit in tui confessióne thesáurus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Mt 2, 1-2 56/3

Cum Iesus natus esset in Béthlehem Iudǽæ,
ecce Magi ab oriénte venérunt Hierosólymam dicéntes:
Ubi est, qui natus est, rex Iudæórum?
Vídimus enim stellam eius,
et vénimus adoráre eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 56/4

**Supplicatiónibus nostris, Dómine, cleménter adésto,
et pópulo tuo veritátis tuæ lumen osténde,
quem tibi ex ómnibus géntibus elegísti.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 56/5

**Ecclésiæ tuæ, Dómine, propítius dona concéde,
quibus iam non aurum, tus vel myrrha profértur,
sed quod eísdem munéribus declarátur.
Per Christum.**

PRÆFATIO 56/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia magnum in Christo salútis nostræ mystérium
hódie ad lumen géntium reveÍásti,
et, cum in substántia nostræ mortalitátis appáruit,
nova nos immortalitátis eius glória reparásti.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Ps 35, 10 56/7

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

TRANSITORIUM Cf. Is 43, 19; Ps 77, 20 56/8

Ecce Dóminus fáciens nova,
quæ nunc oriéntur,
et cognoscétis quia fecit Dóminus in desérto viam et flúmina.
Quóniam percússit petram,
et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt,
ubi non erat aqua.

POST COMMUNIONEM 56/9

Præsta, quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, quæ Christi lumen addúxit in terram,
purificátæ mentis intellegéntia consequámur.
Per eúndem Christum.

IN EPIPHANIA DOMINI
57 IN DIE

INGRESSA Cf. Ap 21, 23-24 57/1

Cívitas non eget sole,
neque luna ut lúceant ei,
quóniam cláritas Dei illúminat eam.
Et ambulábunt gentes in lúmine eius,
et reges terræ ófferunt claritátem suam in ea.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 57/2

**Deus, qui hunc diem electiónis géntium primítiis consecrásti,
et maniféstum te nobis per tui stellam lúminis ostendísti,
tríbue, quǽsumus,
ut nova cælórum mirábilis cláritas
in nostris semper córdibus oriátur.
Qui vivis et regnas.**

ANTE EVANGELIUM 57/3a

In Béthlehem Iudæ Salvátor natus est,
Heródes turbátus est,
totus mundus gaudet.
Ioánnes testíficans super flumen Iordánis dicit:
Qui post me venit, ante me factus est.

POST EVANGELIUM Cf. Mt 2, 1-2 57/3b

Cum Iesus natus esset in Béthlehem Iudǽæ,
ecce Magi ab oriénte venérunt Hierosólymam dicéntes:
Ubi est, qui natus est, rex Iudæórum?
Vídimus enim stellam eius,
et vénimus adoráre eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 57/4

**Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum
géntibus stella duce revelásti,
concéde propítius
ut, qui iam te ex fide cognóvimus,
usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 57/5

Pietátis tuæ, Dómine, sacraméntum
hodiérna sollemnitáte recoléntes,
pro apparitióne Fílii tui et nostræ vocatiónis exórdiis
sacrifícium tibi laudis offérimus,
quod propitiátus suscípias deprecámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 57/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui a cælésti puerpério
íntulit mundo suæ mirácula maiestátis,
ut stellam Magis osténderet prosequéndam,
et aquam deínde mutáret in vinum,
ac suo étiam baptísmate santificáret fluénta Iordánis.

Quibus magníficis, Dómine, mystériis erudímur,
te nobis in Fílio tuo dilectíssimo voluísse præbére
veritátem ad divína secúro lúmine dignoscénda,
et viam qua læti pervenirémus ad glóriam,
et vitam in ipso reperiéndam fonte perpétuo.

Unde profúsis gáudiis
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM 57/7

Hic est dies præclárus,
in quo Salvátor mundi appáruit:
quem prophétæ prædixérunt,
ángeli adoravérunt,
cuius stellam Magi vidéntes gavísi sunt,
et múnera ei obtulérunt.
Dies sanctificátus illúxit nobis:
veníte, gentes, et adoráte Dóminum.

TRANSITORIUM 57/8

Hódie cælésti sponso iuncta est Ecclésia,
quóniam in Iordáne lavit eius crímina.
Currunt cum múnere Magi ad regáles núptias,
et ex aqua facto vino lætántur convívia.
Baptízat miles Regem, servus Dóminum suum,
Ioánnes Salvatórem.
Aqua Iordánis stúpuit,
colúmba protestátur,
patérna vox audíta est: Fílius meus hic est,
in quo bene complácui: ipsum audíte.

POST COMMUNIONEM 57/9

**Cælésti lúmine, quǽsumus, Dómine,
semper et ubíque nos prǽveni,
ut mystérium, cuius nos partícipes esse voluísti,
et puro cernámus intúitu
et digno percipiámus affléctu.
Per Christum.**

Ubi sollemnitas Epiphaniæ non est de præcepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti.

Dominica post Epiphaniam Domini

58 IN BAPTISMATE DOMINI

Festum

INGRESSA Cf. Mt 3, 16-17 58/1

Baptizáto Dómino, apérti sunt cæli,
et sicut colúmba super eum Spíritus mansit,
et vox Patris intónuit:
Hic est Fílius meus diléctus,
in quo mihi bene complácui.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 58/2

Deus Pater omnípotens,
qui Christum, in Iordáne flúmine baptizátum,
sancto super eum Spíritu descendénte,
diléctum Fílium tuum sollémniter declarásti,
concéde fíliis adoptiónis tuæ, ex aqua Spiritúque renátis,
ut in beneplácito tuo iúgiter persevérent.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Io 1, 34 58/3

Ecce de quo dicébat Ioánnes:
Ego vidi et testimónium perhíbui,
quia hic est Fílius Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 58/4

Ecclésiæ tuæ, Dómine,
patérna de cælo benedíctio copiósa descéndat,
quæ a peccátis in undis ablútos et Spíritu vivificánte renátos
mirábili confírmet sempérque rénovet grátia sacraménti.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 58/5

Súscipe múnera, Dómine,
in dilécti Fílii tui revelatióne deláta,
ut fidélium tuórum oblátio in eius tránseat sacrifícium salutáre,
qui mundi vóluit peccáta miserátus ablúere.
Qui vivit.

PRÆFATIO 58/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui te nobis, missa voce de cælis,
super Iordánis álveum præbuísti,
ut Salvatórem hóminum demonstráres,
et te patrem ætérnæ lucis osténderes.
Aperuísti cælos,
áerem benedixísti,
purificásti fontes,
et tuum únicum Fílium
per spéciem colúmbæ sancto Spíritu declarásti.

Benedictiónem tuam fontes hódie suscepérunt,
nostrámque maledictiónem véterem abstulérunt,
ita ut purificatiónem credéntibus
ómnium exhíbeant delictórum,
et generatióne cælésti
fílios Deo fáciant ad vitam ætérnam.

Nam, quos carnális natívitas ad vitam fúderat temporálem,
et prævaricatióne mors céperat,
hos ætérna vita recípiens
ad regni cælórum glóriam revocávit.

Unde profúsis gáudiis
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

vel: 58/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui miris signásti mystériis novum in Iordáne lavácrum,
ut, e cælis paténtibus tua voce delápsa,
habitáre Verbum tuum inter hómines crederétur;
et per Spíritum, in colúmbæ spécie descendéntem,
Christus servus tuus óleo perúngi lætítiæ
et mitti ad evangelizándos páuperes noscerétur.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 12, 18. 21 58/7

Ecce puer meus, quem elégi,
diléctus meus, in quo bene plácuit ánimæ meæ.
In nómine eius gentes sperábunt.
Ponam Spíritum meum super eum,
et iudícium géntibus nuntiábit.

TRANSITORIUM 58/8

Baptizátur Christus et sanctificátur omnis mundus;
et tríbuit nobis remissiónem peccatórum.
Aqua et Spíritu omnes purificémur.

POST COMMUNIONEM 58/9

Sacro múnere satiáti,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, Unigénitum tuum fidéliter audiéntes,
fílii tui vere nominémur et simus.
Per Christum.

In regionibus ubi sollemnitas Epiphaniæ celebratur dominica a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrente, quando hæc dominica occurrat die 7 vel 8 ianuarii, festum Baptismatis Domini feria II sequenti celebratur.

IN FERIIS TEMPORIS NATIVITATIS DOMINI
a die 2 ianuarii
usque ad sabbatum ante festum Baptismatis Domini

Hæ missæ adhibentur in feriis quibus sunt assignatæ, mutando orationem super populum, prouti indicatur.

59 FERIA II

INGRESSA 59/1

Virgínitas regálem nobis hódie partum
divína virtúte operáta est,
qua sola Puérpera ætérnæ puritátis glória fulget:
Agnum Dei Christum mundi prótulit redemptórem.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 59/2a

Deus, qui humánum genus principáliter sauciátum
Christi tui nativitáte salváre dignátus es,
præsta, quǽsumus, ut non hæreámus perditiónis auctóri,
sed ad Redemptóris nostri consórtia transferámur.
Qui tecum vivit.

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 59/2b

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, dum nova incarnáti Verbi tui luce perfúndimur,
hoc in nostra conversatióne respléndeat,
quod per fidem fulget in mente.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 59/3

Gaudeámus, omnes fidéles:
Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie procéssit proles,
et magnífici gérminis persevérat pudor virginitátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 59/4

Réspice, Dómine, pópulum supplicántem ac dispóne præsídiis,
ut te rectóre in ómnibus gratulétur,
quia non habet, nisi in tua pietáte, fidúciam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 59/5

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia gloriósa,
ut, offeréntes húmiles quæ dedísti,
teípsum felíces mereámur accípere.
Per Christum.

PRÆFATIO 59/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
sed hoc præcípue témpore tua prædicáre magnália,
cum lætítia natális domínici adhuc corda nostra persúltant,
et festivitátem cæléstem gáudia continuáta suspírant.

Quamvis enim votórum dies desideráta transíerit,
penes nos tamen illórum sanctificátio commorátur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 59/7

Exsultémus in Dómino,
et spiritáli iucunditáte lætémur,
quia salus ætérna in mundo appáruit.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 5, 20ab.d; 1, 2c 59/8

Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum,
ut cognoscámus eum, qui verus est.
Hic est qui verus est Deus et vita ætérna,
quæ erat coram Patre et appáruit nobis.

POST COMMUNIONEM 59/9

Qui, divínæ consórtes natúræ,
Agni sumus dápibus satiáti,
numquam, Dómine, in véterem vilitátem
degéneri nos permíttas conversatióne redíre.
Per Christum.

INGRESSA 60/1

Grátias agámus Dómino nostro:
homo cécidit, Deus descéndit;
cécidit homo miserabíliter,
descéndit Deus misericórditer;
cécidit homo per supérbiam,
descéndit Deus per grátiam.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 60/2a

Deus, qui in Fílii tui nativitáte
tribuísti totíus religiónis inítium perfectionémque constáre,
da nobis, quǽsumus, in eius portióne cernséri,
in quo totíus salútis humánæ summa consístit.
Per Dóminum.

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 60/2b

Deus, cuius Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit,
præsta, quǽsumus,
ut ipsi, quem símilem nobis foris agnóvimus,
intus conformári tua grátia mereámur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 2, 7 60/3

Dóminus dixit ad me:
Fílius meus es tu;
ego hódie génui te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 60/4

Per incarnatiónis Fílii tui mystérium,
páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine,
précibus supplicántum,
et, ut peténtibus desideráta concédas,
fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 60/5

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine,
precibúsque suscéptis,
et cæléstibus nos munda mystériis
et de Christi nativitáte lætántes
cleménter exáudi.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 60/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, in huius venerándi festivitáte mystérii,
invisíbilis in suis, visíbilis in nostris appáruit,
et, ante témpora génitus, esse cœpit in témpore;
ut, in se érigens cuncta deiécta,
in íntegrum restitúeret univérsa,
et hóminem pérditum ad cæléstia regna revocáret.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 1, 14 60/7

Cælórum Rex de Vírgine nasci dignátus est,
ut hóminem pérditum ad cæléstia regna revocáret:
Verbum caro factum est
et habitávit in nobis.

TRANSITORIUM Cf. Act 10, 36; Ps 84, 11 60/8

Verbum misit Deus fíliis Israel,
evangelízans pacem per Iesum Christum:
misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.

POST COMMUNIONEM 60/9

Præsta, quǽsumus, Dómine, miseratióne propítius,
ut, quod Salvatóris nostri frequentáta nativitáte percípimus,
perpétuæ nobis redemptiónis cónferat medicínam.
Per Christum.

INGRESSA 61/1

Cláruit magnitúdo Dei,
et virtus appáruit per Vírginem,
quóniam sic vóluit Excélsus nasci húmilis,
ut in ipsa humilitáte osténderet maiestátem.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 61/2a

**Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui sub peccáti iugo ex vetústa servitúte deprímimur,
nova nativitáte Unigéniti tui Fílii liberémur.
Qui tecum vivit.**

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 61/2b

**Corda nostra, quǽsumus, Dómine,
tuæ maiestátis splendor illústret,
quo per mundi huius ténebras transíre valeámus,
et ad pátriam perveniámus claritátis ætérnæ.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Lc 2, 10-11; 1, 33 61/3

Ecce annúntio vobis gáudium magnum,
quod erit in univérsa terra:
Hódie natus est vobis Salvátor mundi in civitáte David,
regnábit, et regni eius non erit finis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 61/4

**Præsta, miséricors Deus noster,
ut, sicut natus hódie Salvátor mundi
divínæ nobis generatiónis est auctor,
ita et immortalitátis sit ipse largítor.
Qui vivit.**

SUPER OBLATA 61/5

**Obláta, Dómine, múnera Unigéniti tui nativitáte sanctífica,
qua nobis et via osténditur veritátis
et regni cæléstis vita promíttitur.
Per Christum.**

PRÆFATIO 61/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
sed hoc præsértim témpore te prolíxius collaudáre,
quo ipsum salútis nostræ sacraméntum in lucem géntium revelásti.

In Christo enim, Fílio tuo, Deum hominémque cognóscimus,
qui, nostra summo dilectiónis ardóre suscípiens,
própria vóluit imménsa dignatióne conférre.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 61/7

Veníte, et vidéte in Béthlehem Regem procedéntem.
Quem cæli non cápiunt, Virgo in útero hábuit.
Veníte, pópuli, collaudémus,
quia natus est propter genus hóminum Salvátor.
Glória tibi. Allelúia.

TRANSITORIUM Ps 85, 9-11 61/8

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient
et adorábunt coram te, Dómine,
et glorificábunt nomen tuum,
quóniam magnus es tu et fáciens mirabília:
tu es Deus solus.
Doce me, Dómine, viam tuam,
et ingrédiar in veritáte tua,
simplex fac cor meum,
ut tímeat nomen tuum.

POST COMMUNIONEM 61/9

Concéde nobis, Dómine, quǽsumus,
ut sancta tua tibi plácito corde sumámus,
et, quidquid est in nostra mente vitiósum,
ipsíus doni medicatióne curétur.
Per Christum.

INGRESSA 62/1

Virgínitas regálem nobis hódie partum
divína virtúte operáta est,
qua sola Puérpera ætérnæ puritátis glória fulget:
Agnum Dei Christum mundi prótulit redemptórem.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 62/2a

Omnípotens sempitérne Deus,
creátor humánæ reformatórque natúræ,
quam Unigénitus tuus in útero perpétuæ virginitátis assúmpsit,
réspice nos propítius, ut, Fílii tui incarnatióne suscépta,
inter ipsíus mereámur membra numerári.
Qui tecum vivit.

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 62/2b

Deus, qui per Fílium tuum,
æternitátis tuæ lumen cunctis géntibus suscitásti,
da plebi tuæ fulgórem plenum sui Redemptóris agnóscere,
ut ad perpétuam claritátem per eius increménta pervéniat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 148, 2 62/3

Laudáte Dóminum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 62/4

Misericórdiæ tuæ remédiis Christi nativitáte reparátis,
quǽsumus, Dómine, fragílitas nostra subsístat,
ut, quæ sui condicióne defécit,
eius grátia renovétur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 62/5

Exsultántes, Dómine, cum munéribus,
ad altária veneránda concúrrimus,
quia et ómnium nobis hódie summa votórum
et causa est nostræ redemptiónis exórta.
Per Christum.

PRÆFATIO 62/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui peccáto primi paréntis
hóminem, a salútis fínibus exsulántem,
pietátis indulgéntia ad véniam vitámque revocásti,
Unigénitum nobis mittens Fílium salvatórem.

Per quem maiestátem tuam laudant ángeli, venerántur archángeli,
throni, dominatiónes, virtútes,
principátus et potestátes adórant.
Quem chérubim et séraphim sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
súpplici confessióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 62/7

Exsultémus in Dómino,
et spirítáli iucunditáte lætémur,
quia salus ætérna in mundo appáruit.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 5, 20ab. d; 1, 2c 62/8

Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum,
ut cognoscámus eum, qui verus est.
Hic est qui verus est Deus et vita ætérna,
quæ erat coram Patre et appáruit nobis.

POST COMMUNIONEM 62/9

Cibo salutári refécti, Dómine, deprecámur,
ut, carnálibus vítiis intus exúti,
spirituáles éffici teque índui cæléste novitáte possímus.
Per Christum.

INGRESSA 63/1

Grátias agámus Dómino nostro:
homo cécidit, Deus descéndit;
cécidit homo miserabíliter,
descéndit Deus misericórditer;
cécidit homo per supérbiam,
descéndit Deus per grátiam.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 63/2a

Præsta nobis, Dómine, devóta mente poscéntibus,
ut, ánnua revolutióne salútis nostræ mystério reparáto,
sanctificatiónis beatitúdo iúgiter persevéret.
Per Dóminum.

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 63/2b

Illúmina, Dómine, pópulum tuum,
et splendóre grátiæ tuæ cor eius semper accénde,
ut, Salvatóris mundi, stella famulánte, manifestáta nativitas
méntibus nostris revelétur in gáudium.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 9, 1 63/3

Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 63/4

Da, quǽsumus, Dómine, pópulo tuo inviolábilem fídei firmitátem,
ut, qui Unigénitum tuum, in tua tecum glória sempitérnum,
in veritáte nostri córporis natum de Vírgine confitétur,
et a præséntibus liberétur advérsis
et mansúris semper gáudiis inserátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 63/5

Largitátis tuæ múnera deferéntes,
quǽsumus, Dómine,
ut, sicut in sacramentórum unitáte nos cóngregas,
ita in caritátis communióne vivámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 63/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in hoc præcípue prædicáre mystério,
quia nostri Salvatóris lux vera procéssit,
quæ clausam vitam nobis restítuit univérsis,
ut non solum peregrinántes suo nos splendóre dirígeret,
sed ad ipsam glóriam maiestátis imménsæ
perdúceret intuéndam.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 1, 14 63/7

Cælórum Rex de Vírgine nasci dignátus est,
ut hóminem pérditum ad cæléstia regna revocáret:
Verbum caro factum est
et habitávit in nobis.

TRANSITORIUM Cf. Act 10, 36; Ps 84, 11 63/8

Verbum misit Deus fíliis Israel,
evangelízans pacem per Iesum Christum:
misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.

POST COMMUNIONEM 63/9

Hæc, Dómine, quǽsumus, salutífera sacraménta,
nostris recépta pectóribus,
puríficent ánimam corpúsque sanctíficent,
atque in spem cæléstium corda nostra confírment.
Per Christum.

INGRESSA 64/1

Cláruit magnitúdo Dei,
et virtus appáruit per Vírginem,
quóniam sic vóluit Excélsus nasci húmilis,
ut in ipsa humilitáte osténderet maiestátem.

SUPER POPULUM ante sollemnitatem Epiphaniæ 64/2a

Deus, qui nos redemptiónis nostræ
ánnua celebratióne lætíficas,
præsta, ut Unigénitum tuum,
quem læti suscépimus redemptórem.
secúri veniéntem quoque iúdicem videámus.
Qui tecum vivit.

SUPER POPULUM post sollemnitatem Epiphaniæ 64/2b

Annue nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, sicut Christus Dóminus
scrutántibus Magis laténter est cógnitus
et a cunctis póstmodum géntibus adorátus,
ita et nostris sénsibus maniféstus advéniat
et in salútem ómnibus homínibus innotéscat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 64/3

Gaudeámus, omnes fidéles:
Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie procéssit proles,
et magnífici gérminis persevérat pudor virginitátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 64/4

Benedictiónem tuam, Dómine, pópulus fidélis accípiat,
qua, córpore salvátus ac mente,
et gratam tibi semper exhíbeat servitútem
et benefícia tuæ propitiatiónis invéniat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 64/5

Caritátem tuam, Dómine, fidélium in corda benígnus effúnde,
ut et nostris tibi munéribus placeámus
et tuo mereámur pasci convívio salutári.
Per Christum.

PRÆFATIO 64/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui nobis grátiam ante témpora sæculária promisísti,
nunc autem per illuminatiónem Salvatóris
fecísti propítius maniféstam.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 64/7

Veníte, et vidéte in Béthlehem Regem procedéntem.
Quem cæli non cápiunt, Virgo in útero hábuit.
Veníte, pópuli, collaudémus,
quia natus est propter genus hóminum Salvátor.
Glória tibi. Allelúia.

TRANSITORIUM Ps 85, 9-11 64/8

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient
et adorábunt coram te, Dómine,
et glorificábunt nomen tuum,
quóniam magnus es tu et fáciens mirabília:
tu es Deus solus.
Doce me, Dómine, viam tuam,
et ingrédiar in veritáte tua,
simplex fac cor meum,
ut tímeat nomen tuum.

POST COMMUNIONEM 64/9

Grátias agéntes, Dómine, te súpplices invocámus,
ut eódem Spíritu,
quo Fílium tuum in carne virgínitas incorrúpta concépit,
mensæ cæléstis partícipes in unum corpus ædificáre dignéris.
Per Christum.

TEMPUS QUADRAGESIMAE

In feriis sextis quadragesimalibus iuxta perpetuam traditionem ambrosianam liturgia eucharistica non celebratur, nisi occurrat sollemnitas S. Ioseph aut Annuntiationis Domini.

Cineres imponuntur feria II post dominicam in capite Quadragesimæ, vel, pro rationibus pastoralibus, ipsa die dominicæ in capite Quadragesimæ, non tamen in missa vespertina anticipata.

Benedictio et impositio cinerum fieri potest etiam sine missa. Quo in casu opportune præmittitur liturgia verbi, adhibendo cantum ad ingressam, orationem super populum, lectiones cum suis cantibus, ut in missa. Sequitur deinde homilia et benedictio atque impositio cinerum. Ritus concluditur oratione universali.

INGRESSA Cf. Ps 102, 8. 10. 13 65/1

Miséricors et miserátor Dóminus,
qui non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
sed, sicut miserétur pater fíliis,
ita misértus est nobis Dóminus Deus noster.
Confugiámus ígitur ad præséntem ubíque misericórdiam Dei,
ut sanctum Dómini Pascha in lætítia celebrémus.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 65/2a

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, miserátor adésto,
ut sacrum ieiúnium fidéliter peragéndo,
a ferménto malítiæ véteris aliéna,
per novitátem vitæ, ad beátum Pascha váleat perveníre.
Per Dóminum.

vel: 65/2b

Famíliam tuam sanctífica, Deus,
quadragesimálium diérum inítia celebrántem,
et, quo tibi diligéntius serviámus,
auxílio Salvatóris corróbora,
cuius erudímur exémplo.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. 2 Cor 6, 2-7 65/3

Ecce nunc tempus acceptábile,
ecce nunc dies salútis.
Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia,
in ieiúniis multis, per arma iustítiæ virtútis Dei,
ut in die redemptiónis nemo inveniátur in vítiis vetustátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 65/4

Famíliæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
absólve peccáta mentésque purífica,
ut, venerábilis ieiúnii dies cóngrua devotióne repeténtes,
quæ fidéliter póscimus, impetráre mereámur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 65/5

Sacrifícium quadragesimális inítii sollémniter immolámus,
te, Dómine, deprecántes,
ut per pæniténtiæ caritatísque labóres
a nóxiis voluptátibus temperémus,
et a peccátis mundáti
ad celebrándam Fílii tui passiónem mereámur esse devóti.
Qui vivit.

PRÆFATIO 65/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In quo ieiunántium fides álitur,
spes provéhitur,
cáritas roborátur.

Ipse est enim panis verus et vivus,
qui est substántia æternitátis, esca virtútis.
Verbum enim tuum, per quod facta sunt ómnia,
non solum hóminum, sed ipsórum quoque panis est angelórum.

Huius panis aliménto Móyses fámulus tuus
quadragínta dies ac noctes, legem suscípiens, ieiunávit,
et a carnálibus cibis,
ut tuæ suavitátis capácior esset, abstínuit.
Unde nec famem córporis sensit,
et terrenárum est oblítus escárum,
quia illum et glóriæ tuæ clarificábat aspéctus
et, influénte Spíritu, Dei sermo pascébat.

Hunc panem étiam nobis, Pater, ministráre non désinis,
quem ut indeficiénter esuriámus hortáris,
Iesum Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Sap 12, 1; 19, 20c; 15, 1 65/7

O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus!
In ómnibus magnificásti pópulum tuum,
in omni témpore et in omni loco assístens eis;
tu, Deus noster, suávis et verus es,
pátiens et in misericórdia dispónens ómnia.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 2; Col 3, 15; Deut 12, 7 65/8

Ambulémus in dilectióne,
sicut et Christus diléxit nos,
et comedámus in conspéctu Dómini Dei nostri lætántes.
Pax Christi dominétur in córdibus nostris,
ad quam in uno córpore vocáti sumus.

POST COMMUNIONEM 65/9

**Salutári Christi mensa refécti, Dómine, deprecámur,
ut illum panem iúgiter exspectémus,
qui ætérna substántia humána corda confírmet.
Per eúndem Christum.**

INGRESSA Cf. Ez 33, 11; Ps 102, 8; 144, 8 66/1

Imménsa et investigábilis
misericórdia promissiónis tuæ, Dómine.
Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat,
qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam.
Quóniam tu es Dóminus altíssimus,
longánimis et multum misericors,
pátiens super malítias hóminum.

SUPER POPULUM 66/2

**Concéde nobis, omnípotens Deus,
præsídia milítiæ christiánæ sanctis inchoáre ieiúniis,
ut contra spiritáles nequítias pugnatúri
continéntiæ salutáris muniámur auxíliis.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 77, 38-39 66/3

Dóminus est miséricors,
et propitiátur iniquitáti, et non dispérdit.
Sæpe avértit iram suam
et non accéndit omnem furórem suum.
Et recordátus est quia caro sunt,
spíritus vadens et non rédiens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 66/4

**Præsta fámulis tuis, Dómine,
abundántiam protectiónis et grátiæ;
da mentis corporísque salútem,
da contínuæ prosperitátis augménta,
et tibi semper fac esse devótos.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 66/5

**Múnera, Dómine, obláta sanctífica,
nosque per hæc a nostrórum emúnda máculis peccatórum.
Per Christum.**

PRÆFATIO 66/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui nos non solum carnálibus,
sed étiam spiritálibus réficis aliméntis,
ut non in solo pane vivámus,
sed in omni verbo tuo vitálem alimóniam habeámus;
nec tantum epulándo, sed étiam ieiunándo pascámur.

Nam ut dápibus córpora poculísque,
sic ieiúniis et virtútibus ánimæ saginántur.

Magnam in hoc múnere
salubritátem mentis et córporis contulísti,
quia ieiúnium nobis venerábile dedicásti,
ut ad paradísum, de quo non abstinéndo cecídimus,
ieiunándo sollémnius redeámus.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 66/7

Propitiáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quia de terra facti sumus.
Plasma tuum suscépimus,
sánguine tuo redémpti sumus.
Ecce precámur: Pascháli mystério propinquánte,
súbveni et miserére.

TRANSITORIUM 66/8

Non despexísti, Deus, multum miséricors,
in tribulatióne ad te clamántes.
Témpore redemptiónis venis ad salvándum pópulum tuum:
rex ad captívos, médicus ad infírmos,
pastor ad errántes, via desperátis.

POST COMMUNIONEM 66/9

Salútis suscéptis munéribus, tibi, Dómine,
grátias ágimus deprecántes,
ut, gradiéntes spíritus novitáte,
incorrúpta iúgiter tecum communióne vivámus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ez 33, 11; Ps 102, 8; 144, 8 67/1

Imménsa et investigábilis
misericórdia promissiónis tuæ, Dómine.
Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat,
qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam.
Quóniam tu es Dóminus altíssimus,
longánimis et multum miséricors,
pátiens super malítias hóminum.

SUPER POPULUM 67/2

Da nobis, miséricors Deus, supplicatióne placátus,
sanctos quadragésimæ dies pia devotióne suscípere,
et per ópera dilectiónis paschálem grátiam promeréri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 77, 38-39 67/3

Dóminus est miséricors,
et propitiátur iniquitáti, et non dispérdit.
Sæpe avértit iram suam
et non accéndit omnem furórem suum.
Et recordátus est quia caro sunt,
spíritus vadens et non rédiens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 67/4

Auxiliáre, Dómine, pópulo tuo,
ut, sacræ devotiónis profíciens increméntis,
et tuo semper múnere gubernétur
et ad redemptiónis ætérnæ pertíneat,
te deducénte, consórtium.
Per Christum.

SUPER OBLATA 67/5

Múnera, quǽsumus, Dómine,
quæ sacris altáribus exhibémus,
intuére propítius,
ut, nobis indulgéntiam impetrándo,
débitum tuo nómini dent honórem.
Per Christum.

PRÆFATIO 67/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper, hic et ubíque, grátias ágere,
per Iesum Christum Dóminum nostrum.

Qui continuátis quadragínta diébus et nóctibus
hoc ieiúnium non esúriens dedicávit.
Esurívit enim póstea non tam cibum hóminum, quam salútem,
nec escárum sæculárium épulas concupívit,
sed animárum desiderávit pótius sanctitátem.

Cibus namque eius est redémptio populórum,
cibus eius est patérnæ voluntátis efféctus.

Qui nos dócuit operári non cibum
qui terrénis dápibus præparátur,
sed eum qui divinárum scripturárum lectióne percípitur.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

CONFRACTORIUM 67/7

Propitiáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quia de terra facti sumus.
Plasma tuum suscépimus,
sánguine tuo redémpti sumus.
Ecce precámur: Paschâli mystério propinquánte,
súbveni et miserére.

TRANSITORIUM 67/8

Non despexísti, Deus, multum misericors,
in tribulatióne ad te clamántes.
Témpore redemptiónis venis ad salvándum pópulum tuum:
rex ad captívos, médicus ad infírmos,
pastor ad errántes, via desperátis.

POST COMMUNIONEM 67/9

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salutáris capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ez 33, 11; Ps 102, 8; 144, 8 68/1

Imménsa et investigábilis
misericórdia promissiónis tuæ, Dómine.
Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat,
qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam.
Quóniam tu es Dóminus altíssimus,
longánimis et multum miséricors,
pátiens super malítias hóminum.

SUPER POPULUM 68/2

**Pópulum tuum, clementíssime Pater, tuére propítius,
ut, prompta devotióne et álacri fide
dies peragéndo salútis,
mentis afféctibus efficáciter renovétur.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 77, 38-39 68/3

Dóminus est miséricors,
et propitiátur iniquitáti, et non dispérdit.
Sæpe avértit iram suam
et non accéndit omnem furórem suum.
Et recordátus est quia caro sunt,
spíritus vadens et non rédiens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 68/4

**Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
et contra cuncta nobis adversántia
déxteram tuæ maiestátis exténde.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 68/5

**Ecclésiæ tuæ, Dómine, hæc dona sanctífica,
et concéde, ut per hæc veneránda mystéria
et sanctæ institutiónis frequentáta ieiúnia
pane cælésti réfici mereámur.
Per Christum.**

PRÆFATIO 68/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
animárum nostrárum illuminátor et redémptor.

Qui nos, per Adam abstinéntiæ lege violáta
paradíso iure deiéctos,
ieiúnii remédio fortióris
ad antíquæ pátriæ beatitúdinem per grátiam revocásti,
nosque pia institutióne docuísti
quibus observatiónibus liberémur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 68/7

Propitiáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quia de terra facti sumus.
Plasma tuum suscépimus,
sánguine tuo redémpti sumus.
Ecce precámur: Pascháli mystério propinquánte,
súbveni et miserére.

TRANSITORIUM 68/8

Non despexísti, Deus, multum misericors,
in tribulatióne ad te clamántes.
Témpore redemptiónis venis ad salvándum pópulum tuum:
rex ad captívos, médicus ad infírmos,
pastor ad errántes, via desperátis.

POST COMMUNIONEM 68/9

His nobis, Dómine, salútis mystériis conferátur,
ut, terréna desidéria mitigántes,
discámus augére cæléstia.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ez 33, 11; Ps 102, 8; 144, 8 69/1
Imménsa et investigábilis
misericórdia promissiónis tuæ, Dómine.
Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat,
qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam.
Quóniam tu es Dóminus altíssimus,
longánimis et multum miséricors,
pátiens super malítias hóminum.

SUPER POPULUM 69/2
Susténta, Dómine, quǽsumus, pópulum tuum
salútis verbum instántius audiéntem,
et illum tua pietáte compóne
ad paschále fidéli mente mystérium celebrándum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 77, 38-39 69/3
Dóminus est miséricors,
et propitiátur iniquitáti, et non dispérdit.
Sæpe avértit iram suam
et non accéndit omnem furórem suum.
Et recordátus est quia caro sunt,
spíritus vadens et non rédiens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 69/4
Deus, qui afflíctos misériis
et contrítos corde non déspicis,
fámulos tuos propitiátus exáudi,
quadragesimáli ad te devotióne clamántes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 69/5
Sacrifícia, Dómine, nos propénsius ista restáurent,
quæ medicinálibus sunt institúta ieiúniis.
Per Christum.

PRÆFATIO 69/6

Vere dignum et iustum est nos tibi semper,
Pater omnípotens,
hymnum prómere et cánticum laudatiónis offérre.

Qui nos per abstinéntiam tibi grátias sólvere voluísti,
ut ipsa et nos peccatóres ab insoléntia mitigáret
et, sustentatióni profíciens egenórum,
imitatóres tuæ benignitátis effíceret.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 69/7

Propitiáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quia de terra facti sumus.
Plasma tuum suscépimus,
sánguine tuo redempti sumus.
Ecce precámur: Pascháli mystério propinquánte,
súbveni et miserére.

TRANSITORIUM 69/8

Non despexísti, Deus, multum mísericors,
in tribulatióne ad te clamántes.
Témpore redemptiónis venis ad salvándum pópulum tuum:
rex ad captívos, médicus ad infírmos,
pastor ad errántes, via desperátis.

POST COMMUNIONEM 69/9

Percipiéntes, Dómine, gloriósa mystéria,
grátias tibi reférre satágimus,
quod in terris pósitos
iam cæléstium præstas esse partícipes.
Per Christum.

INGRESSA 70/1

Dómine, ne díssipes testaméntum tuum,
quod fecit déxtera tua,
sed osténde nobis misericórdiam tuam.
Quia peccávimus, precámur te,
Dómine, miserére nobis.

SUPER POPULUM 70/2a

Da, quǽsumus, Dómine,
ut omnes pópuli renatórum,
huius salubérrimi témporis uténtes sacris fidéliter institútis,
sacraménta redemptiónis efficáciter váleant celebráre.
Per Dóminum.

vel: 70/2b

Humilitátis et obœdiéntiæ tibi, Dómine,
nobis obséquium exhibére concéde,
quibus peccáta mystério baptísmatis relaxásti,
quod ínnovas pæniténtia salutári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 17, 2-3 70/3

Díligam te, Dómine, fortitúdo mea,
díligam te, Dómine.
Dómine, firmaméntum meum, et refúgium meum
et liberátor meus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 70/4

Exaudíre nos, miséricors Deus, dignáre placátus,
et méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde.
Per Christum.

SUPER OBLATA 70/5

Oblatiónes Ecclésiæ tuæ, Dómine, súscipe miserátus,
ut, peccatórum ómnium colluvióne detérsa,
per fídei cognitiónem et sapiéntiæ disciplínam,
ipsa placitúra tibi velut hóstia consecrétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 70/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui genus hóminum sui córporis passióne redémit,
et suo sánguine sacramentóque baptísmatis emundávit Ecclésiam.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 70/7

Réspice nos, Dómine Iesu,
ut et própria recognoscámus erráta
et mereámur indulgéntiam peccatórum.
Lavent lácrimæ delíctum,
quod voce pudor est confitéri.

TRANSITORIUM Cf. Ier 32, 40-41; Ps 131, 12 70/8

Hæc dicit Dóminus: Non désinam benefácere pópulo meo.
Timórem meum dabo in corde eórum,
ut non recédant a me.
Si custodíerint fílii tui testaméntum meum,
et testimónia mea, quæ docébo eos,
lætábor super eis, cum bene eis fécero.

POST COMMUNIONEM 70/9

Súmpsimus, Dómine, sacraménta cæléstia,
proptérea deprecámur,
ut, quorum contínua perceptióne refícimur,
salutári quoque traditióne lætémur.
Per Christum.

71 DOMINICA II IN QUADRAGESIMA
de Samaritana

INGRESSA Cf. Ap 15, 3; Eph 5, 26; Ps 135, 16 71/1

Magna et mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens,
qui mundas Ecclésiam lavácro aquæ in verbo,
quóniam in ætérnum misericórdia tua.
Iustæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculórum,
qui tradúcis pópulum tuum per desértum.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 71/2a

Deus, innocéntiæ restitútor et amátor,
dírige ad te tuórum corda fidélium,
ut, quos de infidelitátis ténebris liberásti,
numquam a veritátis tuæ luce discédant.
Per Dóminum.

vel: 71/2b

Ecclésiæ tuæ, Dómine,
delictórum inquinaménta laváre concéde,
ut per nova ópera,
sacræ initiatiónis mystériis conveniénter aptáta,
ad vitam progrediátur ætérnam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 24-26; Ps 50, 12 71/3

Tollam vos de géntibus, dicit Dóminus,
et effúndam super vos aquas mundas.
Lavámini ab ómnibus iniquitátibus vestris,
dabo vobis cor novum,
et spíritum rectum innovábo in viscéribus vestris.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 71/4

Deus, in cuius spiritálibus castris mílitant abstinéntia fructuósa
et casti péctoris opulénta frugálitas,
pæniténtiæ déditos cleménter exáudi,
et fidélibus postulátus consuéta pietáte succúrre.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 71/5

Propítius réspice, quǽsumus, Dómine,
pópuli tui dona præséntia,
et nos ipsos tibi spiritále sacrifícium offérre concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 71/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, ad insinuándum humilitátis suæ mystérium,
fatigátus vóluit ad púteum residére,
et a mulíere samaritána aquæ pétiit sibi potum,
qui iam in ea fídei donum ipse creáverat,
eiúsque fidem dignátus est sua caritáte sitíre,
ut ignem in illa divíni amóris accénderet.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

vel: 71/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui fíliis tuis,
ad reparándam méntium puritátem,
tempus præcípuum salúbriter statuísti,
quo, mente ab inordinátis afféctibus expedíta,
sic incúmberent transitúris,
ut rebus pótius perpétuis inhærérent.

Unde et nos, Dómine,
cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 4, 14-15 71/7

Samaritánæ dixísti, Iesu:
Qui bíberit ex aqua
quam ego dabo ei,
non sítiet in ætérnum.
Hanc aquam da nobis, Dómine,
ut bibámus et non sitiámus.

TRANSITORIUM Cf. Io 7, 38; Num 20, 6 71/8

De ventre tuo, Iesu, Dómine,
flúmina fluunt aquæ vivæ:
Mísericors audi clamórem pópuli huius,
et áperi eis thesáurum tuum,
ut cunctórum se fidélium corda sanctíficent.

POST COMMUNIONEM 71/9

Cæléstis grátiæ splendóre, quǽsumus, Dómine,
Christi nitéscat Ecclésia,
quæ hoc aliménto salutári resurrectiónis pignus accépit.
Per eúndem Christum.

INGRESSA 72/1

Anima mea, cessa iam peccáre:
cógita de subitánea transpositióne ad ætérna torménta.
Ibi enim non suscípitur pæniténtia,
nec lucrifáciunt lácrimæ.
Dum tempus adest salútis, convértere.
Clama ad Iesum, dicens:
Dómine, Salvátor, miserére mei.

SUPER POPULUM 72/2

**Devotiónem pópuli tui, Dómine, benígnus inténde,
ut, qui per abstinéntiam temperántur in córpore,
per fructum boni óperis reficiántur in mente.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 7-8 72/3

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, Dómine,
quia exáudies me.
Non est símilis tui in diis, Dómine,
et nihil sicut ópera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 72/4

**Supplicatiónibus nostris, quǽsumus, Dómine, adésto propítius,
ut esse, te largiénte, mereámur
et inter próspera húmiles et inter advérsa secúri.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 72/5

**Da, quǽsumus, Dómine,
pópulis christiánis quod profiténtur agnóscere,
et cæléste munus dilígere quod frequéntant.
Per Christum.**

PRÆFATIO 72/6

**Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.**

Qui misísti nobis de cælo Dóminum nostrum
Iesum Christum Fílium tuum,
ut illis, qui per escam præsúmptam fúerant de paradíso deiécti,
per suam obœdiéntiam
in paradísum reverténdi tribúeret facultátem,
et, quadragínta diérum totidémque nóctium ieiúnio celebráto,
hóminum exclúderet tentatórem,
et se redemptórem ómnium credéntium demonstráret.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

CONFRACTORIUM 72/7

Média vita in morte sumus.
Quem quǽrimus adiutórem, nisi te, Dómine?
Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte miséricors.
Salvátor Iesu, amáræ morti ne tradas nos.

TRANSITORIUM 72/8

Rogámus te, Dómine Deus, quia peccávimus tibi.
Véniam pétimus, quam non merémur.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.
Vita nostra in dolóre suspírat,
et in ópere non eméndat.
Si exspéctas, non corrípimur,
et si víndicas, non durámus.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.

POST COMMUNIONEM 72/9

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, effécti cenæ domínicæ pro tua pietáte partícipes,
sic exhibeámus indigéntibus caritátem,
ut tuam in iudício mereámur misericórdiam inveníre.
Per Christum.

INGRESSA 73/1

Anima mea, cessa iam peccare:
cógita de subitánea transpositióne ad ætérna torménta.
Ibi enim non suscípitur pæniténtia,
nec lucrifáciunt lácrimæ.
Dum tempus adest salútis, convértere.
Clama ad Iesum, dicens:
Dómine, Salvátor, miserére mei.

SUPER POPULUM 73/2

Pérfice, quǽsumus, Dómine,
benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium,
ut, quæ te auctóre faciénda cognóvimus,
te operánte iúgiter impleámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 7-8 73/3

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, Dómine,
quia exáudies me.
Non est símilis tui in diis, Dómine,
et nihil sicut ópera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 73/4

Supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus, adésto cleménter,
et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges,
consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 73/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, devotórum múnera famulórum,
et divínis serviéntes purífica tua pietáte mystériis,
quibus etiam iustíficas ignorántes.
Per Christum.

PRÆFATIO 73/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim miserátus ábluis ægritúdines animárum,
quæ peccáti vítio gráviter irrogántur,
et concédis abstinéntiam prodésse,
quibus fúerat obligáta præsúmptio.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM 73/7

Média vita in morte sumus.
Quem quǽrimus adiutórem, nisi te, Dómine?
Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte misséricors.
Salvátor Iesu, amáræ morti ne tradas nos.

TRANSITORIUM 73/8

Rogámus te, Dómine Deus, quia peccávimus tibi.
Véniam pétimus, quam non merémur.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.
Vita nostra in dolóre suspírat,
et in ópere non eméndat.
Si exspéctas, non corrípimur,
et si víndicas, non durámus.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.

POST COMMUNIONEM 73/9

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui corpus Christi cum devotióne comédimus,
ætérnæ vitæ possímus esse partícipes.
Per Christum.

INGRESSA 74/1

Anima mea, cessa iam peccáre:
cógita de subitánea transpositióne ad ætérna torménta.
Ibi enim non suscípitur pæniténtia,
nec lucrifáciunt lácrimæ.
Dum tempus adest salútis, convértere.
Clama ad Iesum, dicens:
Dómine, Salvátor, miserére mei.

SUPER POPULUM 74/2

**Grátiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, fidélibus adsit auxílium,
qui, ieiunántes a culpa, iustítiam prosequántur,
et ad paschále concúrrant gáudium tua miseratióne mundáti.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 7-8 74/3

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, Dómine,
quia exáudies me.
Non est símilis tui in diis, Dómine,
et nihil sicut ópera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 74/4

**Ad te corda nostra, Pater ætérne, convérte,
et unum semper quæréntes necessárium
et exercéntes ópera sédulæ caritátis,
tuo cúltui præsta nos esse dicátos.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 74/5

**Múnera, quæ tibi offérimus, Dómine, admítte propítius,
et per hæc sacrosáncta commércia
nostrórum absólve víncula peccatórum.
Per Christum.**

PRÆFATIO 74/6

**Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.**

Qui salutáre tempus,
in quo ómnia divínæ misericórdiæ sacraménta concúrrunt,
pópulo tuo imménsa pietáte largíris,
ut quadragínta diérum observántia ea gratánter attíngat,
fidelíque mente custódiat.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 74/7

Média vita in morte sumus.
Quem quǽrimus adiutórem, nisi te, Dómine?
Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte miséricors.
Salvátor Iesu, amáræ morti ne tradas nos.

TRANSITORIUM 74/8

Rogámus te, Dómine Deus, quia peccávimus tibi.
Véniam pétimus, quam non merémur.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.
Vita nostra in dolóre suspírat,
et in ópere non eméndat.
Si exspéctas, non corrípimur,
et si víndicas, non durámus.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.

POST COMMUNIONEM 74/9

Suscépto, Dómine, sacraménto redemptiónis ætérnæ,
nostrórum sordes abiciámus, quǽsumus, peccatórum,
ut, veste virtútum indúti,
nuptiále mereámur intráre convívium.
Per Christum.

INGRESSA 75/1

Anima mea, cessa iam peccáre:
cógita de subitánea transpositióne ad ætérna torménta.
Ibi enim non suscípitur pæniténtia,
nec lucrifáciunt lácrimæ.
Dum tempus adest salútis, convértere.
Clama ad Iesum, dicens:
Dómine, Salvátor, miserére mei.

SUPER POPULUM 75/2

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, continéntia purificáti salutári,
et tibi toto simus corde subiécti
et inter mundánæ pravitátis insídias,
te miseránte, perseverémus illǽsi.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 7-8 75/3

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, Dómine,
quia exáudies me.
Non est símilis tui in diis, Dómine,
et nihil sicut ópera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 75/4

Præsta nobis, Dómine, quǽsumus,
grátiæ tuæ benígnus auxílium,
ut, ieiúniis et oratiónibus conveniénter inténti,
liberémur ab hóstibus mentis et córporis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 75/5

Offérimus tibi, Dómine, múnera quæ dedísti,
ut et creatiónis tuæ circa mortalitátem nostram
testificéntur auxílium
et remédium nobis immortalitátis operéntur.
Per Christum.

PRÆFATIO 75/6

Vere dignum et iustum est nos tibi semper,
Pater omnípotens,
hymnum prómere et cánticum laudatiónis offérre.

Qui pæniténtium cleménter peccáta dimíttis,
et reverténtes iustíficas peccatóres;
et reis non tantum pœnam tua miseratióne reláxas,
sed donas étiam prǽmia sempitérna.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

CONFRACTORIUM 75/7

Média vita in morte sumus.
Quem quǽrimus adiutórem, nisi te, Dómine?
Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte miséricors.
Salvátor Iesu, amáræ morti ne tradas nos.

TRANSITORIUM 75/8

Rogámus te, Dómine Deus, quia peccávimus tibi.
Véniam pétimus, quam non merémur.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.
Vita nostra in dolóre suspírat,
et in ópere non eméndat.
Si exspéctas, non corrípimur,
et si víndicas, non durámus.
Manum tuam pórrige lapsis,
qui latróni confiténti paradísi iánuas aperuísti.

POST COMMUNIONEM 75/9

Sumptis, Dómine, tuis vivíficis sacraméntis,
ad redemptiónis ætérnæ, quǽsumus, proficiámus augméntum.
Per Christum.

INGRESSA 76/1

Dómine, si inquíras cordis nostri secréta,
rea est ante te omnis consciéntia.
Et si respéxeris in nobis plasma tuum,
cito flectéris, ut Deus, ad misericórdiam.
Ideo clamat ad te omnis terra:
Peccávimus, peccávimus tibi,
dona nobis indulgéntiam,
ut sancta conversatióne innovémur.

SUPER POPULUM 76/2a

**Spíritum tuum, quǽsumus, Dómine, benígnus emítte,
ut, grátia baptísmatis renováta,
véritas regeneratiónis in áctibus nostris efficáciter operétur.
Per Dóminum.**

vel: 76/2b

**Largíre, quǽsumus, omnípotens Pater,
ut, cuius nomen sumus in baptísmate iam conféssi,
ad Christi renáti imáginem grátia singulári,
vita nunc et móribus fílii computémur.
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM 76/3

Peccávimus tibi, qui es in cælis, Pater sancte.
Patiéntiam habe in nobis.
Illúmina, Dómine, sedéntes in ténebris et umbra mortis.
Accénde, Deus, ignem amóris tui in córdibus nostris.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 76/4

**Ecclésiam tuam, Dómine, perpétua miseratióne proséquere,
ut, inter sǽculi túrbines constitúta,
et præsénti iucunditáte respíret
et ætérnæ beatitúdinis dona percípiat.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 76/5

Exáudi nos, Deus, salutáris noster et virtus,
et fámulos tuos, quos fídei christiánæ eruditiónibus imbuísti,
celebrándi sacrifícii tríbuas operatióne mundári.
Per Christum.

PRÆFATIO 76/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius descénsus genus humánum doctrína instítuit salutári,
mors a perpétua morte redémit,
ascénsio ad cæléstia regna perdúxit.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 76/7

Ex látere tuo, Christe, fons aquæ prorúmpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur:
Lava nos, Dómine, aqua munda,
et aspérge corda a consciéntia mala.

TRANSITORIUM Ps 65, 1-2a. 16 76/8

Iubiláte Deo, omnis terra,
psalmum dícite glóriæ nóminis eius.
Veníte, audíte, et narrábo,
omnes, qui timétis Deum,
quanta fecit ánimæ meæ.

POST COMMUNIONEM 76/9

Per hæc mystéria, Dómine, fide et caritáte recépta,
benefícia redemptiónis impénde,
ut, passióni Christi iúgiter sociáti,
cæléstis habeámus vitæ consórtium gloriósum.
Per eúndem Christum.

77 DOMINICA III IN QUADRAGESIMA
de Abraham

INGRESSA Ps 61, 8-9 77/1

In Deo salutáre meum et glória mea,
Deus fortitúdinis meæ, et refúgium meum in Deo est.
Speráte in eo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra;
Deus refúgium nobis.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 77/2a

**Deus, qui corda renatórum,
ad paschália festa salúbriter celebránda
tua pietáte dispónis,
præsta nobis, quǽsumus,
oratióni et pæniténtiæ sic vacáre,
ut grátiam accéptam fidéliter custodiámus
vel reparémus amíssam.
Per Dóminum.**

vel: 77/2b

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui dígito tuo iustítiam tuæ legis
credéntium scribis in córdibus,
da nobis fídei, spei et caritátis augméntum,
et, ut mereámur ássequi quod promíttis,
fac nos amáre quod prǽcipis.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 77/3

Réspice, Dómine, ad fragilitátem géneris humáni,
et requíre vúlnera quæ curásti,
quia, quantum circa nos pietátis impénderis,
ámplius, quibus misereáris, invénies.
Exténde, quǽsumus, médicas manus:
et quod infírmum est cura,
quod dúbium est répara,
quod íntegrum, fide perseveránte, consérva.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 77/4

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
felíci semper securitáte ad ætérna procédat.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 77/5

Múnera tibi, Dómine, cum exsultatióne deférimus,
quæ solácium signíficant temporále,
ut promíssa non desperémus ætérna.
Per Christum.

PRÆFATIO 77/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Tu enim ante multa témpora
in Abrahæ sémine benedícto
Unigéniti Christi tui advéntum in carne clamásti.
Et quæ illi géntium multitúdo prædícitur,
veríssime ex omni gente et tribu et lingua
ipsa est quæ christiána relígio congregátur.
In qua, Dómine, te largiénte tenére gaudémus,
quod olim sanctis pátribus promittébas.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

vel: 77/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui legem véterem, per manus Móysis,
in tábulis voluísti commendáre lapídeis,
et novam in córdibus novo fœdere,
grátia sancti Spíritus, exarásti,
ut hómines in Christo adoptiónem accíperent filiórum,
teque Patrem agnóscerent et clamárent.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ier 31, 3. 10; Ps 125, 4 77/7

In caritáte perpétua nos dilexísti, Dómine,
et míserans attraxísti.
Reduc, Pater, captivitátem nostram;
cóngrega nos et sicut pastor gregem custódi.

TRANSITORIUM Cf. Io 11, 52; Ps 105, 47; Ap 19, 17 77/8

Tráditus est Christus,
ut fílios Dei, qui erant dispérsi,
congregáret in unum,
et in unitátem dilectiónis convenírent.
Salva nos, Dómine Iesu, et cóngrega omnes gentes
ad cenam magnam Dei.

POST COMMUNIONEM 77/9

Assúmptis, quǽsumus, Dómine, novæ grátiæ sacraméntis, in nobis Christi, per ópera iustítiæ, exprimámus imáginem, ut ipsi in glória resurrectiónis inveniámur esse confórmes. Qui vivit.

INGRESSA Cf. Sap 11, 24-25; Lam 1, 9 78/1

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.
Vide, Dómine, afflictiónem pópuli tui,
quóniam amára est nimis.
Exáudi nos, Pater, qui es in cælis.
Miserére nobis, Salvátor mundi.

SUPER POPULUM 78/2

**Adiuva, Dómine, quǽsumus,
fragilitátem plebis tuæ ieiúnii sacraménto,
ut ad paschális optátos celebritátis efféctus
tua grátia devóta pervéniat.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 4-5 78/3

Lætífica ánimam servi tui,
quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.
Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 78/4

**Consérva, Dómine, famíliam tuam,
bonis semper opéribus erudítam,
et sic præséntibus consoláre subsídiis,
ut ad supérna propítius dona perdúcas.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 78/5

**Munus, quod tibi, Dómine, nostræ servitútis offérimus,
tu salutáre nobis pérfice sacraméntum.
Per Christum.**

PRÆFATIO

78/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ad pæniténtiam nos cleménter
quadragínta diérum próvocas institútis,
ut ab ómnibus purgémur erróribus;
sicque valeámus nostræ mystérium salútis excípere,
et in lucis regióne reparáti cum lætítia gratulémur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 2 Mach 2, 18; Lc 15, 7

78/7

In te, Dómine, sperábunt omnes ánimæ dicéntes:
Cito Deus miserébitur nostri.
Ipse Dóminus locútus est, dicens:
Gaudébo super uno pæniténte,
quam super nonagínta novem iustis
non indigéntibus pæniténtia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 9 B, 12. 14. 17

78/8

Dómine, ne obliviscáris páuperum in finem,
quia tibi derelícti sunt egéni,
et pupíllo tu eris adiútor.
Desidérium páuperum exaudívit Dóminus,
præparatiónes cordis eórum exaudívit déxtera tua.

POST COMMUNIONEM

78/9

Christi perácto, quǽsumus, Dómine, sacraménto,
eius virtus passiónis in nobis iúgiter persevéret,
quæ nostra delícta condónat,
et munus redemptiónis operátur.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Sap 11, 24-25; Lam 1, 9 79/1

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.
Vide, Dómine, afflictiónem pópuli tui,
quóniam amára est nimis.
Exáudi nos, Pater, qui es in cælis.
Miserére nobis, Salvátor mundi.

SUPER POPULUM 79/2

**Deus, qui ad tantam páschatis festivitátem,
tuam parcéndo dispónis Ecclésiam,
spíritum nobis dilectiónis et pacis infúnde,
ut consummáta Christi oblátio pro mundi salúte
fratérnæ nostris caritátis opéribus compleátur.
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 4-5 79/3

Lætífica ánimam servi tui,
quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.
Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 79/4

**Subvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua,
et, quod mínime peccáta nostra meréntur,
pæniténtibus nobis tua grátia largiátur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 79/5

**Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut huius sacrifícii munus oblátum
fragilitátem nostram ab omni malo purget semper et múniat.
Per Christum.**

PRÆFATIO 79/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Qui peccántium non vis ánimas períre sed culpas,
et peccatóres ad pæniténtiam miserátus exspéctas.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 2 Mach 2, 18; Lc 15, 7 79/7

In te, Dómine, sperábunt omnes ánimæ dicéntes:
Cito Deus miserébitur nostri.
Ipse Dóminus locútus est, dicens:
Gaudébo super uno pæniténte,
quam super nonagínta novem iustis
non indigéntibus pæniténtia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 9 B, 12. 14. 17 79/8

Dómine, ne obliviscáris páuperum in finem,
quia tibi derelícti sunt egéni,
et pupíllo tu eris adiútor.
Desidérium páuperum exaudívit Dóminus,
præparatiónes cordis eórum exaudívit déxtera tua.

POST COMMUNIONEM 79/9

Omnibus, Dómine, quǽsumus supplicántes,
sit in Ecclésia tua par atque una iustítia,
sicut in cælésti convívio commúnis est grátia.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Sap 11, 24-25; Lam 1, 9 80/1

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.
Vide, Dómine, afflictiónem pópuli tui,
quóniam amára est nimis.
Exáudi nos, Pater, qui es in cælis.
Miserére nobis, Salvátor mundi.

SUPER POPULUM 80/2

**Devotiónis nostræ fervórem, Dómine,
tua pietáte proséquere,
ut, carnis continéntia et mentis purificatióne mundáti,
salutáre pascha cum gáudio præcurrámus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 4-5 80/3

Lætífica ánimam servi tui,
quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.
Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis,
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 80/4

**Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui protectiónis tuæ grátiam flagitámus,
a malis ómnibus liberáti,
secúris tibi méntibus serviámus.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 80/5

**Súscipe, quǽsumus, Dómine,
cum oblatiónibus vota pópuli supplicántis,
ut, tua célebrans cum devotióne mystéria,
fructum cápiat sempitérnum.
Per Christum.**

PRÆFATIO 80/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui nobis sólita benignitáte auxílium salútis accómmodas,
ut, culpárum expedíti rite contágio,
ad dies innovatiónis humánæ diligéntius accedámus.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 2 Mach 2, 18; Lc 15, 7 80/7

In te, Dómine, sperábunt omnes ánimæ dicéntes:
Cito Deus miserébitur nostri.
Ipse Dóminus locútus est, dicens:
Gaudébo super uno pæniténte,
quam super nonagínta novem iustis
non indigéntibus pæniténtia.

TRANSITORIUM Ps 9 B, 12. 14. 17 80/8

Dómine, ne obliviscáris páuperum in finem,
quia tibi derelícti sunt egéni,
et pupíllo tu eris adiútor.
Desidérium páuperum exaudívit Dóminus,
præparatiónes cordis eórum exaudívit déxtera tua.

POST COMMUNIONEM 80/9

Sanctíficet nos, Dómine,
qua pasti sumus mensæ cæléstis pura libátio,
et a cunctis erróribus expiátos
supérnis promissiónibus reddat accéptos.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Sap 11, 24-25; Lam 1, 9 81/1
Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.
Vide, Dómine, afflictiónem pópuli tui,
quóniam amára est nimis.
Exáudi nos, Pater, qui es in cælis.
Miserére nobis, Salvátor mundi.

SUPER POPULUM 81/2

**Da, quǽsumus, Dómine, rex ætérne cunctórum,
ut, sacro nos purificánte ieiúnio,
sincéris méntibus ad tua sancta ventúra fácias perveníre.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 85, 4-5 81/3
Lætífica ánimam servi tui,
quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.
Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis,
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 81/4

**Custódi, Dómine, quǽsumus,
Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua,
et, quia sine te lábitur humána mortálitas,
tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis
et ad salutária dirigátur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 81/5

**Réspice, Dómine, propítius ad múnera quæ sacrámus,
ut et tibi grata tua pietáte reddántur
et nobis salutária semper exsístant.
Per Christum.**

PRÆFATIO 81/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
misericórdiæ dator et totíus bonitátis orígo.

Qui nobis cursu cónsulis salutári,
et ieiúniis, oratiónibus ac dilectióne patérna,
nostrórum in Christo remédia peccatórum
et virtútum ómnium increménta concédis.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 2 Mach 2, 18; Lc 15, 7 81/7

In te, Dómine, sperábunt omnes ánimæ dicéntes:
Cito Deus miserébitur nostri.
Ipse Dóminus locútus est, dicens:
Gaudébo super uno pæniténte,
quam super nonagínta novem iustis
non indigéntibus pæniténtia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 9 B, 12. 14. 17 81/8

Dómine, ne obliviscáris páuperum in finem,
quia tibi derelícti sunt egéni,
et pupíllo tu eris adiútor.
Desidérium páuperum exaudívit Dóminus,
præparatiónes cordis eórum exaudívit déxtera tua.

POST COMMUNIONEM 81/9

Sacris, Dómine, mystériis expiáti,
et véniam consequámur et grátiam.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Io 8, 12; Is 2, 3 82/1

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus.
Qui séquitur me, non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ.
Ecce nos, Dómine Iesu, venímus ad te,
ut ambulémus in sémitis tuis.

SUPER POPULUM 82/2a

**Deus, qui fidélibus tuis mirabílium quæ récolunt
mérita semper áperis et virtútes,
præsta, quǽsumus, ut mentes eórum,
múnere tuo competénter aptátæ,
copiósa salútis grátia repleántur.
Per Dóminum.**

vel: 82/2b

**Adésto, Dómine, fámulis tuis,
et perpétuam benignitátem largíre poscéntibus,
ut iis, qui te auctórem et gubernatórem se gloriántur habére,
et grata restáures et restauráta consérves.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Ps 68, 14; 50, 13 82/3

Orátio nostra ad te, Dómine,
in témpore benepláciti, Deus.
In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi nos,
in veritáte salútis tuæ.
Dómine, ne proícias me a fácie tua:
spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 82/4

**Tuam, Dómine, bonitátem imménsam súpplices deprecámur,
ut, adimpléntes, te adiuvánte, quæ prǽcipis,
dona mereámur percípere quæ promíttis.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 82/5

Sacrifícium, Dómine,
observántiæ quadragesimális offérimus,
quod tibi, quǽsumus, mentes nostras reddat accéptas,
et continéntiæ promptióris nobis tríbuat facultátem.
Per Christum.

PRÆFATIO 82/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui illuminatióne fídei mundi ténebras dissipávit,
et genus humánum, quod úterus cæcum profúderat primæ matris,
incarnatiónis suæ mystério réddidit illustrátum;
et fílios adoptiónis effécit,
qui iustæ damnatiónis vínculis tenebántur.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Col 1, 13; Ier 31, 14; Prov 9, 5 82/7

Redémit Dóminus pópulum suum,
et liberávit eum,
et tránstulit eum in regnum Fílii dilectiónis suæ.
Pópulus meus, dicit Dóminus, bonis meis adimplébitur.
Veníte, comédite panem meum,
et bíbite vinum quod míscui vobis, ut vivátis.

TRANSITORIUM Cf. Ps 15, 11; Eph 1, 7 82/8

Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo, Dómine.
Redemptiónem per sánguinem Christi largiéris,
remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ eius.

POST COMMUNIONEM 82/9

Súpplices, quǽsumus, Deus omnípotens, te precámur,
ut inter eius membra numerémur,
cuius córpori communicámus et sánguini.
Qui vivit.

83 DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA
de Cæco

INGRESSA Cf. Ps 12, 4-5 83/1

Illúmina, Dómine, óculos meos,
nequándo obdórmiam in morte.
Nequándo dicat inimícus meus:
Præválui advérsus eum.
Qui cæci nati óculos linísti,
tuo illústra lúmine cor meum,
ut óculi mei ópera tua vídeant,
et custódiam univérsa mandáta tua.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 83/2a

Deus, qui hómini ad imáginem tuam cóndito,
ídeo das temporália, ut largiáris ætérna,
Ecclésiam tuam spirituáli fecunditáte multíplica,
ut, qui sunt generatióne terréni,
fiant regeneratióne cæléstes.
Per Dóminum.

vel: 83/2b

Deus, in cuius præcípuis mirabílibus
humána reparátio recensétur,
ópera solve diabóli et mortífera víncula disrúmpe peccáti,
ut, destrúcta malignitáte quæ nócuit,
vincat pótius misericórdia quæ redémit.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 76, 13-15; 145, 7-8 83/3

Meditábor in ómnibus opéribus tuis,
et in adinventiónibus tuis exercébor.
Deus, in sancto via tua,
qui facis mirabília.
Dóminus solvit compedítos,
Dóminus illúminat cæcos,
Dóminus érigit depréssos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 83/4

Súpplicum vota, omnípotens Deus, propítius intuére,
et fidélibus tuis multíplici miseratióne succúrre,
ut, qui sunt per te redémpti,
ad spem ætérnæ vitæ tua moderatióne servéntur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 83/5

Per hæc, quǽsumus, Dómine, sacraménta
nostræ véniat redemptiónis efféctus,
qui et nos ab humánis rétrahat semper excéssibus
et ad salutária cuncta perdúcat.
Per Christum.

PRÆFATIO 83/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
grátias tibi, Dómine, nos reférre
et totis sénsibus confitéri,
quóniam per te, mundi cæcitáte detérsa,
verum infírmis lumen emícuit.

Inter multárum enim tuárum virtútum clarióra mirácula
cæcum a nativitáte vidére iussísti,
in quo genus humánum, origináli calígine maculátum,
sacro figurarétur fonte recépta luce sanándum.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

vel: 83/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui genus humánum, in ténebris ámbulans,
ad fídei claritátem per mystérium incarnatiónis addúxit,
et eos, qui servi peccáti véteris nascebántur,
per lavácrum regeneratiónis in fílios adoptiónis assúmpsit.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Rom 13, 13; Mt 5, 16 83/7

Fratres, sit in nobis amor lucis
et cura honestátis.
Tamquam in die ambulántes,
ópera nostra coram Deo
lucére cupiámus.

TRANSITORIUM Cf. Prov 9, 5-6; Ap 2, 17; 3, 5 83/8

Veníte, comédite panem meum, dicit Dóminus,
et bíbite vinum quod míscui vobis, et vívite.
Da nobis, Iesu pie, manna abscónditum,
et ne déleas nos de libro vitæ.

POST COMMUNIONEM 83/9

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut omnes, qui sunt de uno pane partícipes,
se ínvicem fóveant caritáte,
et quasi unum corpus divérsa se membra susténtent.
Per Christum.

INGRESSA 84/1

Iucúnda est præsens vita, et transit.
Terríbile est, Christe, iudícium tuum, et pérmanet.
Quaprópter incértum amórem relinquámus,
et de infiníto timóre cogitémus, clamántes:
Christe, miserére nobis.

SUPER POPULUM 84/2

**Fides, Dómine, fámulis tuis verbo salútis accréscat,
quæ in móribus congruénter
præcípua lúceat caritáte.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Os 14, 5-6 84/3

Sanábo prævaricatiónem eórum, dicit Dóminus,
díligam eos spontánee,
quia avérsus est furor meus ab eis.
Ero quasi ros pro Israel;
germinábit quasi lílium
et mittet radíces suas ut Líbanus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 84/4

**Vota nostra, quǽsumus, Dómine, pio favóre proséquere,
ut, dum tua dona in tribulatióne percípimus,
de consolatióne nostra in tui amóre crescámus.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 84/5

**Ut tibi grata sint, Dómine, múnera pópuli tui,
ab omni, quǽsumus, eum contágio perversitátis emúnda,
nec falsis gáudiis inhærére patiáris,
quem ad veritátis tuæ prǽmia veníre promíttis.
Per Christum.**

PRÆFATIO 84/6

**Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.**

Et te creatórem ómnium de frúctibus glorificáre prætéritis,
et de ventúris exoráre supplíciter,
ut, cum de percéptis non invenímur ingráti,
de percipiéndis non iudicémur indígni.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 84/7

Dómine, si irátus fúeris advérsus nos,
quem adiutórem quærémus?
Aut quis miserébitur infirmitátibus nostris?
Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam,
et Petrum, Iesu, lacrimántem suscepísti.
Nostram quoque pæniténtiam súscipe misericors,
et salva nos, Salvátor mundi.

TRANSITORIUM 84/8

Carnem habéntes quæ cito lábitur,
ad te, Dómine, concúrrimus vulneráti.
Qui venísti sanáre contrítos corde,
quæréntes súscipe remédium pæniténtiæ.

POST COMMUNIONEM 84/9

Divíni satiáti múneris largitáte,
quǽsumus, Dómine, Deus noster,
ut in huius semper participatióne vivámus.
Per Christum.

INGRESSA 85/1

Iucúnda est præsens vita, et transit.
Terríbile est, Christe, iudícium tuum, et pérmanet.
Quaprópter incértum amórem relinquámus,
et de infiníto timóre cogitémus, clamántes:
Christe, miserére nobis.

SUPER POPULUM 85/2

Deus, qui omnem hóminem veniéntem in hunc mundum illúminas,
grátiæ tuæ, quǽsumus, illústra corda nostra splendóre,
ut digne maiestátem tuam cogitáre ac dilígere valeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Os 14, 5-6 85/3

Sanábo prævaricatiónem eórum, dicit Dóminus,
díligam eos spontánee,
quia avérsus est furor meus ab eis.
Ero quasi ros pro Israel;
germinábit quasi lílium
et mittet radíces suas ut Líbanus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 85/4

Deprecatiónem nostram, quǽsumus, Dómine, benígnus exáudi,
et, quibus supplicándi concédis afféctum,
tríbue defensiónis auxílium.
Per Christum.

SUPER OBLATA 85/5

Misericordiárum Pater,
qui Fílium tuum pro nobis ómnibus tradidísti,
peccátis nostris benígnus ignósce,
et ópera pæniténtiæ, quæ cum donis deférimus,
fiant tibi quasi víctima salutáris.
Per Christum.

PRÆFATIO 85/6

Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes.

Qui per hos dies pæniténtiæ salutáris
ad sacraméntum superéminens frequentándum
fidéles tuos multiplicáta pietáte succúrris,
ut, suæ salútis mirabília recoléntes,
grátia Christi repleántur ubérrime,
et eius méritis felíciter sociéntur.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM 85/7

Dómine, si irátus fúeris advérsus nos,
quem adiutórem quærémus?
Aut quis miserébitur infirmitátibus nostris?
Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam,
et Petrum, Iesu, lacrimántem suscepísti.
Nostram quoque pæniténtiam súscipe miséricors,
et salva nos, Salvátor mundi.

TRANSITORIUM 85/8

Carnem habéntes quæ cito lábitur,
ad te, Dómine, concúrrimus vulneráti.
Qui venísti sanáre contrítos corde,
quæréntes súscipe remédium pæniténtiæ.

POST COMMUNIONEM 85/9

Huius nos, Dómine, percéptio sacraménti
et salúbriter mundet a crímine
et ad cæléstia regna perdúcat.
Per Christum.

INGRESSA 86/1

Iucúnda est præsens vita, et transit.
Terríbile est, Christe, iudícium tuum, et pérmanet.
Quaprópter incértum amórem relinquámus,
et de infiníto timóre cogitémus, clamántes:
Christe, miserére nobis.

SUPER POPULUM 86/2

Méntibus nostris, Dómine, sanctum atque spiritále ieiúnium
sincéra pietáte tractáre concéde,
ut festivitátis réditu venerándæ
ad intellegénda reparatiónis sacraménta crescámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Os 14, 5-6 86/3

Sanábo prævaricatiónem eórum, dicit Dóminus,
díligam eos spontánee,
quia avérsus est furor meus ab eis.
Ero quasi ros pro Israel;
germinábit quasi lílium
et mittet radíces suas ut Líbanus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 86/4

Grátiæ tuæ, miséricors Deus, nos rore purífica,
ut Ecclésiæ tuæ preces húmili corde clamántis
fiant expiátis méntibus gratióres.
Per Christum.

SUPER OBLATA 86/5

Labórem nostrum, Dómine, cum donis oblátis dignáre suscípere,
quo creatiónem tuam, te disponénte, perfícimus,
et Christo in redemptiónis ópere sociámur.
Qui vivit.

PRÆFATIO 86/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius nos fides éxcitat, spes érigit, cáritas iungit.
Cuius miserátio gratuíta puríficat
quos consciéntia reátus accúsat.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 86/7

Dómine, si irátus fúeris advérsus nos,
quem adiutórem quærémus?
Aut quis miserébitur infirmitátibus nostris?
Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam,
et Petrum, Iesu, lacrimántem suscepísti.
Nostram quoque pæniténtiam súscipe misericors,
et salva nos, Salvátor mundi.

TRANSITORIUM 86/8

Carnem habéntes quæ cito lábitur,
ad te, Dómine, concúrrimus vulneráti.
Qui venísti sanáre contrítos corde,
quæréntes súscipe remédium pæniténtiæ.

POST COMMUNIONEM 86/9

Cæléstis vitæ, Dómine, múnere vegetáti,
quǽsumus, ut, quod est nobis
in præsénti conversatióne mystérium,
éfficax fiat æternitátis auxílium.
Per Christum.

INGRESSA 87/1

Iucúnda est præsens vita, et transit.
Terríbile est, Christe, iudícium tuum, et pérmanet.
Quaprópter incértum amórem relinquámus,
et de infiníto timóre cogitémus, clamántes:
Christe, miserére nobis.

SUPER POPULUM 87/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut dígnitas condiciónis humánæ,
quæ per immoderántiam fúerat sauciáta,
medicinális parsimóniæ stúdio reformétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Os 14, 5-6 87/3

Sanábo prævaricatiónem eórum, dicit Dóminus,
díligam eos spontánee,
quia avérsus est furor meus ab eis.
Ero quasi ros pro Israel;
germinábit quasi lílium
et mittet radíces suas ut Líbanus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 87/4

Pópuli tui, Deus, institútor et rector,
peccáta, quibus impugnátur, expélle,
ut semper tibi plácitus et tuo munímine sit secúrus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 87/5

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quadragesimáli témpore débitis rite dimíssis,
grata tibi múnera deferéntes,
tuæ possímus caritátis habére consórtium.
Per Christum.

PRÆFATIO 87/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius bónitas hóminem cóndidit innocéntem,
damnávit iustítia peccatórem,
misericórdia redémit erràntem.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 87/7

Dómine, si irátus fuéris advérsus nos,
quem adiutórem quærémus?
Aut quis miserébitur infirmitátibus nostris?
Chananǽam et publicánum vocásti ad pæniténtiam,
et Petrum, Iesu, lacrimántem suscepísti.
Nostram quoque pæniténtiam súscipe misériCors,
et salva nos, Salvátor mundi.

TRANSITORIUM 87/8

Carnem hábentes quæ cito lábitur,
ad te, Dómine, concúrrimus vulneráti.
Qui venísti sanáre contrítos corde,
quæréntes súscipe remédium pæniténtiæ.

POST COMMUNIONEM 87/9

Cæléstia, quǽsumus, Dómine, dona capiéntes,
non ad iudícium ea perveníre patiáris,
quæ fidélibus tuis ad remédium providísti.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ps 9, 2-3; Lc 4, 18-19 88/1
Narrábo ómnia mirabília tua, Dómine,
qui sanas tribulántes corde.
Lætábor et exsultábo in te,
qui cæcis ades réddere lumen.
Gaude, mens fidélium,
et de pascháli ventúra festivitáte fervésce.

SUPER POPULUM 88/2a
**Festivitáte, quǽsumus, Dómine, accedénte pascháli,
Ecclésia tua remissióne tota gáudeat peccatórum,
ut, qui dudum in adoptivórum sorte numerántur,
iam non inveniántur in vítiis vetustátis.
Per Dóminum.**

vel: 88/2b
**Famíliæ tuæ, Dómine, quǽsumus, ánnue miserátus,
ut ad vitam tránseat de peccátis,
quæ iam per fontem cum gáudio resurréxit.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 88/3
Sancto Spíritu tuo creásti ómnia:
quia pópuli tui sumus et ópera mánuum tuárum,
Dómine, líbera nos.
Ne festínes, Christe, pérdere imáginem tuam,
quam dilexísti cum Patre super ómnia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 88/4
**Súscipe, Dómine, quas tibi preces gratánter effúndimus,
ut, qui te Patrem nos habére dignóscimus,
a te mereámur affέctu paternitátis audíri.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 88/5
**Inténde, quǽsumus, omnípotens Deus, précibus nostris
cum donis reverénter oblátis,
et pæniténtibus nobis concéde cleménter
quod contríta corda comméndet et afféctum dilectiónis enútriat.
Per Christum.**

PRÆFATIO 88/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui ténebras infidelitátis a nostris méntibus effugávit,
et lumen veritátis et grátiæ
cleménter affectibus infúdit humánis;
ut, qui ante videbámur corde cæcáti,
ipsum Dei Fílium fateámur,
et salútis sequámur auctórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 2 Tim 1, 10; Eph 5, 8 88/7

Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per evangélium:
In te crédimus, Christe;
tuum córdibus lumen infúnde,
ut lucis fílii efficiámur.

TRANSITORIUM Ap 19, 7; Lc 14, 15; cf. Io 6, 52 88/8

Iste est panis, quem Dóminus dedit nobis ad vescéndum.
Gaudeámus et exsultémus
et demus glóriam Dómino Deo nostro,
quia venérunt núptiæ Agni.
Beátus qui manducábit panem in regno Dei.

POST COMMUNIONEM 88/9

Sacramentórum tuórum benedictiónibus roboráti,
quǽsumus, Dómine,
ut per hæc semper emendémur a vítiis,
et per Christi sequélam ad te festinánter adeámus.
Qui vivit.

89 DOMINICA V IN QUADRAGESIMA
de Lazaro

INGRESSA Cf. Gen 9, 15 89/1
Recordáre, Dómine, testaménti tui,
ut non desolétur terra,
et non perdas omnem ánimam vivam.
Exáudi, Dómine, voces servórum tuórum,
et ne fácias consummatiónem.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 89/2a
Da córdibus Ecclésiæ tuæ, Dómine, quæsumus,
desidéria terrénæ condiciónis abscíndere,
et cæléstis vitæ spíritum sénsibus eius largus infúnde;
nec præváleat auctor ille qui pérdidit,
sed vincat pótius qui redémit,
ut a vetustátis lege mundáta profíciat,
et ad ætérnam pervéniat tuo múnere novitátem.
Per Dóminum.

vel: 89/2b
Deus, qui, licet salútem hóminum semper operáris,
nunc tamen pópulum tuum grátia abundantióre lætíficas,
ad electiónem tuam respícere ne desístas,
ut patérnæ protectiónis auxílium
et regenerándos múniat et renátos.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Iudt 9, 2. 11 89/3
Infirmórum propitiátor, abiectórum protéctor,
desperandórum salvátor,
Deus patris mei et Deus hereditátis Israel,
dominátor cælórum et terræ,
creátor aquárum, rex totíus creatúræ tuæ,
exáudi preces nostras.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 89/4
Plebem tuam, quæsumus, Dómine, perpétua pietáte custódi,
ut, necessáriis adiúta subsídiis,
semper tibi gratiárum réferat actiónem.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 89/5

Dicátæ, Dómine, quǽsumus, capiámus oblatiónis efféctum,
ut, terrénæ vetustátis conversatióne mundáti,
cæléstis vitæ proféctibus innovémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 89/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui eminénti glória maiestátis,
mirabília plúrima perégit in terris,
inter quæ summæ virtúte pietátis
quatriduánum Lázarum a nexu fúneris liberávit.
O quam magnum et salutáre mystérium,
quod per resurrectiónem Lázari figuráliter designátur!
Ille tabo córporis dissolútus
per supérni regis impérium contínuo surréxit ad vitam;
nos quidem primi hóminis facínore consepúltos
divína Christi grátia ex ínferis liberávit,
et redivívos gáudiis réddidit sempitérnis.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus, uno clamántes ore atque dicéntes:

vel: 89/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mórtuus est, ut Dei grátia perpétua permanéret,
et ad redintegránda dona cæléstia,
quæ fráude fúerant amíssa malígni,
natúram resurrectióne sua ineffabíliter reformávit.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus, uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 3, 20 89/7

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus:
Si quis audíerit vocem meam et aperúerit iánuam,
introíbo ad illum et cenábo cum illo et ipse mecum.
Grátias tibi, laudes tibi, Deo meo,
magíster, pulsátor áurium meárum,
et illustrátor cordis mei.

TRANSITORIUM Cf. Ps 102, 1. 4-5; Rom 8, 32; Io 11, 25 89/8

Bénedic, ánima mea, Dómino,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus,
et cum Christo ómnia tibi donávit.
Bénedic, ánima mea, Dómino,
qui replet in bonis ætátem tuam.
Grátia Christus est,
vita Christus est,
Christus est resurréctio.

POST COMMUNIONEM 89/9

**Paschále sacraméntum, in remissiónem cónditum peccatórum,
fidélium, quǽsumus, Dómine, corda puríficet,
et in similitúdinem resurrectiónis
depositiónem péragat vetustátis.
Per Christum.**

INGRESSA 90/1

Peccávimus, Dómine, peccávimus.
Parce peccátis nostris et salva nos.
Qui gubernásti Noe super undas dilúvii, exáudi nos.
Et Ionam de abýsso verbo revocásti, líbera nos.
Qui Petro, dum mergerétur, manum porrexísti,
auxiliáre nobis, Christe, Fili Dei.
Ut sacra ventúra festívitas omnes lætántes,
omnes hábeat innocéntes.

SUPER POPULUM 90/2

**Tuam, Dómine, qui fons es vitæ,
imménsam cleméntiam implorámus,
ut, contémpta profunditáte vitiórum,
nobis te semper sitíre concédas
et observatióne tibi placére pæniténtiæ salutáris.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 104, 42-43 90/3

Memor fuit Dóminus verbi sancti sui
ad Abraham púerum suum.
Et edúxit pópulum suum in exsultatióne,
eléctos suos in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 90/4

**Da nobis, Deus omnípotens atque clemens,
ut, qui infirmitátis nostræ cónscii
de tua virtúte confídimus,
sub tua pietáte iúgiter gaudeámus.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 90/5

**Accépta tibi sit, quǽsumus, Dómine, nostræ devotiónis oblátio,
quæ et abstinéntiam nostram, te operánte, sanctíficet
et indulgéntiam nobis tuæ consolatiónis obtíneat.
Per Christum.**

PRÆFATIO 90/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui nos de donis bonórum temporálium
ad perceptiónem próvehis æternórum.
Hæc enim tríbuis, et illa promíttis,
ut et mansúris iam incipiámus ínseri
et prætereúntibus non tenéri.

Tuum est enim omne quod vívimus,
quia, licet peccáti vúlnere nostra sit vitiáta natúra,
tui tamen est óperis, ut a terrénis ad cæléstia renascámur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Gen 50, 11 90/7

Precámur, Dómine, ut áudias voces servórum tuórum,
et obliviscáris iniquitátes nostras;
et peccátum nostrum ne recordéris.

TRANSITORIUM Cf. Deut 9, 26; Ps 135, 1; Mt 20, 28 90/8

Dómine Deus, ne dispérdas pópulum tuum et hereditátem tuam,
quam redemísti in magnitúdine tua.
Confitébimur tibi, Dómine, quóniam bonus,
qui redemptiónem pro multis dedísti ánimam tuam.

POST COMMUNIONEM 90/9

Sacraménti tui, quǽsumus, Dómine, participátio salutáris,
et purificatiónem nobis prǽbeat et medélam.
Per Christum.

INGRESSA 91/1

Peccávimus, Dómine, peccávimus.
Parce peccátis nostris et salva nos.
Qui gubernásti Noe super undas dilúvii, exáudi nos.
Et Ionam de abýsso verbo revocásti, líbera nos.
Qui Petro, dum mergerétur, manum porrexísti,
auxiliáre nobis, Christe, Fili Dei.
Ut sacra ventúra festívitas omnes lætántes,
omnes hábeat innocéntes.

SUPER POPULUM 91/2

Maiestátem tuam, Dómine, propénsius implorámus,
ut, quanto magis dies salutíferæ festivitátis accédit,
tanto devótius ad celebrándum proficiámus paschále mystérium.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 104, 42-43 91/3

Memor fuit Dóminus verbi sancti sui
ad Abraham púerum suum.
Et edúxit pópulum suum in exsultatióne,
eléctos suos in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 91/4

Afflictiónem famíliæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
inténde placátus,
ut, indúlta vénia peccatórum,
de tuis semper benefíciis gloriétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 91/5

Concéde nobis, Dómine, celebratúris sancta mystéria,
ut tamquam fructum pæniténtiæ corporális
lætam tibi exhibeámus méntium puritátem.
Per Christum.

PRÆFATIO 91/6

Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes.

Qui sic nos tríbuis sollémne deférre ieiúnium,
ut indulgéntiæ tuæ sperémus obtinére subsídium;
sic nos instítuis ad festa paschália celebránda,
ut per hæc acquirámus gáudia sempitérna.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Gen 50, 11 91/7

Precámur, Dómine, ut áudias voces servórum tuórum,
et obliviscáris iniquitátes nostras;
et peccátum nostrum ne recordéris.

TRANSITORIUM Cf. Deut 9, 26; Ps 135, 1; Mt 20, 28 91/8

Dómine Deus, ne dispérdas pópulum tuum et hereditátem tuam,
quam redemísti in magnitúdine tua.
Confitébimur tibi, Dómine, quóniam bonus,
qui redemptiónem pro multis dedísti ánimam tuam.

POST COMMUNIONEM 91/9

Deus, cuius ineffábili grátia
per sacrosáncta mystéria omni benedictióne ditámur,
præsta nobis sic in vitæ transíre novitátem,
ut regni cæléstis glóriæ præparémur.
Per Christum.

INGRESSA 92/1

Peccávimus, Dómine, peccávimus.
Parce peccátis nostris et salva nos.
Qui gubernásti Noe super undas dilúvii, exáudi nos.
Et Ionam de abýsso verbo revocásti, líbera nos.
Qui Petro, dum mergerétur, manum porrexísti,
auxiliáre nobis, Christe, Fili Dei.
Ut sacra ventúra festívitas omnes lætántes,
omnes hábeat innocéntes.

SUPER POPULUM 92/2

**Annue his sacris diébus, Dómine, miserátus,
ut, qui letálium sumus cónscii peccatórum,
aliénis ignoscéndo delíctis,
tuam festinémus ad véniam.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 104, 42-43 92/3

Memor fuit Dóminus verbi sancti sui
ad Abraham púerum suum;
et edúxit pópulum suum in exsultatióne,
eléctos suos in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 92/4

**Sanctificáta per pæniténtiam,
tuórum corda filiórum, Deus, miserátor illústra,
et, quibus præstas devotiónis afféctum,
præbe supplicántibus pium benígnus audítum.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 92/5

**Súscipe, creátor omnípotens Deus,
quæ de tuæ munificéntiæ largitáte deférimus,
et temporália nobis colláta præsídia
ad vitam convérte propitiátus ætérnam.
Per Christum.**

PRÆFATIO 92/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia fidélibus tuis cleménti dignatióne concédis
quotánnis paschália sacraménta purificátis méntibus exspectáre,
ut, pietátis offícia et ópera caritátis propénsius exsequéntes,
frequentatióne mysteriórum,
quibus in Christo donánte renáti sunt,
ad adoptiónis plenitúdinem perducántur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Gen 50, 11 92/7

Precámur, Dómine, ut áudias voces servórum tuórum,
et obliviscáris iniquitátes nostras;
et peccátum nostrum ne recordéris.

TRANSITORIUM Cf. Deut 9, 26; Ps 135, 1; Mt 20, 28 92/8

Dómine Deus, ne dispérdas pópulum tuum et hereditátem tuam,
quam redemísti in magnitúdine tua.
Confitébimur tibi, Dómine, quóniam bonus,
qui redemptiónem pro multis dedísti ánimam tuam.

POST COMMUNIONEM 92/9

Cæléstis doni benedictióne percépta,
súpplices te, Deus omnípotens, deprecámur,
ut hoc idem nobis et sacraménti causa sit et salútis.
Per Christum.

INGRESSA 93/1

Peccávimus, Dómine, peccávimus.
Parce peccátis nostris et salva nos.
Qui gubernásti Noe super undas dilúvii, exáudi nos.
Et Ionam de abýsso verbo revocásti, líbera nos.
Qui Petro, dum mergerétur, manum porrexísti,
auxiliáre nobis, Christe, Fili Dei.
Ut sacra ventúra festívitas omnes lætántes,
omnes hábeat innocéntes.

SUPER POPULUM 93/2

Benedictiónem tuam, Dómine,
tam sacro témpore córdibus nostris largus infúnde,
ut, domínicam passiónem ventúris mystériis celebrántes,
eius ímbui reparáta grátia mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 104, 42-43 93/3

Memor fuit Dóminus verbi sancti sui
ad Abraham púerum suum.
Et edúxit pópulum suum in exsultatióne,
eléctos suos in lætítia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 93/4

Fidélibus tuis, Dómine, quǽsumus, esto propítius,
ut, quæ tibi non sunt plácita respuéntes,
tuórum pótius repleántur dilectiónibus mandatórum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 93/5

Concéde, nobis, quǽsumus, Dómine,
tibi beneplácitum nostræ mentis afféctum,
et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme.
Per Christum.

PRÆFATIO 93/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Ad cuius imménsam pértinet glóriam,
ut non solum mortálibus tua deitáte succúrreres,
sed de ipsa étiam mortalitáte nostra nobis remédium providéres,
et pérditos quosque, unde períerant, inde salváres.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Gen 50, 11 93/7

Precámur, Dómine, ut áudias voces servórum tuórum,
et obliviscáris iniquitátes nostras;
et peccátum nostrum ne recordéris.

TRANSITORIUM Cf. Deut 9, 26; Ps 135, 1; Mt 20, 28 93/8

Dómine Deus, ne dispérdas pópulum tuum et hereditátem tuam,
quam redemísti in magnitúdine tua.
Confitébimur tibi, Dómine, quóniam bonus,
qui redemptiónem pro multis dedísti ánimam tuam.

POST COMMUNIONEM 93/9

Te, Dómine, súpplices implorámus,
ut in illa caritáte,
qua Fílius tuus morti se trádidit dilectiónis ardóre,
inveniámur ipsi, tanti mystérii partícipes,
alácriter ambuláre.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ps 118, 4-5; Mt 11, 29-30 94/1

Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis.
Utinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas.
Suáve iugum tuum, Dómine Iesu, qui es húmilis corde,
et leve super nos, mitíssime Salvátor, onus tuum.

SUPER POPULUM 94/2a

Deus, qui géneris humáni ita es cónditor,
ut sis étiam reformátor,
propitiáre pópulis adoptívis,
et novo testaménto súbolem novæ prolis ascríbe,
ut fílii promissiónis, quod non potuérunt ássequi per natúram,
gáudeant se recepísse per grátiam.
Per Dóminum.

vel: 94/2b

Deus, de cuius grátiæ rore descéndit,
ut ad mystéria tua purgátis sénsibus accedámus,
concéde, ut in eórum traditióne sollémniter honoránda,
cómpetens deferámus obséquium.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 2 Mac 1, 26-27 94/3

Custódi, Deus, partem tuam et sanctífica.
Dómine, cóngrega dispersiónem nostram,
líbera eos, qui sérviunt géntibus,
ut sciant omnes, quia tu es Deus noster.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 94/4

Deus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis,
præsta, quǽsumus,
ut Ecclésia tua ætérnis profíciat institútis,
et temporáliter non destituátur auxíliis.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 94/5

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos ad ætérnam vitam
in confessiónem tui nóminis baptísmatis réparas sacraménto,
súscipe tuórum múnera et vota famulórum,
ut in te sperántium
et desidéria iúbeas pérfici et peccáta deléri.
Per Christum.

PRÆFATIO 94/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui hoc acceptábili præcípue témpore
evangélio salútis fílios tuos erudíre non cessas,
et summa pietáte non désinis adiuváre,
ut et sciéntiam in Christo recta faciéndi
et possibilitátem cápiant exsequéndi.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 94/7

Qui cognóscis ómnium occúlta,
a delícto meo munda me,
in sánguine tuo.
Tempus mihi concéde, Iesu,
ut pǽnitens clamem:
Peccávi, miserére mei.

TRANSITORIUM 94/8

Ad te venímus, Dómine, laborántes:
réfice pópulum tuum.
Tuam ánimis vitam largíre,
ut adoptiónis fílii evadámus in te.

POST COMMUNIONEM 94/9

Huius, quǽsumus, Dómine, frequentatióne mystérii,
Christi pássio continuétur in nobis,
ut futúra glória compleátur.
Per eúndem Christum.

HEBDOMADA IN AUTHENTICA

DOMINICA IN PALMIS

Hac die Ecclesia recolit Christum Dominum qui initium suæ passioni dat cena Betaniæ et ingressu in Ierusalem.

Ingressus in Ierusalem speciali celebratione memoratur.

95 Commemoratio ingressus Domini in Ierusalem

Memoria ingressus Domini in Ierusalem duplici forma adimpleri potest.

Forma prior: Processio

Hora competenti fit collecta in ecclesia minore vel alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit. Fideles ramos in manibus tenent.

Sacerdos et ministri, induti sacris vestibus coloris rubri pro missa requisitis, accedunt ad locum ubi populus est congregatus. Sacerdos, loco planetæ, induere potest pluviale, quod deponit expleta processione.

Interim cantatur cantus congruus.

Tunc sacerdos populum de more salutat; ac deinde fit brevis monitio, qua fideles ad celebrationem huius diei actuose et conscie partecipandam invitantur his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, 95/A
postquam iam ab inítio quadragésimæ
corda nostra pæniténtia et opéribus caritátis præparávimus,
hodiérna die congregámur,
ut cum tota Ecclésia
præludámus paschále Dómini nostri mystérium,
eius nempe passiónem atque resurrectiónem,
ad quod impléndum ipse ingréssus est civitátem suam Ierúsalem.
Quare cum omni fide et devotióne
memóriam agéntes huius salutíferi ingréssus,
sequámur Dóminum,
ut, per grátiam consórtes effécti crucis,
partem habeámus resurrectiónis et vitæ.

Post monitionem, sacerdos procedit ad benedictionem palmarum et olivarum ut sequitur:

Orémus. 95/B

Bénedic, ✠ Dómine, quǽsumus,
hos palmárum (seu olivárum) ramos,
et dignáre concédere,
ut, quod pópulus tuus hodiérna die
corporáliter tua veneratióne proséquitur,
hoc spirităliter summa devotióne perfíciat,
de hoste victóriam reportándo
et opus misericórdiæ summópere diligéndo.
Per Dóminum.

Sacerdos, pro opportunitate, infundit incensum in turibulum, aspergit ramos aqua benedicta nihil dicens, et postea eos incensat.

Deinde sacerdos distribuit ramos clero et populo, nisi fideles iam ramos in manibus teneant.

Interim vero cantantur sequentes antiphonæ vel alius cantus idoneus:

ANTIPHONA I Cf. Mt 21, 9. 15 95/C

Púeri clamábant in templo, dicéntes:
Benedíctus qui venit in nómine Dómini;
hosánna in excélsis.

PSALMELLUS Ps 118, 1-8 95/D

Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia eius:
in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem,
in viis eius ambulavérunt.

Tu mandásti mandáta tua
custodíre nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas!

Tunc non confúndar,
in respiciéndo me in ómnia mandáta tua.

Confitébor tibi in directióne cordis,
in eo quod didícerim iudícia iustítiæ tuæ.

Iustificatiónes tuas custódiam,
non me derelínquas usquequáque.

Glória Patri et Fílio
et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen.

ANTIPHONA I Cf. Mt 21, 9. 15
Púeri clamábant in templo, dicéntes:
Benedíctus qui venit in nómine Dómini;
hosánna in excélsis.

ANTIPHONA II Cf. Io 12, 12-13 95/E
Turba multa venit ad diem festum,
et obtulérunt ei medúllas palmárum,
et clamábant dicéntes:
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Repetuntur vero hæc quousque ramorum distributio compleatur.

Ad inchoandam autem processionem, fieri potest a celebrante vel ab alio ministro idoneo monitio his vel similibus verbis:

**Imitémur, fratres caríssimi, turbas acclamántes Iesum,
et procedámus in pace.**

Processio fit hoc ordine. Præcedunt acolythi cum turibulo; sequitur crucifer cum cruce, medius inter duos acolythos cum cereis accensis; tum clerus, et ultimo sacerdos prædictus, et post eos fideles ramos gestantes.

Cantantur autem sequentes antiphonæ, vel omnes, vel aliquæ, quamdiu durat processio:

ANTIPHONA III Cf. Io 12, 17-18. 13; Mt 21, 9 95/F
Testificáta est turba, quæ erat cum Iesu,
quia Dóminus Lázarum vocávit de monuménto,
et suscitávit eum a mórtuis.
Propter hoc cum ramis palmárum obviávit ei,
clamans et dicens: Hosánna regi Israel;
benedíctus qui venit in nómine Dómini:
hosánna in excélsis.

ANTIPHONA IV Cf. Ps 143, 5; Mt 21, 5. 8-9 95/G
Inclinásti cælos, et descendísti ad terram,
ut misériccors.
Thronum chérubim non dereliquísti,
pullum propter nos sedísti, Salvátor mundi.
Et púeri hebræórum occurrérunt tibi,
et suméntes palmas in mánibus benedixérunt te:
Benedíctus qui venísti ad passiónem voluntárie
ad liberándum nos:
glória tibi.

ANTIPHONA V Cf. Mt 21, 7-9 95/H

Cum ramis olivárum púeri laudant te,
super pullum novum osténsus es véniens.
Et nos tibi psállimus:
Hosánna, Deus, miserére nobis.

ANTIPHONA VI Cf. Mt 21, 8-9 95/I

Veníte omnes: adorémus thronum dominatiónis
ante sex dies passiónis,
quia véniet Dóminus in civitátem Ierúsalem
adimplére scriptúras.
Occurrérunt ei púeri sternéntes vestiménta sua,
et in mánibus portántes ramos olívæ,
et clamábant voce magna, dicéntes:
Hosánna in excélsis;
benedíctus qui venísti in multitúdine:
miserére nobis.

ANTIPHONA VII Cf. Is 6, 3; Io 12, 13 95/L

Pleni sunt cæli et terra
glória maiestátis tuæ, Dómine.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini, rex Israel,
ut hymnum dicámus nómini tuo, Dómine.

ANTIPHONA VIII Mc 11, 9 95/M

Hosánna in excélsis;
benedíctus qui venit in nómine Dómini:
hosánna in excélsis.

ANTIPHONA IX Ps 117, 27a 95/N

Deus Dóminus, et illúxit nobis.

ANTIPHONA X Ps 117, 27b 95/O

Constitúite sollemnitátem in confrequentatiónibus,
usque ad cornu altáris.

ANTIPHONA XI Ps 117, 28 95/P

Deus meus es tu, et confitébor tibi;
Deus meus es tu, et exaltábo te.

ANTIPHONA XII Ps 117, 21 95/Q

Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudísti me,
et factus es mihi in salútem.

ANTIPHONA XIII Ps 117, 29 95/R

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

HYMNUS

Magnum salútis gáudium!
Lætétur omne sǽculum:
Iesus, redémptor géntium,
Sanávit orbem lánguidum.

Sex ante Paschæ férias
Advénit in Bethániam,
Ubi pie post tríduum
Resuscitávit Lázarum.

Nardi María pístici
Sumpsit libram mox óptimi,
Unxit beátos Dómini
Pedes rigándo lácrimis.

Post hæc iugális ásinæ
Iesus, supérnus árbiter,
Pullo sedébat, ínclitam
Pergébat Ierosólimam.

O quam stupénda píetas!
Mira Dei cleméntia!
Sessor asélli fíeri
Dignátur auctor sǽculi.

Olim prophéta prǽscius
Prædíxit almo Spíritu:
Exsúlta, dicens, fília
Sion, satis et iúbila.

Rex ecce tuus húmilis,
Noli timére, véniet,
Pullum iugális résidens,
Tibi benígnus, pátiens.

Ramos viréntes súmpserat
Palma recísos ténera
Turba, procéssit óbviam
Regi perénni plúrima.

Cœtus sequens et prǽvius,
Sanctóque plenus Spíritu
Clamábat: In altíssimis
Hosánna David fílio.

Quidam solútis stróphiis
Viam tegébant véstibus,
Plurésque flore cándido
Iter parábant Dómino.

Ad cuius omnis cívitas
Commóta ingréssum trémuit,
Hebrǽa proles áurea
Laudes ferébat débitas.

Nos ergo tanto iúdici
Currámus omnes óbviam,
Palmas geréntes glóriæ,
Mente canámus sóbria.

Honor, decus, impérium
Sit Trinitáti únicæ,
Patri, Nato, Paráclito
Per infiníta sǽcula.
Amen.

In gremio ecclesiæ: Kýrie eléison, duodecies in tono.

ANTIPHONA Mc 11, 9 95/T

Benedíctus qui venit in nómine Dómini:
hosánna in excélsis.

Glória Patri et Fílio
et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini:
hosánna in excélsis.

Sacerdos, cum ad altare pervenerit, illud veneratur et, pro opportunitate, incensat. Deinde pergit ad sedem (dimittit pluviale et assumit planetam) et, omissis aliis, ad complendam processionem dicit sequentem orationem:

SUPER POPULUM 95/2

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, remótis tua miseratióne peccátis,
Christo veniénti viam digne fídei præparémus,
et opéribus iustítiæ palmam victóriæ consequámur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 6, 3; Io 12, 13 95/3

Pleni sunt cæli et terra
glória maiestátis tuæ, Dómine.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini, rex Israel,
ut hymnum dicámus nómini tuo, Dómine.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 95/4

Auge fidem in te sperántium, Deus,
et súpplicum preces cleménter exáudi,
ut, qui hódie Christo triumphánti pálmites exhibémus,
in ipso fructus tibi bonórum óperum afferámus.
Qui vivit.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 95/5

Da nobis, quǽsumus, Dómine, tua digne tractáre mystéria,
ut miseratiónibus tuis cóngruo respondeámus obséquio,
et fiduciálius impetránda poscámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 95/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Fílium tuum Dóminum nostrum Iesum Christum
in hunc mundum pro nostra salúte misísti,
ut ad nos húmilis inclinarétur et pátiens,
nosque ad te mirabíliter revocáret.
Qui vero, dum Ierúsalem veníret adimplére scriptúras,
credéntium turbam répperit fidelíssima devotióne clamántem,
et in via cum ramis olivárum sua vestiménta sternéntem.

Dignum est ergo ut, sicut pueríli voce laudátio personábat,
ita omni amóre repléti
modulátis vócibus decantémus:

CONFRACTORIUM Ps 117, 21. 29 95/7

Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudísti me,
et factus es mihi in salútem.
Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

TRANSITORIUM 95/8

Adveniénti Dómino omnes occurrámus cum hymnis et cánticis,
glorificántes et dicéntes: Benedíctus Dóminus.
Qui Ierúsalem ascendísti ad passiónem subeúndam,
ut intráres in glóriam,
perduc Ecclésiam tuam in pascha æternitátis.

POST COMMUNIONEM 95/9

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut hoc eódem, quo nos temporáliter végetas sacraménto,
effícias vitæ Christi in æternitáte partícipes.
Qui vivit.

Forma altera: Introitus sollemnis

Ubi processio extra ecclesiam fieri nequit, ingressus Domini celebratur intra ecclesiam per introitum sollemnem ante missam principalem.

Fideles congregantur vel ante portam ecclesiæ vel in ipsa ecclesia, ramos in manibus tenentes. Sacerdos et ministri et aliqua deputatio fidelium accedunt ad locum ecclesiæ, extra presbyterium, aptum, ubi saltem maior pars fidelium ritum conspicere possit.

Dum sacerdos ad locum dictum accedit, fit cantus idoneus. Deinde fit benedictio ramorum. Postea sacerdos procedit sollemniter cum ministris et deputatione fidelium per ecclesiam ad presbyterium, dum cantatur aliqua antiphona processioni propria vel hymnus Magnum salútis gáudium vel cantus aptus.

Cum autem ad altare pervenerit, sacerdos illud veneratur. Deinde pergit ad sedem et, omissis aliis, dicit orationem super populum missæ processionis, quæ deinde prosequitur more solito.

Introitus sollemnis, non autem processio, reiterari potest ante missas magno concursu populi.

In casu reiterationis ingressus sollemnis, missa quæ sequitur est de die.

DOMINICA IN PALMIS
96 IN DIE

INGRESSA Cf. Phil 2, 8. 10-11 96/1
In nómine Iesu omne genu flectátur,
cæléstium et terréstrium et infernórum,
quia Dóminus factus est obœ́diens usque ad mortem,
mortem autem crucis.
Ideo Dóminus Iesus Christus in glória est Dei Patris.

Non dicitur Glória.

SUPER POPULUM 96/2
Omnípotens sempitérne Deus,
qui Christi tui beáta passióne nos réparas,
dignáre in nobis ópera tuæ misericórdiæ custodíre,
ut huius celebritáte mystérii
perpétua devotióne vivámus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Pt 2, 21. 24 96/3
Sequámur, fratres, Christi vestígia salútis,
qui passus est pro nobis, relínquens exémplum.
Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum,
ut peccátis mórtui iustítiæ viverémus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 96/4
Omnípotens sempitérne Deus,
qui vitam humáni géneris,
Fílio tuo moriénte, salvásti,
præsta, quǽsumus,
ut in hac pópuli tui devotióne præcípua
fructus abúndans provéniat gaudiórum.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 96/5
Ipsa maiestáti tuæ, Dómine,
fidéles pópulos comméndet oblátio,
quæ per Fílium tuum reconciliávit inimícos.
Qui vivit.

PRÆFATIO 96/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui pati pro ímpiis dignátus est ínnocens,
et pro scelerátis indébite condemnári.
Cuius mors delícta nostra detérsit,
et iustificatiónem nobis resurréctio comparávit.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Is 55, 1 96/7

Sitiéntes, veníte ad aquas, dicit Dóminus.
Et qui non habétis prétium, veníte et édite,
et bíbite in lætítia.

TRANSITORIUM Cf. Eph 1, 6-7; Hebr 9, 14 96/8

Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo,
in quo habémus redemptiónem per sánguinem eius.
Emúnda, Dómine, consciéntiam nostram ab opéribus mortis,
nobis peccatóribus ignósce, et sana vúlnera nostra.

POST COMMUNIONEM 96/9

Sanctíficent nos, Dómine, sumpta mystéria,
et paschális observántiæ
sufficiéntem nobis tríbuant facultátem.
Per Christum.

INGRESSA Is 53, 4; cf. Ap 5, 9 97/1

Vere languóres nostros ipse tulit
et dolóres nostros ipse portávit.
Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne.

SUPER POPULUM 97/2

**Adiuva nos, Deus salutáris noster,
et ad benefícia recolénda,
quibus nos instauráre dignátus es,
tríbue veníre gaudéntes.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. 1 Pt 2, 21. 24 97/3

Sequámur, fratres, Christi vestígia salútis,
qui passus est pro nobis, relínquens exémplum.
Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum,
ut peccátis mórtui iustítiæ viverémus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 97/4

**Súpplicum preces, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
et ad passiónem Fílii tui áptius celebrándam
purificátis méntibus propinquáre concéde.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 97/5

**Hæc sacrifícia nos, omnípotens Deus,
poténti virtúte mundátos,
ad suum fáciant purióres veníre princípium.
Per Christum.**

PRÆFATIO 97/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius nos humánitas cólligit,
humílitas érigit, tradítio absólvit,
pœna rédimit, crux salvíficat,
sanguis emáculat, caro sagínat.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 97/7

Sero veniénti, Dómine, sed pulsánti
óstium tuum ne cláuseris
neu te expeténtis preces reiéceris.
Convívii tui lætítia, te donánte, delectémur
et regni tui panem suáviter gustémus.

TRANSITORIUM 97/8

Diligéntes se Dóminus benígne áspicit
et suam bonitátem sperántes.
Captivórum gémitus exáudit,
suæ mortis mystério líberat et vivíficat.

POST COMMUNIONEM 97/9

Vísita, quǽsumus, Dómine, plebem tuam,
et corda sacris dicáta mystériis pietáte tuére pervígili,
ut remédia salútis ætérnæ,
quæ te miseránte percépit,
te iúgiter protegénte custódiat.
Per Christum.

INGRESSA Is 53, 4; cf. Ap 5, 9 98/1

Vere languóres nostros ipse tulit
et dolóres nostros ipse portávit.
Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne.

SUPER POPULUM 98/2

**Tua nos misericórdia, Deus, supplíciter deprecántes,
et ab omni subreptióne vetustátis expúrget
et capáces sanctæ novitátis effíciat.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. 1 Pt 2, 21. 24 98/3

Sequámur, fratres, Christi vestígia salútis,
qui passus est pro nobis, relínquens exémplum.
Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum,
ut peccátis mórtui iustítiæ viverémus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 98/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
da nobis ita domínicæ passiónis sacraménta perágere,
ut indulgéntiam percípere mereámur.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 98/5

**Grata tibi sint, Dómine, múnera,
quibus mystéria celebrántur
nostræ libertátis et vitæ.
Per Christum.**

PRÆFATIO 98/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius salutíferæ passiónis et gloriósæ resurrectiónis
dies appropinquáre noscúntur,
in quibus et antíqui hostis supérbia triumphátur
et nostræ redemptiónis mystérium celebrátur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 98/7

Sero veniénti, Dómine, sed pulsánti
óstium tuum ne cláuseris
neu te expeténtis preces reiéceris.
Convívii tui lætítia, te donánte, delectémur
et regni tui panem suáviter gustémus.

TRANSITORIUM 98/8

Diligéntes se Dóminus benígne aspicit
et suam bonitátem sperántes.
Captivórum gémitus exáudit,
suæ mortis mystério líberat et vivíficat.

POST COMMUNIONEM 98/9

Sacro múnere satiáti,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, qui fecísti nos morte Fílii tui speráre quod crédimus,
fácias nos, eódem resurgénte,
perveníre quo téndimus.
Per Christum.

INGRESSA Is 53,4; cf. Ap 5,9 99/1
Vere languóres nostros ipse tulit
et dolóres nostros ipse portávit.
Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne.

SUPER POPULUM 99/2
Deus, qui pro nobis Fílium tuum
crucis patíbulum subíre voluísti,
ut inimíci a nobis expélleres potestátem,
concéde nobis fámulis tuis,
ut resurrectiónis eius grátiam consequámur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Pt 2,21.24 99/3
Sequámur, fratres, Christi vestígia salútis,
qui passus est pro nobis, relínquens exémplum.
Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum,
ut peccátis mórtui iustítiæ viverémus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 99/4
Præsta, quæsumus, omnípotens Deus,
ut, qui nostris excéssibus incessánter afflígimur,
per Unigéniti Fílii tui passiónem felíciter liberémur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 99/5
Súscipe, quæsumus, Dómine, munus oblátum,
et dignánter operáre,
ut, quod mystério gérimus passiónis,
piis affectibus consequámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 99/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia per Fílii tui salutíferam passiónem
totus orbis sensum confiténdæ tuæ maiestátis accépit,
dum crucis admiránda poténtia
iudícium mundi et potéstas émicat Crucifíxi.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 99/7

Sero veniénti, Dómine, sed pulsánti
óstium tuum ne cláuseris
neu te expeténtis preces reiéceris.
Convívii tui lætítia, te donánte, delectémur
et regni tui panem suáviter gustémus.

TRANSITORIUM 99/8

Diligéntes se Dóminus benígne áspicit
et suam bonitátem sperántes.
Captivórum gémitus exáudit,
suæ mortis mystério líberat et vivíficat.

POST COMMUNIONEM 99/9

Sénsibus nostris, omnípotens Deus, largíre placátus,
ut temporálem Fílii tui mortem,
quam mystéria veneránda testántur,
vitam nobis dedísse perpétuam confidámus.
Per Christum.

100 FERIA V HEBDOMADÆ IN AUTHENTICA AD MISSAM CHRISMATIS

Hæc missa, quam episcopus cum suo presbyterio concelebrat, et in qua olea sacra benedicuntur, sit veluti manifestatio communionis presbyterorum cum suo episcopo; expedit proinde ut omnes presbyteri, quantum fieri potest, ipsam participent et in ea communionem sumant, etiam sub utraque specie. Ad unitatem autem presbyterii diœcesis significandam presbyteri, qui cum episcopo concelebrant, sint e diversis regionibus diœcesis.

In homilia, episcopus suos presbyteros hortetur ad fidelitatem in suo munere servandam, eosque invitet ad promissiones suas sacerdotales publice renovandas.

INGRESSA Ap 1, 6 100/1

Iesus Christus fecit nos regnum,
sacerdótes Deo et Patri suo:
ipsi glória et impérium in sǽcula sæculórum.
Amen.

SUPER POPULUM 100/2

Deus, qui Unigénitum tuum sancto Spíritu perunxísti
Christúmque constituísti Dóminum in ætérnum,
concéde propítius,
ut, ipsíus partícipes consecratiónis effécti,
testes redemptiónis inveniámur in mundo.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 4, 18 100/3

Spíritus Dómini super me;
propter quod unxit me
evangelizáre paupéribus,
misit me dimíttere confráctos in remissióne.

Homilia expleta, episcopus, cum presbyteris, facit renovationem promissionum sacerdotalium.

Episcopus:

Fílii caríssimi, ánnua redeúnte memória diéi, 100/A
qua Christus Dóminus sacerdótium suum
cum apóstolis nobísque communicávit,
vultis olim factas promissiónes
coram epíscopo vestro et pópulo sancto Dei renováre?

Presbyteri, una simul, respondent:

Volo.

Vultis Dómino Iesu ártius coniúngi et conformári,
vobismetípsis abrenuntiántes,
atque promíssa confirmántes sacrórum officiórum,
quæ, Christi amóre indúcti, erga eius Ecclésiam,
sacerdotális vestræ ordinatiónis die, cum gáudio suscepístis?

Volo.

Vultis fidéles esse dispensatóres mysteriórum Dei
per sanctam eucharístiam ceterásque litúrgicas actiónes,
atque sacrum docéndi munus,
Christum caput atque pastórem sectándo, fidéliter implére,
non bonórum cúpidi,
sed animárum zelo tantum indúcti?

Volo.

Deinde, ad populum conversus, episcopus prosequitur:

Vos autem, fílii dilectíssimi,
pro presbýteris vestris oráte,
ut Dóminus super eos bona sua abundánter effúndat,
quátenus fidéles minístri Christi, summi sacerdótis,
vos ad eum perdúcant, qui fons est salútis.

Populus:

Christe, audi nos. Christe, exáudi nos.

Et pro me étiam oráte,
ut fidélis sim múneri apostólico humilitáti meæ commísso,
et inter vos effíciar viva et perféctior in dies
imágo Christi sacerdótis, boni pastóris,
magístri et ómnium servi.

Christe, audi nos. Christe, exáudi nos.

Dóminus nos omnes in sua caritáte custódiat
et ipse nos univérsos, pastóres et oves,
ad vitam perdúcat ætérnam.

Omnes:

Amen.

Oratio universalis omittitur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 100/4

Da nobis, omnípotens Deus,
remédia condiciónis humánæ sincéro tractáre servítio
et cum proféctu salútis implére.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 100/5

Huius sacrifícii, Dómine, quǽsumus, poténtia singuláris
et vetustátem nostram cleménter abstérgat
et novitátem nobis áugeat ac salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 100/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Unigénitum tuum sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam hómines mánuum impositióne
singulári éligit bonitáte,
ut eos ministérii sui sacri consórtes effíciat.

Qui sacrifícium redemptiónis humánæ, eius nómine, repræséntent,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te ac fratrum salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 88, 2 100/7

Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

TRANSITORIUM Cf. Iudt 9, 2. 11 100/8

Infirmórum propitiátor, abiectórum protéctor,
desperandórum salvátor,
Deus patris mei et Deus hereditátis Israel,
dominátor cælórum et terræ,
creátor aquárum, rex totíus creatúræ tuæ,
exáudi preces nostras.

POST COMMUNIONEM 100/9

**Omnípotens Deus et clemens, súpplices te rogámus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
Christi bonus odor éffici mereántur.
Qui vivit.**

SACRUM TRIDUUM PASCHALE

101 MISSA INTER VESPERAS IN CENA DOMINI

Iuxta antiquissimam Ecclesiæ traditionem, hac die omnes missæ sine populo interdicuntur.

Horis matutinis laudabiliter peraguntur « celebrationes verbi Dei » ut in lectionario proponuntur.

Horis vespertinis, tempore magis opportuno, celebratur missa in Cena Domini, cum plena participatione totius communitatis localis, omnibus sacerdotibus et ministris officium suum implentibus.

Sacerdotes qui in missa chrismatis aut ad utilitatem fidelium iam celebraverint, denuo concelebrare valent in missa vespertina.

Ubi vero ratio pastoralis id postulet, loci ordinarius alteram missam in ecclesiis et oratoriis publicis vel semipublicis permittere poterit, horis vespertinis celebrandam, et, in casu veræ necessitatis, etiam horis matutinis, sed tantummodo pro fidelibus qui nullo modo missam vespertinam participare valent. Caveatur tamen ne huiusmodi celebrationes in bonum privatorum fiant et ne præiudicio sint missæ vespertinæ principali.

Sacra communio fidelibus distribui potest tantummodo infra missam; infirmis vero deferri valet quacumque diei hora.

Sacerdos, rubeis paramentis indutus sicut pro celebratione eucharistica, ad altare accedit, facta cum concelebrantibus et ministris debita reverentia, osculo altare veneratur.

Postea cum ministris sedem petit et salutat populum:

INITIUM VESPERARUM

℣ **Dóminus vobíscum.**

℟ Et cum spíritu tuo.

Sacerdos vel alius minister idoneus potest brevissimis verbis introducere fideles ad hanc celebrationem vespertinam.

LUCERNARIUM Ps 17, 29-30a 101/A

Dum responsorium lucernarii cantatur, celebrans accendit candelabra quæ ministri ei præsentant atque deinde disponunt prope vel super altare; interim alia candelabra vel lampades ecclesiæ accenduntur. Postea celebrans, incenso in turibulo infuso, altare incensat.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

HYMNUS 101/B

Hymnum canámus súpplices,
Laudes Deo cum cántico,
Nostrum genus qui nóxium
Suo redémit sánguine.

Calígo noctem dúxerat,
Noctem cruéntam crímine,
Cum venit ad cenam ferus
Christi sacrátam próditor.

Iesus futúra núntiat
Apóstolis cenántibus:
Morti magístrum pérfidus
Convíva tradet cǽlicum.

Iudas pudóris ímmemor
Christi genis dat ósculum;
Pium sed Agnus ínnocens
Negáre nescit ósculum.

Tunc vilis argénti nitor
Lucem pepéndit sǽculi;
Mercátor axis péssimus
Solem tenébris véndidit.

Præses Pilátus ínscium
Iesum fatétur críminis,
Undáque palmas ábluens
Plebis furóri trádidit.

At turba sævi pérdita
Vitam latrónis prǽferens,
Damnat supérnum iúdicem
Crucíque regem déstinat.

Vinclis Barábbas sólvitur,
Quem culpa morti addíxerat,
Et vita mundi cǽditur,
Per quam resúrgunt mórtui.

Patri simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit iúgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

RESPONSORIUM IN CHORO Cf. Mt 26, 31. 40. 46 101/C

Omnes vos scándalum patiémini in me hac nocte, dicit Dóminus.
Scriptum est enim:
℟ Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis.

℣ Sic? non potuístis una hora vigiláre,
qui exhortabámini mori mecum?
Vel Iudam vidéte, quómodo non dormit,
sed festínat trádere me iudǽis.
Súrgite, eámus;
appropinquávit enim hora, sicut scriptum est:
Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis.

Sacerdos dicit vel canit sequentem orationem:

ORATIO 101/2a

Deus, a quo et Iudas reátus sui pœnam
et prǽmium latro suæ confessiónis accépit,
concéde nobis tuæ propitiatiónis efféctum,
ut, sicut in passióne sua Christus Dóminus noster
divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum,
ita nobis, abláto vetustátis erróre,
resurrectiónis suæ grátiam largiátur.
Qui tecum vivit.

vel: 101/2b

Cenam nos, Deus, sacratíssimam frequentántes,
in qua Unigénitus tuus, morti se traditúrus,
novum in sǽcula sacrifícium
dilectionísque suæ convívium Ecclésiæ commendávit,
da, quǽsumus, ut ex tanto mystério
plenitúdinem caritátis hauriámus et vitæ.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 101/3

Cenæ tuæ mirábili hódie,
Fílius Dei, sócium me áccipis.
Non enim inimícis tuis hoc mystérium dicam;
non tibi dabo ósculum, sícuti et Iudas,
sed sicut latro confiténdo te:
Meménto mei, Dómine, in regno tuo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 101/4

Concéde credéntibus nobis, miséricors Deus,
salvíficum de Christi passióne remédium,
ut prætéritæ culpæ láqueos fragilitátis humánæ
ætérnæ suffrágio pietátis absólvat.
Per eúndem Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 101/5

Ipse tibi, quǽsumus, Dómine sancte, Pater omnípotens,
sacrifícium nostrum reddat accéptum,
qui discípulis suis hoc fíeri in sui memóriam
hodiérna traditióne monstrávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 101/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, cum Deus esset in cælis,
ad hóminum delénda peccáta descéndit in terram;
et qui genus humánum vénerat liberáre,
tamquam obnóxius débitor
illícito prétio Dóminus próditus est a servo;
et qui ángelos iúdicat
in hóminis est iudício constitútus,
ut hóminem, quem ipse fécerat, liberáret a morte.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Prex eucharistica V.

CONFRACTORIUM Cf. 1 Cor 11, 24-25 101/7

Hoc est corpus, quod pro vobis tradétur;
hic calix novi testaménti est in meo sánguine,
dicit Dóminus.
Hoc fácite, quotiescúmque súmitis, in meam commemoratiónem.

TRANSITORIUM Cf. Mt 26, 38. 56; Io 16, 32 101/8

Tristis est ánima mea usque ad mortem:
sustinéte hic, et vigiláte mecum.
Nunc vidébitis turbam quæ me circúmdat,
et vos fugam capiétis, et ego vadam immolári pro vobis.

Communione peracta, sacerdos stans ante altare imponit incensum in turibulo et genuflexus ter incensat SS. Sacramentum. Deinde, assumpto velo umerali, accipit pyxidem.

Instruitur processio, qua, præcedente crucifero, defertur SS. Sacramentum cum intorticiis et incenso per ecclesiam ad locum repositionis, paratum in aliquo sacello convenienter ornato. Interim cantatur hymnus Pange, lingua vel alius cantus eucharisticus.

Cum processio pervenerit ad locum repositionis, sacerdos deponit pyxidem et genuflexus incensat. Deinde clauditur tabernaculum seu capsa repositionis.

Post aliquod tempus adorationis in silentio, in altari maiore vel in ipso altari repositionis vesperæ concluduntur.

CONCLUSIO VESPERARUM

ANTIPHONA Cf. Lc 22, 11; Mt 26, 18 101/D

Illi patrifamílias eúntes dícite:
Magíster dicit: Apud te fácio pascha cum discípulis meis.

PSALMUS 69 101/E

Deus, in adiutórium meum inténde,
Dómine, ad adiuvándum me festína.

Confundántur et revereántur,
qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum et confundántur,
qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes,
qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te
omnes qui quærunt te, Dómine,
et dicant semper: Magnificétur Dóminus,
qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum,
Deus, ádiuva me.

Adiútor meus et liberátor meus esto.
Dómine, ne tardáveris.

PSALMUS 133 101/F

Ecce nunc benedícite Dóminum,
omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini,
in átriis domus Dei nostri,
in nóctibus extóllite manus vestras in sancta,
et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion,
qui fecit cælum et terram.

PSALMUS 116 101/G

Laudáte Dóminum, omnes gentes,
et collaudáte eum, omnes pópuli;

quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri et Fílio
et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen.

ANTIPHONA

Illi patrifamílias eúntes dícite:
Magíster dicit: Apud te fácio pascha cum discípulis meis.

Sacerdos dicit sequentem orationem:

POST COMMUNIONEM 101/9

Dómine Deus noster, concéde propítius,
ut, qui Unigéniti tui súmpsimus corpus et sánguinem,
ab infidélis discípuli reddámur cæcitáte divísi,
qui Christum Dóminum nostrum
verum Deum hominémque fatémur et cólimus.
Qui vivit.
℟ Amen.

℣ Dóminus vobíscum.
℟ Et cum spíritu tuo.
Kýrie eléison, Kýrie eléison, Kýrie eléison.

℣ Benedícat vos omnípotens Deus:
Pater et Fílius ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Diaconus:

Procedámus cum pace.

Populus:

In nómine Christi.

MANDATUM

Si mandatum præcedit vel sequitur missam, sacerdos indutus manet paramentis missæ; alias, pluviale violacei coloris induit. Nunquam mandatum fieri potest infra missam.

Sacerdos procedit ad locum ubi sedent duodecim fideles, pede dextro detecto. Deposito pro opportunitate pluviali vel casula, sacerdos accedit ad locum lotionis; genuflexus singulis lavat pedem dextrum et abstersum osculatur.

Interim canitur sequens antiphona alternatim cum versiculis psalmi 118.

ANTIPHONA Cf. Io 13, 4-5. 14 101/H

Postquam surréxit Dóminus a cena, misit aquam in pelvem,
cœpit laváre pedes discipulórum suórum.
Si ego, Dóminus et magíster vester, lavi pedes vestros,
quanto magis vos debétis alter altérius pedes laváre.

PSALMUS 118, 1-16 101/I

Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia eius,
in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem,
in viis eius ambulavérunt.

Tu mandásti mandáta tua
custodíre nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas!

Tunc non confúndar,
in respiciéndo me in ómnia mandáta tua.

Confitébor tibi in directióne cordis,
in eo quod didícerim iudícia iustítiæ tuæ.

Iustificatiónes tuas custódiam,
non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit iuvénior viam suam?
In custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te,
non repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua,
ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine,
doce me iustificatiónes tuas.

In lábiis meis pronuntiávi
ómnia iudícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum
sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis meditábor,
et considerábo vias tuas.
In tuis iustificatiónibus meditábor:
non oblivíscar sermónes tuos.
Glória Patri et Fílio
et Spirítui sancto.
Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen.

ANTIPHONA Cf. Io 13, 4-5. 14

Postquam surréxit Dóminus a cena, misit aquam in pelvem,
cœpit laváre pedes discipulórum suórum.
Si ego, Dóminus et magíster vester, lavi pedes vestros,
quanto magis vos debétis alter altérius pedes laváre.

Sacerdos lavat manus, reassumit pluviale vel casulam et dicit sequentem orationem:

ORATIO 101/J

**Adésto, Dómine Iesu Christe, nostræ servitútis offício,
et, quia pedes tuis discípulis laváre dignátus es,
ne despícias ópera mánuum tuárum,
quæ nobis retinénda donásti,
ut, sicut hic inquinaménta abluúntur extérna,
ita peccáta ómnium nostrum interióra lavéntur.
Qui vivis.**

Si mandatum non fit ante missam, sacerdos celebrationem benedictione concludit.

Hac et sequenti die, Ecclesia ambrosiana, ex antiquissima traditione, sacramenta penitus non celebrat.

Horis postmeridianis huius feriæ, et quidem circa horam nonam, nisi ex ratione pastorali tardior hora seligatur, fit celebratio Passionis Domini.

Celebratio Passionis Domini

INITIUM VESPERARUM

Sacerdos pluviali et diaconus dalmatica rubri coloris induti, cum ministris sacris ad altare accedunt et, facta reverentia, petunt sedem.

Sacerdos salutat populum:

Dóminus vobíscum.

et populus:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos vel alius minister idoneus brevissimis verbis populum admonet.

LUCERNARIUM Ps 17, 29-30a 101/A

Dum responsorium lucernarii cantatur, celebrans accendit candelabra quæ ministri ei præsentant atque deinde disponunt prope vel super altare; interim alia candelabra vel lampades ecclesiæ accenduntur. Postea celebrans, incenso in turibulo infuso, altare incensat.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine:
Deus meus, illúmina ténebras meas.

Lector ad ambonem pergit, petit benedictionem et primam lectionem profert e libro Isaiæ prophetæ (49, 24-26; 50, 1-11).

Sequitur

PSALMELLUS Ps 21, 17-20. 3. 5. 23-24 102/B

Fodérunt manus meas et pedes meos,
dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et conspexérunt me,
divisérunt sibi vestiménta mea,
et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me,
ad defensiónem meam ínspice.

Deus meus, clamábo per diem ad te, nec exáudies;
in nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, laus Israel:
in te speravérunt patres nostri;
speravérunt, et liberásti eos.

Narrábo nomen tuum frátribus meis;
in médio ecclésiæ laudabo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum;
univérsum semen Iacob, glorificáte eum.

Postea sacerdos ad sedem dicit unam ex sequentibus orationibus:

Orémus. 102/Ca
Réspice, quǽsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam,
pro qua Dóminus noster Iesus Christus
non dubitávit mánibus tradi nocéntium
et crucis subíre torméntum.
Qui tecum vivit.

vel: 102/Cb

Deus, qui pro redemptióne nostra
Christi sánguinem accepísti,
solve ópera diáboli,
et omnes láqueos disrúmpe peccáti,
ut creatúram regeneratiónis
nulla pólluant contágia vetustátis.
Per eúndem Dóminum.

Lector ad ambonem pergit, petit benedictionem et secundam lectionem profert e libro Isaiæ prophetæ (53, 1-12).

RESPONSORIUM Cf. Mt 27; Io 19 102/D

℟. Ténebræ factæ sunt super univérsam terram,
dum crucifixérunt Iesum Iudǽi.
Et circa horam nonam exclamávit Iesus voce magna:
Deus, Deus, quid me dereliquísti?
Tunc unus ex milítibus láncea latus eius perforávit.
Et inclináto cápite emísit spíritum.
℣. Ecce terræmótus factus est magnus.
Nam velum templi scissum est,
et omnis terra trémuit.
Et inclináto cápite emísit spíritum.

Dum canitur responsorium, diaconus ad impositionem turis sacerdoti ministrat, deinde librum evangeliorum, si est in altari, sumit et ad ambonem pergit, ministris cum candelabris et incenso eum præcedentibus. Ibi versus sacerdotem inclinatus, benedictionem petit.

Si abest diaconus, sacerdos ipse (vel alius sacerdos alba et stola indutus) inclinatus ante altare, dicit secreto Munda cor meum; tunc librum evangeliorum, si est in altari, accipit et, præcedentibus ministris, qui incensum et cereos deferre possunt, ad ambonem accedit.

Diaconus proclamat Passionem Domini nostri Iesu Christi. Post verba emísit spíritum omnes genuflectunt.

Interim acolythi altare denudant et omnia lumina exstinguunt, et cetera ecclesiæ ornamenta auferunt. Datur signum cum campanis, nec exinde campanæ pulsantur usque ad noctem sanctam.

Tum diaconus voce submissiore prosequitur sine luminibus.

Finita Passione, diaconus non dicit Verbum Dómini nec osculatur librum nec populus acclamat Laus tibi, Christe.

Deinde fit homilia.

ADORATIO SANCTÆ CRUCIS

Clerus vadit in sacristiam vel ad altare laterale ecclesiæ ubi collocata est crux.

Sacerdos dicit unam ex sequentibus orationibus:

Orémus. 102/Ea

Deus imménsæ pietátis, qui latrónem per confessiónem
eádem die de cruce in paradísi gáudia transtulísti,
iniquitátes nostras transfer a nobis,
et herédes nos cæléstium bonórum esse concéde.
Per Christum.

vel: 102/Eb

Deus, qui humánum genus redímere dignátus es
Unigéniti tui Dómini nostri Iesu Christi sánguine pretióso,
concéde propítius,
ut, qui ad vivíficam crucem advéniunt adorándam,
a peccatórum suórum néxibus liberéntur.
Per eúndem Christum.

Fit processio per ecclesiam ad presbyterium.

Prope ianuam, in medio ecclesiæ et ante ingressum presbyterii, qui fert crucem elevat et sacerdos canit:

Ecce lignum crucis, 102/F
in quo salus mundi pepéndit.

Et omnes respondent:

Veníte, adorémus.

Post unamquamque responsionem in genua se prosternunt et parvo momento in silentio adorant. Deinde crux deponitur ad ingressum presbyterii.

Ad adorationem crucis accedunt sacerdos, clerus et fideles, reverentiam cruci exhibentes per triplicem genuflexionem et crucem osculando.

Interim canuntur antiphonæ alternatim cum psalmo 21.

Si propter populi concursum non omnes singulatim accedere possunt, sacerdos vel diaconus vel minister crucem sumit et, in medio ante altare consistens, paucis verbis populum ad sanctæ crucis adorationem invitat, et postea per breve tempus crucem altius elevatam tenet, in silentio a fidelibus adorandam.

ANTIPHONA I 102/G

Crucem tuam adorámus, Dómine,
et sanctam resurrectiónem tuam glorificámus.

ANTIPHONA II 102/H

Adorámus crucem tuam
et signum de cruce tua
et, qui crucifíxus es, virtútem.

ANTIPHONA III 102/I

Laudámus te, Christe, et hymnum dícimus tibi,
quia per crucem redemísti mundum.

PSALMUS 21, 2a. 4-5. 7-9. 12-16. 20. 23 102/L

Deus, Deus meus, réspice in me,
quare me dereliquísti?
Tu autem in sancto hábitas,
laus Israel.
In te speravérunt patres nostri,
speravérunt, et liberásti eos.
Ego autem sum vermis, et non homo,
oppróbrium hóminum, et abiéctio plebis.
Omnes qui conspiciébant me, aspernabántur me,
locúti sunt lábiis, et movérunt caput:
Sperávit in Dómino, erípiat eum;
salvum fáciat eum, quóniam vult eum.
Ne discédas a me, quóniam tribulátio próxima est;
quóniam non est qui ádiuvet.
Circumdedérunt me vítuli multi;
tauri pingues obsedérunt me.
Aperuérunt in me os suum,
sicut leo rápiens et rúgiens.
Sicut aqua effúsa sunt,
et dispérsa sunt ómnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera liquéscens
in médio ventris mei.
Exáruit tamquam testa virtus mea,
et lingua mea adhǽsit fáucibus meis
et in púlverem mortis deduxísti me.
Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me,
ad defensiónem meam ínspice.
Narrábo nomen tuum frátribus meis,
in médio ecclésiæ laudábo te.

ORATIO UNIVERSALIS

Diaconus, vel alius minister, ad ambonem dicit invitatorium quo intentio significatur. Deinde omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant, et postea sacerdos, manibus extensis, dicit orationem.

Fideles per totum orationum tempus vel genuflexi vel stantes manere possunt.

In gravi necessitate publica, ordinarius loci permittere vel statuere potest ut addatur specialis intentio.

E numero orationum, quæ in missali præbentur, licet sacerdoti eas quæ aptiores sunt locorum condicioni seligere, ita tamen ut servetur series intentionum, quæ pro oratione universali proponitur.

I PRO SANCTA ECCLESIA 102/M

Orémus, dilectíssimi nobis, pro Ecclésia sancta Dei,
ut eam Deus et Dóminus noster
pacificáre, adunáre et custodíre dignétur
toto orbe terrárum,
detque nobis, quiétam et tranquíllam vitam degéntibus,
glorificáre Deum Patrem omnipoténtem.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus revelásti,
ópera misericórdiæ tuæ pia benignitáte custódi,
ut Ecclésia sancta, toto orbe diffúsa,
stábili fide in confessióne tui nóminis persevéret.
Per eúndem Christum.

II PRO PAPA 102/N

Orémus et pro beatíssimo papa nostro N.,
ut Deus et Dóminus noster,
qui elégit eum in órdine episcopátus,
salvum atque incólumem custódiat Ecclésiæ suæ sanctæ,
ad regéndum pópulum sanctum Dei.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
cuius iudício univérsa fundántur,
preces nostras propítius intuére,
et eléctum nobis antístitem tua pietáte consérva,
ut christiána plebs, quæ te gubernátur auctóre,
sub ipso pontífice fídei suæ méritis augeátur.
Per Christum.

III PRO OMNIBUS MINISTERIIS ET UNIVERSA PLEBE 102/O

Orémus et pro epíscopo nostro N.,
pro ómnibus epíscopis, presbýteris, diáconis
et pro ómnibus minístris Ecclésiæ,
et univérsa plebe fidélium.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
cuius Spíritu totum corpus Ecclésiæ
sanctificátur et régitur,
exáudi nos pro univérsis ministériis supplicántes,
ut grátiæ tuæ múnere
ab ómnibus tibi fidéliter serviátur.
Per Christum.

IV PRO CATECHUMENIS 102/P

Orémus et pro catechúmenis (nostris),
ut Deus et Dóminus noster
adapériat aures præcordiórum ipsórum
ianuámque misericórdiæ,
ut, per lavácrum regeneratiónis
accépta remissióne ómnium peccatórum,
et ipsi inveniántur in Christo Iesu Dómino nostro.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas,
catechúmenis (nostris) auge fidem et intelléctum,
ut, renáti fonte baptísmatis,
adoptiónis tuæ fíliis aggregéntur.
Per Christum.

V PRO UNITATE CHRISTIANORUM 102/Q

Orémus et pro univérsis frátribus in Christum credéntibus,
ut Deus et Dóminus noster
eos, veritátem faciéntes,
in una Ecclésia sua congregáre et custodíre dignétur.

Oratio in silentio.

Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui dispérsa cóngregas et congregáta consérvas,
ad gregem Fílii tui placátus inténde,
ut, quos unum baptísma sacrávit,
eos et fídei iungat intégritas
et vínculum sóciet caritátis.
Per Christum.

VI PRO IUDÆIS 102/R

Orémus et pro Iudǽis,
ut, ad quos prius locútus est Dóminus Deus noster,
eis tríbuat in sui nóminis amóre
et in sui fœ́deris fidelitáte profícere.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui promissiónes tuas Abrahæ eiúsque sémini contulísti,
Ecclésiæ tuæ preces cleménter exáudi,
ut pópulus acquisitiónis prióris
ad redemptiónis mereátur plenitúdinem perveníre.
Per Christum.

VII PRO IIS QUI IN CHRISTUM NON CREDUNT 102/S

Orémus et pro iis qui in Christum non credunt,
ut, luce sancti Spíritus illustráti,
viam salútis et ipsi váleant introíre.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
fac ut, qui Christum non confiténtur,
coram te sincéro corde ambulántes, invéniant veritátem,
nosque, mútuo proficiéntes semper amóre
et ad tuæ vitæ mystéria plénius percipiénda sollíciti,
perfectióres reddámur tuæ testes caritátis in mundo.
Per eúndem Christum.

VIII PRO IIS QUI IN DEUM NON CREDUNT 102/T

Orémus et pro iis qui Deum non agnóscunt,
ut, quæ recta sunt pura mente sectántes,
ad ipsum Deum perveníre mereántur.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cunctos hómines condidísti,
ut te semper desiderándo quǽrerent
et inveniéndo quiéscerent,
præsta, quǽsumus,
ut, nóxiis quibúsque obstáculis non abstrácti,
omnes, tuæ signa pietátis
et bonum in te credéntium testimónium capiéntes,
te solum verum Deum nostríque géneris Patrem
gáudeant confitéri.
Per Christum.

IX PRO REMPUBLICAM MODERANTIBUS 102/U

Orémus et pro ómnibus rempúblicam moderántibus,
ut Deus et Dóminus noster
mentes et corda eórum secúndum voluntátem suam dírigat
ad veram ómnium pacem et libertátem.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
in cuius manu sunt hóminum corda et iura populórum,
réspice benígnus ad eos, qui nos in potestáte moderántur,
ut pacis secúritas ubíque terrárum
et prospéritas géntium religionísque libértas,
te largiénte, consístant.
Per Christum.

X PRO TRIBULATIS 102/V

Orémus, dilectíssimi nobis, Deum Patrem omnipoténtem,
ut cunctis mundum purget erróribus,
morbos áuferat, famem depéllat,
apériat cárceres, víncula solvat,
viatóribus securitátem, peregrinántibus réditum,
infirmántibus sanitátem atque moriéntibus salútem indúlgeat.

Oratio in silentio.

Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
mæstórum consolátio, laborántium fortitúdo,
pervéniant ad te preces
de quacúmque tribulatióne clamántium,
ut omnes sibi in necessitátibus suis
misericórdiam tuam gáudeant affuísse.
Per Christum.

XI PRO DEFUNCTIS 102/X

Orémus et pro frátribus nostris in Christi dilectióne defúnctis,
ut, qui passiónis cum ipso débitum mortísque solvérunt,
sempitérna quoque múnera resurrectiónis eius obtíneant.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui tuum morti crucis Unigénitum tradidísti,
ut ei commoriéntes in vitam resurgerémus ætérnam,
da frátribus nostris,
qui in fide ipsíus ex hoc sǽculo migravérunt,
in paradíso cum illo lucis possessióne lætítiam.
Qui vivit.

CONCLUSIO

Orémus. 102/Y

Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum,
Salvatórem nostrum et carnem súmere
et crucem subíre fecísti,
concéde propítius,
ut ipsíus patiéntiæ documénta
et resurrectiónis eius consórtia mereámur.
Qui vivit.

℟ Amen.

℣ Benedíctus Dóminus, qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟ Amen.

℣ Benedícat et exáudiat nos Deus.

℟ Amen.

Diaconus:

Procedámus cum pace.

Populus:

In nómine Christi.

Oratione expleta crux defertur ad locum aptum, ut eam possint fideles venerari.

SABBATO SANCTO

Sabbato sancto Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando, a sacrificio missæ, sacra mensa denudata, abstinendo, usque dum, post sollemnem vigiliam seu nocturnam resurrectionis exspectationem, locus detur gaudiis paschalibus, quorum abundantia in quinquaginta dies exundat.

Horis matutinis laudabiliter peraguntur « celebrationes verbi Dei » quæ in lectionario proponuntur.

TEMPUS PASCHALE

DOMINICA PASCHÆ IN RESURRECTIONE DOMINI

In nocte sancta

103 VIGILIA PASCHALIS

Tota celebratio vigiliæ paschalis peragitur nocte, ita ut vel non incipiatur ante initium noctis, vel finiatur ante diluculum diei dominicæ.

Missa noctis, etsi ante mediam noctem celebretur, est missa paschalis dominicæ resurrectionis.

Qui participat missam noctis, iterum communicare potest in secunda missa paschatis.

Qui celebrat vel concelebrat missam noctis, potest secundam missam paschatis celebrare aut concelebrare.

Sacerdos et ministri induuntur, sicut ad missam, paramentis albi coloris.

BENEDICTIO IGNIS

Benedictio ignis est ad libitum; potest fieri aut in sacristia aut loco apto extra ecclesiam.

℣ Deus, in adiutórium meum inténde.
℟ Dómine, ad adiuvándum me festína.

Glória Patri et Fílio et Spirítui sancto.
Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen.
Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.
Kýrie eléison, Kýrie eléison, Kýrie eléison.

Orémus. 103/A
Dómine Deus noster, Pater omnípotens,
qui lumen indefíciens omniúmque creátor es lúminum,
hunc ignem bene ✠ dícere et sanctificáre dignéris,
ut per Fílium tuum, qui lux vera est
mundum illúminans univérsum,
ab isto, sicut Móyses, accendámur
tuǽque claritátis igne sic iúgiter illustrémur,
ut tamquam lucis fílii ad vitam perveniámus ætérnam.
Per eúndem Christum.

De novo igne accenduntur cereus paschalis et candelabra.

PROCESSIO

Si adhibetur incensum, turiferarius cum turibulo fumigante pergit ante omnes ministros; minister medius inter duos acolythos cum cereis fert cereum paschale, diaconus procedit cum libro præconii paschalis, deinde sacerdos.

Dum fit processio, accenduntur lampades per ecclesiam.

Cum ad altare pervenerint, sacerdos petit sedem suam et salutat populum de more.

Sacerdos, vel alius minister idoneus, admonet populum breviter de vigilia nocturna, his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi,
hac sacratíssima nocte,
in qua Dóminus noster Iesus Christus
de morte transívit ad vitam,
Ecclésia invítat fílios dispérsos per orbem terrárum,
ut ad vigilándum et orándum convéniant.
Si ita memóriam egérimus páschatis Dómini,
audiéntes verbum et celebrántes mystéria eius,
spem habébimus participándi triúmphum eius de morte
et vivéndi cum ipso in Deo.

Diaconus ad ambonem postulat benedictionem; sacerdos dicit:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis,
ut digne et competénter annúnties suum paschále præcónium:
in nómine Patris et Fílii ✠ et Spíritus sancti.

Diaconus incensat librum et annuntiat præconium paschale.

PRÆCONIUM PASCHALE 103/B

Exsúltet iam angélica turba cælórum;
exsúltent divína mystéria,
et pro tanti regis victória tuba íntonet salutáris.
Gáudeat se tot tellus irradiáta fulgóribus,
et, ætérni regis splendóre lustráta,
totíus orbis séntiat amisísse calíginem.

Lætétur et mater Ecclésia,
tanti lúminis adornáta fulgóre,
et magnis populórum vócibus hæc aula resúltet.

Quaprópter, astántibus vobis, fratres caríssimi,
ad tam miram sancti huius lúminis claritátem,
una mecum, quæso,
Dei omnipoténtis misericórdiam invocáte,

ut qui me non meis méritis
intra levitárum númerum dignátus est aggregáre,
lúminis sui grátiam infundéndo,
cérei huius laudem implére præcípiat.
Præstánte Dómino nostro Iesu Christo Fílio suo,
secum vivénte atque regnánte Deo,
in unitáte Spíritus sancti
per ómnia sǽcula sæculórum.

℟ Amen.

℣ Dóminus vobíscum.
℟ Et cum spíritu tuo.

℣ Sursum corda.
℟ Habémus ad Dóminum.

℣ Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟ Dignum et iustum est.

Dignum et iustum est,
vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui populórum pascha cunctórum,
non pécudum cruóre nec ádipe,
sed Unigéniti tui Dómini nostri Iesu Christi
sánguine corporéque dicásti,
ut, supplóso ritu gentis ingrátæ,
legi grátia succéderet,
et una víctima, per semetípsam tuæ maiestáti semel obláta
mundi totíus expiáret offénsam.

Hic est Agnus lapídeis præfigurátus in tábulis,
non addúctus e grégibus,
sed evéctus e cælo;
nec pastóre índigens, sed Pastor bonus ipse tantúmmodo;
qui ánimam suam pro suis pósuit óvibus et rursus assúmpsit,
ut nobis et humilitátem divína dignátio
et spem resurréctio corporális osténderet.

Qui coram tondénte se non vocem quéruli balátus emísit,
sed evangélico proclamávit oráculo, dicens:
Amodo vidébitis Fílium hóminis sedéntem ad déxteram maiestátis.

Ipse nobis et te reconcíliat, Pater omnípotens,
et pari tecum maiestáte fultus indúlget.
Nam, quæ pátribus in figúra contingébant,
nobis in veritáte provéniunt.

Ecce iam ignis colúmna respléndet,
quæ plebem Dómini beátæ noctis témpore
ad salutária fluénta præcédat,
in quibus persecútor mérgitur,
et Christi pópulus liberátus emérgit.
Nam, sancti Spíritus unda concéptus,
per Adam natus ad mortem,
per Christum regígnitur ad vitam.

Solvámus ígitur voluntárie celebráta ieiúnia,
quia pascha nostrum immolátus est Christus;
nec solum córpore epulémur Agni,
sed étiam inebriémur et sánguine.
Huius enim tantúmmodo cruor
non creat piáculum bibéntibus, sed salútem.

Ipso quoque vescámur et ázymo,
quóniam non de solo pane vivit homo,
sed de omni verbo Dei.
Síquidem hic est panis, qui descéndit e cælo,
longe præstántior illo quondam mannæ imbre frugífluo,
quo tunc Israel epulátus intériit.
Hoc vero qui véscitur córpore,
vitæ perénnis posséssor exsístit.

Ecce vétera transiérunt, facta sunt ómnia nova.
Nam circumcisiónis mosáicæ mucro iam scábruit,
et Iesu Nave acúta lápidum obsolévit aspéritas,
Christi vero pópulus insignítur fronte, non ínguine;
lavácro, non vúlnere;
chrísmate, non cruóre.

Decet ergo in hoc Dómini Salvatóris nostri
vespertínæ resurrectiónis advéntu
céream nos adolére pinguédinem,
cui súppetit candor in spécie,
suávitas in odóre,
splendor in lúmine;

quæ nec marcescénti liquóre défluit,
nec offénsam tetri nidóris exhálat.

Quid enim magis accómmodum, magísque festívum,
quam Iesséico flori
flóreis excubémus et tedis?
Præsértim cum et Sapiéntia de semetípsa cecínerit:
Ego sum flos agri et lílium convállium.

Ceras ígitur nec pinus exústa desúdat,
nec crebris sauciáta bipénnibus cedrus illácrymat,
sed est illis arcána de virginitáte creátio;
et ipsæ transfiguratióne nívei candóris albéscunt.

Eándem vero papýrum líquida fontis unda prodúcit,
quæ instar insóntis ánimæ
nullis articulátur sinuáta compágibus,
sed, virgináli circumsépta matérie,
fit hospitális ígnibus, alúmna rivórum.

Decet ergo advéntum Sponsi
dulciátis Ecclésiæ luminaríbus opperíri,
et largitátem sanctitátis accéptam,
quanta valet devotiónis dote, pensáre,
nec sanctas interpoláre ténebris excúbias,
sed tedam sapiénter perpétuis præparáre lumínibus,
ne, dum óleum candélis adiúngitur,
advéntum Dómini tardo prosequámur obséquio,
qui certe in ictu óculi, ut corúscus, advéniet.

Igitur in huius diéi véspere
cuncta venerábilis sacraménti plenitúdo collígitur,
et, quæ divérsis sunt præfiguráta vel gesta tempóribus,
huius noctis currículo devolúta suppléntur.

Nam primum hoc vespertínum lumen,
sicut illa dux magórum stella, præcédit.
Deínde mýsticæ regeneratiónis unda subséquitur,
velut, dignánte Dómino, fluénta Iordánis.

Tértio resurrectiónem Christi
vox apostólica sacerdótis annúntiat.
Tum ad totíus mystérii suppleméntum
Christo véscitur turba fidélium.

Quæ summi sacerdótis et antístitis tui Ambrósii
oratióne sanctificáta vel méritis,
resurrectiónis domínicæ diem,
Christo in ómnibus prosperánte, suscípiat.

Per bonum et benedíctum Fílium tuum
Dóminum nostrum Iesum Christum,
cum quo beátus vivis et regnas Deus,
in unitáte Spíritus sancti
per ómnia sǽcula sæculórum.
℟ Amen.

Diaconus pro opportunitate cereum incensat.

LITURGIA VERBI

In hac vigilia, matre omnium vigiliarum, proponuntur novem lectiones, scilicet sex e vetere testamento et tres e novo.

Si circumstantiæ pastorales id postulant, minui potest numerus lectionum e vetere testamento; possunt omitti I, V et VI, semper tamen attendatur lectionem verbi Dei esse partem fundamentalem huius vigiliæ paschalis.

Antequam incipiantur lectiones, sacerdos, vel alius minister idoneus, populum admonet, his vel similibus verbis:

Vigíliam sollémniter ingréssi, fratres caríssimi, 103/C
quiéto corde nunc verbum Dei audiámus.
Meditémur quómodo Deus pópulum suum
elápsis tempóribus salvum fécerit,
et novíssime nobis Fílium suum míserit redemptórem.
Orémus, ut Deus noster hoc paschále salvatiónis opus
ad plenam redemptiónem perfíciat.

Deinde sequuntur lectiones.

Lector ad ambonem pergit, petit benedictionem et primam lectionem profert. Postea psalmista seu cantor psalmum vel cantum dicit, populo responsum proferente.

Omnibus deinde surgentibus, sacerdos dicit: Orémus, et, postquam omnes per aliquod tempus in silentio oraverint, dicit orationem.

Loco psalmi responsorii servari potest spatium sacri silentii, omissa in hoc casu pausa post Orémus.

ORATIONES POST LECTIONES

POST PRIMAM LECTIONEM De creatione: Gen 1, 1 - 2, 3a vel 1, 1. 26-31a
103/D
Deus, incommutábilis virtus, lumen ætérnum,
réspice propítius ad totíus Ecclésiæ mirábile sacraméntum,
et opus salútis humánæ
perpétuæ dispositiónis efféctu tranquíllius operáre;

totúsque mundus experiátur et vídeat
deiécta érigi, vétera innovári,
et in intégrum ómnia redíre per ipsum,
a quo sumpsére princípium.
Per Christum.

POST SECUNDAM LECTIONEM De sacrificio Abrahæ: Gen 22, 1-19 103/E

Deus, Pater summe fidélium,
qui in toto orbe terrárum
promissiónis tuæ fílios
diffúsa adoptióne multíplicas,
et Abraham púerum tuum, sicut iurásti,
universárum patrem géntium
per paschále nunc éfficis sacraméntum,
da pópulis tuis
digne ad grátiam tuæ vocatiónis intráre.
Per Christum.

POST TERTIAM LECTIONEM De exitu: Ex 13, 18b-22; 14, 1-8 103/F

Omnípotens sempitérne Deus,
multíplica in honórem nóminis tui
quod patrum fídei spopondísti,
et sacra promissiónis tuæ fílios adoptióne dilάta,
ut, quod prióres sancti non dubitavérunt esse futúrum,
Ecclésia tua magna iam ex parte cognóscat implétum.
Per Christum.

POST QUARTAM LECTIONEM De agno: Ex 12, 1-11 103/G

Omnípotens sempitérne Deus,
qui pópulo tuo in Ægýpto agnum comédere præcepísti,
cuius immolátio fíeret mira restitútio libertátis,
rédime nos in veri Agni Christi sánguine pretióso,
ut, a diáboli captivitáte solúti,
in ázymis sinceritátis et veritátis
iam pascha nostrum legítime celebrémus.
Per eúndem Christum.

POST QUINTAM LECTIONEM De bonis messianicis: Is 54, 17c; 55, 1-11a
103/H

Omnípotens sempitérne Deus,
spes única mundi,
qui tuórum præcónio prophetárum
præséntium témporum mystéria declarásti,
auge pópuli tui vota placátus,
quia in nullo fidélium, nisi ex tua inspiratióne,
quarúmlibet provéniunt increménta virtútum.
Per Christum.

POST SEXTAM LECTIONEM De remissione peccatorum: Is 1, 16-19
103/Ia

Deus, qui Ecclésiam tuam
semper géntium vocatióne multíplicas,
concéde propítius,
ut, quos aqua baptísmatis dignáris ablúere,
contínua protectióne tueáris.
Per Christum.

vel (si adsunt baptizandi): 103/Ib

Réspice, Deus, ad devotiónem pópuli renascéntis,
qui fontem sicut cervus exspéctat aquárum,
ut ipsíus fídei sitis, baptísmatis mystério,
ánimam corpúsque sanctíficet.
Per Christum.

Post lectiones e vetere testamento, sacerdos ad altare accedit, illud osculo veneratur et, pro opportunitate, illud incensat.

NUNTIUS RESURRECTIONIS

Sacerdos læva parte altaris dicit:

Christus Dóminus resurréxit.

Populus acclamat:

Deo grátias.

Tum campanæ atque organa pulsantur.
Sacerdos repetit nuntium resurrectionis in media et in dextera parte altaris voce magis elevata.
Respondet semper vero populus; pulsantur campanæ et organa ut supra.
Sacerdos petit sedem et dicit orationem super populum.

SUPER POPULUM 103/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui es in ómnium óperum tuórum dispensatióne mirábilis,
intéllegant redémpti tui
non fuísse excelléntius quod inítio factus est mundus,
quam quod in fine sæculórum
pascha nostrum immolátus est Christus.
Qui tecum vivit.

Post orationem seligi possunt una vel duæ lectiones ante evangelium. Sequitur allelúia cum suo versu, deinde diaconus proclamat de more evangelium; postea habetur homilia.

LITURGIA BAPTISMALIS

Sacerdos cum ministris vadit ad fontem baptismalem, si hic est in conspectu fidelium. Secus ponitur vas cum aqua in presbyterio.

Vocantur, si adsunt, catechumeni, qui præsentantur a patrinis, vel, si sunt parvuli, portantur a parentibus et patrinis, in faciem ecclesiæ congregatæ.

Deinde sacerdos, vel alter minister idoneus, admonet astantes his vel similibus verbis:

si adsunt baptizandi

Précibus nostris, caríssimi, 103/J
fratrum nostrórum beátam spem unánimes adiuvémus,
ut Pater omnípotens ad fontem regeneratiónis eúntes
omni misericórdiæ suæ auxílio prosequátur.

si benedicendus est fons, sed non adsunt baptizandi

Dei Patris omnipoténtis grátiam, caríssimi,
super hunc fontem súpplices invocémus,
ut qui ex eo renascéntur
adoptiónis in Christo fíliis aggregéntur.

Si habenda est longior processio ad baptisterium, fit cantus idoneus.
Monitio autem fiat ante processionem.

Si non adsunt baptizandi, neque benedicendus est fons, statim proceditur ad benedictionem acquæ, p. 257.

Sacerdos, iunctis manibus, dicit: 103/L

Accipe fortitúdinem sancti Spíritus,
ut aqua sanctificáta efficiáris atque benedícta.

Adiúro te, creatúra aquæ,
per Deum ✠ verum,
Deum ✠ vivum,
Deum ✠ sanctum,
qui te a terra in princípio separávit,
qui te de paradísi fonte prodúxit,
et in quáttuor flumínibus a te totam terram rigári præcépit.

Adiúro te per Dóminum nostrum
Iesum Christum, Fílium Dei vivi,
qui te in Cana Galilǽæ signo admirábili convértit in vinum,
qui super te pédibus ambulávit,
et est in te a Ioánne cælis paténtibus baptizátus;
qui te amaríssimam aquam
per lignum passiónis suæ indulcávit,
et te, de petra prodúcens, satiávit pópulum sitiéntem,
et Náaman Syrum in te mundávit a lepra,
et nomen tibi impósuit Síloe, in qua cæcum,
ut lumen recíperet, óculos laváre præcépit;
qui te una cum sánguine suo prodúxit e látere,
qui discípulis suis dixit:
Ite, docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus sancti.
Effícere ergo aqua exorcizáta,
ut omnis effugétur diáboli infestátio
et inimíci omne phantásma;
et ipse inimícus eradicétur,
et effugétur a servis Dei,
suórum remissiónem peccatórum cum gáudio susceptúris:
in nómine Dei Patris omnipoténtis,
et in nómine Iesu Christi Fílii Dei vivi,
qui ventúrus est in Spíritu sancto
iudicáre sǽculum per ignem.
℟ Amen.

103/M

Omnípotens ætérne Deus,
adésto magnæ pietátis tuæ mystériis,
adésto propítius sacraméntis,
et ad creándos novos pópulos,
quos tibi fons baptísmatis párturit,
Spíritum adoptiónis emítte,
ut, quod humilitátis nostræ ministério est geréndum,
tuæ virtútis impleátur efféctu.
Per Christum.
℟ Amen.

Si non fit ritus baptismi, promissiones fidei baptismalis renovantur.

CELEBRATIO BAPTISMI

Ritus recipiendi parvulos et ritus præbaptismalis celebrantur tempore et loco opportuno ante initium vigiliæ paschalis.

Celebrans parentes et patrinos his verbis admonet:

Dilectíssimi paréntes et patríni, 103/N
per sacraméntum baptísmi
párvuli a vobis obláti novam a caritáte Dei
vitam acceptúri sunt ex aqua et Spíritu sancto.
Vos autem ita eos in fide educáre studeátis,
ut vita illa divína a peccáti contagióne præservétur,
atque de die in diem in ipsis possit augéri.

Si ergo, fide vestra ducti,
paráti estis ad hoc munus suscipiéndum,
baptísmi vestri mémores, peccáto abrenuntiáte,
et in Christum Iesum profitémini fidem,
quæ est fides Ecclésiæ,
in qua párvuli baptizántur.

Postea eosdem interrogat:

Celebrans:

Abrenuntiátis Sátanæ?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus opéribus eius?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Et ómnibus pompis eius?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

vel:

Celebrans:

Abrenuntiátis peccáto,
ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis,
ne peccátum vobis dominétur?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

Celebrans:

Abrenuntiátis Sátanæ,
qui est auctor et princeps peccáti?

Parentes, patrini et populus:

Abrenúntio.

Deinde celebrans triplicem professionem fidei a parentibus et patrinis exquirit, dicens:

Celebrans:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem,
creatórem cæli et terræ?

Parentes, patrini et populus:

Credo.

Celebrans:

Créditis in Iesum Christum,
Fílium eius únicum, Dóminum nostrum,
natum ex María vírgine,
passum et sepúltum,
qui a mórtuis resurréxit,
et sedet ad déxteram Patris?

Parentes, patrini et populus:

Credo.

Celebrans:

Créditis in Spíritum sanctum,
sanctam Ecclésiam cathólicam,
sanctórum communiónem,
remissiónem peccatórum,
carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Parentes, patrini et populus:

Credo.

BAPTISMUS

Celebrans primam familiam invitat, ut accedat ad fontem.
Expresso autem nomine infantis, parentes et patrinos interrogat:

Celebrans:

Vultis ígitur ut N. in fide Ecclésiæ,
quam vobíscum omnes modo proféssi sumus,
baptísmum recípiat?

Parentes et patrini:

Vólumus.

Et statim celebrans baptizat infantem, dicens:

N., ego te baptízo in nómine Patris,
immergit infantem primo
et Fílii,
immergit illum secundo
et Spíritus sancti.
immergit illum tertio.

Similiter interrogat et facit pro singulis baptizandis.

UNCTIO SACRI CHRISMATIS 103/O

Deinde celebrans dicit:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui vos a peccáto liberávit
et regenerávit ex aqua et Spíritu sancto,
ipse vos linit chrísmate salútis,
ut, eius aggregáti pópulo,
Christi sacerdótis, prophétæ et regis
membra permaneátis in vitam ætérnam.

Omnes:

Amen.

Postea celebrans singulos baptizatos sacro chrismate in vertice capitis linit, nihil dicens.

Si baptizati numerosiores sunt et plures adsunt sacerdotes vel diaconi, singuli eorum possunt aliquos infantes chrismate linire.

IMPOSITIO VESTIS CANDIDÆ 103/P

Celebrans dicit:

N. et N. nova creatúra facti estis
et Christum induístis.
Vestis hæc cándida sit vobis signum dignitátis,
quam, vestrórum verbo et exémplo propinquórum adiúti,
immaculátam perferátis in vitam ætérnam.

Omnes:

Amen.

TRADITIO CEREI

Unus ex singulis familiis (e. g. pater vel patrinus) e cereo paschali cereum uniuscuiusque infantis accendit. Postea celebrans dicit:

Accípite lámpadam ardéntem. 103/Q

Vita vestra, dilécti paréntes et patríni,
accendátur sicut lampas,
et irreprehensíbilis transigátur,
ut modo illumináti infántes Ecclésiæ
baptísmum quoque suum váleant custodíre
Deíque mandáta serváre,
et, cum Dóminus vénerit ad núptias,
ei occúrrere una cum ómnibus sanctis in aula cæléсti,
habeántque vitam ætérnam in sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Post celebrationem baptismi sacerdos dicit:

Celebrátis atque perféctis divíni baptísmatis sacraméntis, 103/R
Dómino cæli et terræ, Deo Patri omnipoténti,
indeféssas grátias referámus,
ipsúmque súpplices postulémus,
uti nos atque omnem famíliam suam
gloriósæ resurrectiónis Dómini nostri Iesu Christi
ánnuat esse partícipes.
Præstánte ipso Dómino nostro Iesu Christo Fílio suo,
secum vivénte atque regnánte Deo,
in unitáte Spíritus sancti
per ómnia sǽcula sæculórum.

Omnes:

Amen.

Sacerdos aspergit populum aqua baptismali, omnibus cantantibus: 103/S

Sacri fontis aqua perénnis:
ubi pópuli renovántur.
Allelúia.

Cf. Ps 31, 1

Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes,
et quorum tecta sunt peccáta:
ubi pópuli renovántur.
Allelúia.

Si fit processio a baptisterio ad altare, vel si fertur aqua ab altari ad baptisterium, canitur:

Allelúia, allelúia, allelúia.

PSALMUS 31, 1-4. 6a. 11 103/T

Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes,
et quorum tecta sunt peccáta, allelúia.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum,
nec est in ore eius dolus, allelúia.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea,
dum clamárem tota die, allelúia.

Quóniam die ac nocte
graváta est super me manus tua, allelúia.

Convérsus sum in ærúmna,
dum confríngitur mihi spina, allelúia.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus
in témpore opportúno, allelúia.

Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti,
et gloriámini, omnes recti corde, allelúia.

Glória Patri et Fílio
et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper,
et in sǽcula sæculórum. Amen. Allelúia.

Sacerdos ad sedem reassumit missam. Loco orationis fidelium dicuntur Litaniæ sanctorum:

Fámuli isti, per baptísmum regeneráti, 103/U
fílii Dei nominántur et sunt,
ipsíque in sanctórum communiónem effécti,
quorum intercessiónem
tamquam fratrum nostrórum invocámus:

Dómine, miserére.	Dómine, miserére.
Christe, líbera nos.	Salvátor, líbera nos.
Sancta María,	intercéde pro eis.
Sancte Míchael,	intercéde pro eis.
Sancte Ioánnes,	intercéde pro eis.
Sancte Ioseph,	intercéde pro eis.
Sancte Petre,	intercéde pro eis.
Sancte Paule,	intercéde pro eis.
Sancte Andréa,	intercéde pro eis.
Sancte Stéphane,	intercéde pro eis.
Sancte Protási,	intercéde pro eis.
Sancte Gervási,	intercéde pro eis.
Sancta Thecla,	intercéde pro eis.

Sancta Agnes, intercéde pro eis.

... (nomina sanctorum qui sunt patroni parvulorum, ecclesiæ vel loci)

Sancte Martíne, intercéde pro eis.
Sancte Galdíne, intercéde pro eis.
Sancte Cárole, intercéde pro eis.
Sancte Ambrósi, intercéde pro eis.

Ut hos fámulos tuos per sanctitátem vitæ
ad cæléstis regni gáudia,
Pater omnípotens, perférre dignéris: Te rogámus, audi nos.
Ut plenitúdinis Spíritus sancti et mensæ sacrifícii Christi
consórtes effícias: Te rogámus, audi nos.
Ut paréntes et patrínos lúcidum his neóphytis
fídei constitúere dignéris exémplar: Te rogámus, audi nos.
Ut eórum famílias semper in tua dilectióne
custodíre dignéris: Te rogámus, audi nos.
Ut in nobis ómnibus grátiam baptísmi renováre dignéris:
Te rogámus, audi nos.

Si vero non adsunt baptizandi, neque fons baptismalis benedicendus est, sacerdos aquam benedicit sequenti oratione:

Dóminum Deum nostrum, 103/V
fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut hanc creatúram aquæ benedícere dignétur,
super nos in baptísmi nostri memóriam aspergéndam.
Ipse autem rénovet corda nostra,
ut fidéles Spirítui, quem accépimus, maneámus.

Et post brevem pausam orationis in silentio, prosequitur iunctis manibus:

Dómine Deus noster,
pópulo tuo hac nocte sacratíssima vigilánti
adésto propítius;
et nobis, qui mirábile nostræ creatiónis opus,
sed et redemptiónis nostræ mirabílius, memorámus,
hanc aquam benedícere tu dignáre.

Ipsam enim tu fecísti,
ut et arva fecunditáte donáret
et levámen corpóribus nostris munditiámque præbéret.

Aquam étiam tuæ minístram misericórdiæ condidísti:
nam per ipsam solvísti tui pópuli servitútem
illiúsque sitim in desérto cum delectatióne sedásti;
per ipsam novum fœdus nuntiavére prophétæ,
quod eras cum homínibus initúrus;
per ipsam dénique,
quam Christus in Iordáne sacrávit,
in regeneratiónis lavácro
corrúptam natúræ nostræ substántiam renovásti.

Sit ígitur hæc aqua
nobis suscépti memoriále baptísmatis,
et cum frátribus nostris,
qui sunt in páschate baptizáti,
gáudia nos benígnus tríbuas sociáre.
Per Christum.
℟. Amen.

Sequitur renovatio promissionum baptismalium, p. 252.

Deinde sacerdos aspergit populum aqua benedicta, omnibus cantantibus:

Sacri fontis aqua perénnis:
ubi pópuli renovántur.
Allelúia.

Sacerdos ad sedem reassumit missam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 103/4a

Deus, qui sollemnitáte pascháli
cæléstia mundo remédia benígnus operáris,
ánnuæ festivitátis huius nobis dona proséquere,
ut observántia temporáli
ad vitam perveniámus ætérnam.
Per Christum.

vel (si adsunt neobaptizati): 103/4b

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem
glória domínicæ resurrectiónis illústras,
consérva in nova famíliæ tuæ progénie
adoptiónis spíritum, quem dedísti,
ut, córpore et mente renováta,
puram tibi exhíbeat servitútem.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 103/5

Accipe, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et, cui causam tanti gáudii contulísti,
perpétuæ fructum concéde lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 103/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hac potíssimum nocte
gloriósius exsultántibus ánimis prædicáre,
cum pascha nostrum immolátus est Christus.
Ille enim verus est Agnus,
qui ábstulit peccáta mundi,
qui mortem nostram moriéndo destrúxit,
et vitam resurgéndo reparávit.
Unde profúsis paschálibus gáudiis
totus in orbe terrárum mundus exsúltat;
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Prex eucharistica VI. Si baptismus celebratus est, adhibetur embolismus cum memoria neophytorum.

CONFRACTORIUM 103/7

Heri tecum in sepúlcro iácui,
hódie tecum resurgénte, Christe, resúrgo.
Heri cruci tecum confíxus,
gáudio tui regni, Salvátor,
tecum lætári possim.
Allelúia.

TRANSITORIUM 103/8

Vitæ árboris frúctibus
Christi fidéles donáti sunt.
Iánua patefácta est
Dei voluntátem faciéntibus,
et via præbétur.
Fons vivus défluens
sitiéntibus sitim restínguit
Allelúia.

Dum communio ministratur, diaconus SS.mum Sacramentum reportat e loco repositionis brevi via ad altare.

POST COMMUNIONEM 103/9

Cibi salutáris ac póculi dona libántes,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui súmpsimus paschále mystérium,
prodésse nobis in perpétuum gaudeámus.
Per Christum.

DOMINICA PASCHÆ
IN RESURRECTIONE DOMINI
IN DIE

Hodie et per totam octavam proponuntur cotidie duæ missæ, una de sollemnitate vel de octava, et altera pro baptizatis.

In ecclesiis ubi plures habentur missæ, attenta utilitate pastorali fidelium, pro opportunitate, una saltem missa « pro baptizatis » seu in memoria baptismatis cotidie dicatur.

Si vero baptismus intra missam confertur, dicitur missa « pro baptizatis ».

104 DE SOLLEMNITATE

INGRESSA 104/1

A mórtuis Christus resurréxit,
mortem próterens morte.
In sepúlcris iacéntibus vitam donávit.
Resurréctio tua, Christe Salvátor,
ab ángelis in cælis láudibus celebrátur:
líceat nobis in terris
puro te corde laudáre.
Allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 104/2

**Deus, qui per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum,
devícta morte, reserásti,
ad te lætántium érige corda fidélium,
ut, a terrénis cupiditátibus liberáti,
ad cæléstia desidéria transeámus.
Per Dóminum.**

ANTE EVANGELIUM Cf. Ps 148, 1-2 104/3a

Laudáte Dóminum de cælis,
laudáte eum in excélsis, ángeli eius,
quia hódie resurréxit Dóminus,
et redémit pópulum suum.
Allelúia, allelúia.

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 104/3b

Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: allelúia;
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos.
Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 104/4

Deus, qui ad ætérnam vitam
in Christi resurrectióne nos réparas,
da pópulo tuo fídei speíque constántiam,
ut non dubitémus implénda,
quæ te nóvimus auctóre promíssa.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 104/5

Quǽsumus, Dómine,
ut iam damnatiónis humánæ senténtia non teneámur obnóxii,
cuius nos vínculis hæc hóstia paschális absólvit.
Per Christum.

PRÆFATIO 104/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Deus omnípotens, grátias ágere,
nos laudes reférre devótas,
Pater ínclite, ómnium auctor et cónditor.

Quia, cum Deus esset maiestátis, Christus Iesus Fílius tuus,
ob liberatiónem humáni géneris crucem subíre dignátus est.
Quem dudum Abraham præfigurábat in fílio,
turba mosáica immaculáti agni immolatióne signábat.

Ipse est enim, quem sacra tuba cecínerat prophetárum,
qui ómnium peccáta portáret,
aboléret et crímina.
Hoc est illud pascha, Christi nobilitátum cruóre,
in quo fidélis pópulus præcípua devotióne resúltat.

O mystérium grátia plenum.
O ineffábile divíni múneris sacraméntum.
O sollemnitátum ómnium honoránda sollémnitas,
in qua, ut servos redímeret,
mortálibus se prǽbuit occidéndum.

Quam útique beáta mors, quæ nodos mortis exsólvit.
Iam nunc séntiat se tartáreus prínceps attrítum,
et nos, de profúndo labis edúctos,
ad cæléste regnum conscendísse gratulémur.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 104/7

Heri tecum in sepúlcro iácui,
hódie tecum resurgénte, Christe, resúrgo.
Heri cruci tecum confíxus,
gáudio tui regni, Salvátor,
tecum lætári possim.
Allelúia.

TRANSITORIUM 104/8

Veníte, pópuli: sacrum immortále mystérium illibátum
agéndum cum timóre et fide.
Accedámus mánibus mundis,
pæniténtiæ munus communicémus,
quóniam Agnus Dei propter nos Patri sacrifícium propósitus est.
Ipsum solum adorémus, ipsum glorificémus,
cum ángelis clamántes:
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 104/9

Perpétuo, Deus, Ecclésiam tuam pio favóre tuére,
ut, paschálibus iam renováta mystériis,
ad resurrectiónis pervéniat claritátem.
Per Christum.

105 PRO BAPTIZATIS

INGRESSA 105/1

Amen, amen dico tibi:
Nisi quis natus fúerit ex aqua et Spíritu,
non potest introíre in regnum Dei, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 105/2

**Deus, qui credentes in te pópulos
grátiæ tuæ largitáte multíplicas,
respícere ad electiónem tuam dignáre propítius,
ut, qui sacraménto baptísmatis sunt renáti,
cæléstis regni mereántur intróitum.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 105/3

Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: Allelúia;
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos.
Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 105/4

**Deus, qui renátis ex aqua et Spíritu sancto
cæléstis regni pandis intróitum,
auge super fámulos tuos grátiam, quam dedísti,
ut, qui ab ómnibus sunt purgáti peccátis,
a nullis privéntur tua fidelitáte promíssis.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 105/5

**Deus, cuius múnere
honoránda baptísmatis sunt impléta mystéria,
concéde pópulo tuo, originális delícti erróre mundáto,
post sacratíssimum fontem terram tuæ promissiónis intráre,
ut dúlcia sacramentórum tuórum iam nunc aliménta percípiat.
Per Christum.**

PRÆFATIO 105/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia, vetustáte destrúcta,
vitæ nobis in Christo reparátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 1 Cor 12, 13 105/7

In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus,
et omnes unum Spíritum potáti sumus, allelúia.

TRANSITORIUM 105/8

Ad te venímus, Dómine:
tuam ánimis vitam largíre,
ut adoptiónis fílii evadámus in te.
Allelúia.

POST COMMUNIONEM 105/9

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, divíno múnere satiáti,
et sacris mystériis innovémur et móribus.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 1, 3 106/1
Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 106/2
Deus, qui ad ætérnam vitam
in Christi resurrectióne nos réparas,
érige nos ad consedéntem in déxtera tua
nostræ salútis auctórem,
ut, qui propter nos iudicándus advénit,
pro nobis iudicatúrus mitis advéniat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 106/3
Dóminus memor fuit nostri,
et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 106/4
Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quæ nobis speránda fidéliter
paschále cóntulit sacraméntum,
attíngere valeámus resurrectiónis domínicæ firmitáte.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 106/5
Plebis tuæ, Dómine, múnera placátus admítte,
ut, quæ paschálibus éxhibet cum devotióne mystériis,
in tuæ remuneratiónis veritáte percípiat.
Per Christum.

PRÆFATIO 106/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui christianórum ánimos,
sacratórum redeúnte sollemnitáte diérum,
passiónis ac resurrectiónis propénsius exercéri
salutári constítuis sacraménto,
ut mundi in Christo reconciliátio iam impléta
multiplicáta lætítia celebrétur.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Cf. Ps 65, 16; 1 Pt 1, 21 106/7

Veníte et audíte quanta fecit Dóminus:
Deus suscitávit Christum a mórtuis,
ut fides nostra et spes esset in Deum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 33, 6. 9 106/8

Accédite et édite, allelúia.
Corpus Christi súmite, allelúia.
Gustáte et vidéte, quam suavis est Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 106/9

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti,
tua fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 2, 9 107/1

Vos estis genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta, pópulus in acquisitiónem,
ut virtútes annuntiétis eius,
qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 107/2

Deus, qui humánam natúram
supra primæ oríginis réparas dignitátem,
réspice ad pietátis tuæ ineffábile sacraméntum,
et, quos regeneratiónis mystério dignátus es innováre,
in his dona tuæ pérpetis grátiæ benedictionísque consérva.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 107/3

Dóminus memor fuit nostri,
et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 107/4

Deus, qui credéntes in te fonte baptísmatis innovásti,
hanc renátis in Christo concéde custódiam,
ut nullo erróris incúrsu
grátiam tuæ benedictiónis amíttant.
Per eúndem Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 107/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
plebis tuæ et tuórum hóstias renatórum,
ut, et confessióne tui nóminis et baptísmate renováti,
sempitérnam beatitúdinem consequántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 107/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et pro humáni géneris reparatióne mirábili
præcípuis hac die laudáre te gáudiis.

Quæ, ómnibus diébus temporibúsque præcéllens,
et crucis intéritu et beátæ resurrectiónis est clara primátu.

In hac enim Unigénitus tuus, ut primogénitus esset ex mórtuis,
ad glorificándam in se carnis nostræ animǽque natúram,
qua potestáte occúbuit, eádem triumpháliter resurréxit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 107/7

E látere tuo, Christe, fons aquæ prorúmpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Rom 6, 3-4 107/8

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu,
in mortem ipsíus baptizáti sumus.
Consepúlti cum illo per baptísmum,
in novitáte vitæ ambulémus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 107/9

Digne nos tuo nómini, quǽsumus, Dómine, famulári
salutáris cibus sacérque potus instítuat,
ut renovatiónem condiciónis humánæ,
quam mystério comprehéndit,
in nostris sénsibus iúgiter operétur.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ap 19, 1-2. 5-7 108/1

Salus et glória et virtus Deo nostro est,
quia vera et iusta iudícia sunt eius.
Laudem dicámus Deo nostro: Allelúia.
Regnávit Dóminus, Deus noster omnípotens.
Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei: Allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 108/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui pópulum tuum Unigéniti tui sánguine redemísti,
solve ópera diáboli, víncula rumpe peccáti,
ut, qui ætérnam vitam in confessióne tui nóminis sunt adépti,
nihil débeant mortis auctóri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 108/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 108/4

Exáudi nos, miséricors Deus,
et redemptiónis nostræ subsídia,
devóta nos éffice semper mente tractáre.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 108/5

Sacrifícia, Dómine, paschálibus gáudiis immolámus,
quibus Ecclésia tua mirabíliter páscitur et nutrítur.
Per Christum.

PRÆFATIO 108/6

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
et ómnibus collaudáre tempóribus,
sed in hoc præcípue paschális mystérii réditu salutári,
in quo resurrectiónis humánæ
et vitæ natális evénit ætérnæ
ac nobis est exórta perpétua causa lætítiæ.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 108/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM 108/8

Veníte, omnes hóminum natiónes,
et remissiónem accípite peccatórum.
Ego enim vestra sum remíssio, dicit Dóminus.
Ego pascha salútis, ego agnus immolátus pro vobis.
Ego vestrum lavácrum, ego vita vestra,
Ego resurréctio vestra.
Allelúia.

POST COMMUNIONEM 108/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

109 PRO BAPTIZATIS

INGRESSA 1 Pt 1, 3 109/1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 109/2

**Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole multíplicas,
fámulis tuis concéde propítius,
ut sacraméntum vivéndo téneant,
quod fide íntegra percepérunt.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 109/3

Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 109/4

**Omnípotens Deus, te supplíciter exorámus,
ut fidélibus tuis dignánter impéndas
quo et paschália cápiant sacraménta
et gáudia ætérna desideránter exspéctent.
Per Christum.**

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 109/5

**Oblatiónes, Dómine, tuórum súscipe famulórum,
ut sub tuæ protectiónis auxílio
colláta non perdant et ad ætérna dona pervéniant.
Per Christum.**

PRÆFATIO 109/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos te quidem, Dómine,
omni témpore confitéri,
sed in hoc præcípue die omni devotióne laudáre,
quo Dómini nostri Iesu Christi resurréctio celebrátur.

Hoc enim die, quo Christus a mórtuis resurréxit,
diáboli cécidit supérba potéstas,
tartárea sunt inférni víncula resolúta,
chirógraphum est antíquæ prævaricatiónis extínctum
et acúleus mortis obtrítus.
Nos quoque de servitútis iugo dominatiónis Ægýptiæ
per spiritáles aquas edúcens,
triúmphans resurréxit in glóriam.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 1 Io 4, 16b 109/7

Deus cáritas est,
et qui manet in caritáte, in Deo manet,
et Deus in eo manet, allelúia.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 7 109/8

Diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est,
et omnis, qui díligit,
ex Deo natus est et cognóscit Deum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 109/9

Impleátur in nobis, quǽsumus, Dómine,
sacraménti paschális sancta libátio,
nosque de terrénis affectibus liberátos
ad cæléste tránsferat institútum.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 1, 3 110/1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 110/2

Deus, qui nos resurrectiónis domínicæ
ánnua sollemnitáte lætíficas,
concéde propítius,
ut, per temporália festa quæ ágimus,
pervénire ad gáudia mereámur ætérna.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 110/3

Dóminus memor fuit nostri,
et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 110/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui resúrgens a mórtuis, passióne compléta,
potentiórem te tuis discípulis reddidísti,
concéde propítius,
ut nos quoque, maiestátis tuæ mystéria celebrántes,
divínæ præséntiæ benefícia consequámur.
Qui vivis.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 110/5

Accipe, Dómine, preces nómini tuo dicátas,
cum supplicántium oblatiónibus famulórum,
et, quod mystériis paschálibus fidéliter exsequúntur,
in tuæ remuneratiónis veritáte percípiant.
Per Christum.

PRÆFATIO 110/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, Pater omnípotens,
hic et ubíque, grátias ágere,
quia dies in ætérnum nostræ resurrectiónis effúlsit
et Dómini Iesu Christi glóriæ singuláris.

Qui idem sacérdos éxstitit dignánter et hóstia,
non solum qui pópulum suo cruóre sanctíficet,
sed ipsos quoque dicátos
maiestáti tuæ comméndet in sǽcula.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Cf. Ps 65, 16; 1 Pt 1, 21 110/7

Veníte et audíte quanta fecit Dóminus:
Deus suscitávit Christum a mórtuis,
ut fides nostra et spes esset in Deum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 33, 6-9 110/8

Accédite et édite, allelúia.
Corpus Christi súmite, allelúia.
Gustáte et vidéte, quam suavis est Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 110/9

Ab omni nos, quǽsumus, Dómine, vetustáte purgátos,
sacraménti tui veneránda percéptio
in novam tránsferat creatúram.
Per Christum.

INGRESSA Tit 3, 5b-6 111/1

Salvátor noster secúndum suam misericórdiam
salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis
et renovatiónis Spíritus sancti,
quem effúdit super nos abúnde
per Iesum Christum salvatórem nostrum. Allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 111/2

Deus, qui pópulum tuum liberásti de hostis cállidi servitúte,
preces eius misericórditer dignáre respícere,
et adversántes ei tua virtúte prostérne.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 117, 1 111/3

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 111/4

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Ecclésia tua et suórum firmitáte membrórum
et nova semper fecunditáte lætétur.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 111/5

Cleméntiam tuam, omnípotens Deus, súpplices exorámus,
ut pópulum tuum,
quem sacro baptísmate renováre dignátus es,
per hæc paschália múnera
ad ætérnæ vitæ gáudia perveníre concédas.
Per Christum.

PRÆFATIO 111/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et redemptiónis nostræ festa cum gáudio celebráre,
quibus humána substántia, vínculis prævaricatiónis exúta,
spem resurrectiónis per renovátam sumpsit oríginis dignitátem,
per Christum Dóminum nostrum.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Ps 65, 16 111/7

Veníte, audíte, et narrábo
omnes, qui timétis Deum,
quanta fecit ánimæ meæ, allelúia.

TRANSITORIUM Gal 3, 27. 28 111/8

Quicúmque in Christo baptizáti estis,
Christum induístis,
et omnes vos unus estis in Christo Iesu, allelúia.

POST COMMUNIONEM 111/9

Sólita, quǽsumus, Dómine,
quos salvásti, pietáte custódi,
ut, qui tua sunt passióne redémpti,
tua resurrectióne læténtur.
Qui vivis.

INGRESSA Cf. Ap 19, 1-2. 5-7 112/1

Salus et glória et virtus Deo nostro est,
quia vera et iusta iudícia sunt eius.
Laudem dicámus Deo nostro: Allelúia.
Regnávit Dóminus, Deus noster omnípotens.
Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei: Allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 112/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut huius paschális festivitátis mirábile sacraméntum
et temporálem nobis tranquillitátem
et vitam cónferat sempitérnam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 112/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 112/4

Concéde, miséricors Deus,
ut, quod paschálibus exséquimur institútis,
fructíferum nobis omni témpore sentiámus.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 112/5

Pérfice, Dómine, quǽsumus, benígnus in nobis
paschálium múnerum votíva commércia,
ut a terrénis afféctibus
ad cæléstia desidéria transferámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 112/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, remótis sacrifíciis carnálibus victimárum,
seípsum tibi nostra ófferens pro salúte,
oblatiónem sui córporis illibátam
idem sacérdos et sacer agnus exhíbuit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 112/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM 112/8

Veníte, omnes hóminum natiónes,
et remissiónem accípite peccatórum.
Ego enim vestra sum remíssio, dicit Dóminus.
Ego pascha salútis, ego agnus immolátus pro vobis.
Ego vestrum lavácrum, ego vita vestra,
ego resurréctio vestra.
Allelúia.

POST COMMUNIONEM 112/9

Preces nostras, Dómine, cleménter exáudi,
ut redemptiónis nostræ sacrosáncta commércia
et vitæ nobis cónferant præséntis auxílium
et gáudia sempitérna concílient.
Per Christum.

113 PRO BAPTIZATIS

INGRESSA Eph 5, 25-26 113/1

Christus diléxit Ecclésiam
et se ipsum trádidit pro ea,
ut illam sanctificáret mundans lavácro aquæ in verbo, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 113/2

Tuére famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
pascháli mystério gloriántem,
ut, cuius salutárem fídei venerátur oríginem,
eiúsdem iúgiter institúta custódiat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 113/3

Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 113/4

Deus, totíus cónditor creatúræ,
fámulos tuos, quos renovásti fonte baptísmatis,
quosque grátiæ tuæ plenitúdine solidásti,
in adoptiónis sortem fácias dignánter ascríbi.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 113/5

Cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod paschális múneris fide recólimus sacraméntum
et spe desiderámus inténti,
per tuam dilectiónem capiámus efféctu.
Per Christum.

PRÆFATIO 113/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui se pro nobis óbtulit immolándum,
ut córpore eius et sánguine,
quo sumus a peccátis ómnibus liberáti,
ad ætérnam vitam sacrifíciis cæléstibus pascerémur.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 113/7

Fons hic est vitæ, qui totum díluit orbem,
sumens de Christi vúlnere princípium.
Cælórum regnum speráte, hoc fonte renáti, allelúia.

TRANSITORIUM Ap 7, 14b 113/8

Hi sunt qui lavérunt stolas suas
et dealbavérunt eas in sánguine Agni, allelúia.

POST COMMUNIONEM 113/9

Ecclésia tua, Dómine, cælésti grátia repleátur,
atque ab ómnibus vítiis expiáta
percípiat sempitérnæ redemptiónis augméntum.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 1, 3 114/1
Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 114/2
**Omnípotens sempitérne Deus,
qui paschále sacraméntum
in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti,
da méntibus nostris,
ut, quod professióne celebrámus,
imitémur afféctu.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 114/3
Dóminus memor fuit nostri
et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 114/4
**Gáudia nobis, quǽsumus, Dómine, largíre paschália,
ut, quæ lætánter exséquimur,
perpétua virtúte nos tueántur et salvent.
Per Christum.**

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 114/5
**Accipe, Dómine, fidélium preces
cum oblatiónibus hostiárum,
ut per hæc piæ devotiónis offícia
ad cæléstem glóriam transeámus.
Per Christum.**

PRÆFATIO 114/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salútare
te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hoc potíssimum gloriósius prædicáre,
cum pascha nostrum immolátus est Christus.

Per quem in ætérnam vitam fílii lucis oriúntur,
et fidélibus regni cæléstis átria reseràntur.
Quia mors nostra est eius morte redémpta,
et in eius resurrectióne vita ómnium resurréxit.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Cf. Ps 65, 16; 1 Pt 1, 21 114/7

Veníte et audíte quanta fecit Dóminus:
Deus suscitávit Christum a mórtuis,
ut fides nostra et spes esset in Deum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 33, 6. 9 114/8

Accédite et édite, allelúia.
Corpus Christi súmite, allelúia.
Gustáte et vidéte, quam suávis est Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 114/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére cleménter,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
a temporálibus culpis dignánter absólve.
Per Christum.

INGRESSA Mt 28, 19 115/1

Eúntes docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus sancti.
Allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 115/2

Deus, qui diversitátem géntium
in confessióne tui nóminis adunásti,
da, ut renátis fonte baptísmatis
una sit fides méntium et píetas actiónum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 115/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 115/4

Deus, qui súbolem renascéntium tua pietáte multíplicas,
fac eos gaudére propítius
de suórum vénia peccátorum.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 115/5

Súscipe, quæsumus, Dómine,
tuórum benígnus múnera populórum,
ut, in quibus renáti sunt mystériis permanéntes,
ad novam vitam, his operántibus, perducántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 115/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

De cuius morte vita surréxit,
de passióne salus ascéndit,
de pœna crucis remédium pietátis,
de damnatióne triúmphus,
de vúlnere medicína.
Unus namque mori dignátus est,
ut omnes nos perpétuo viverémus.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Cf. Io 19, 34 115/7

Latus Christi apértum est,
et contínuo exívit sanguis et aqua, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 22, 1-2 115/8

Dóminus pascit me,
et nihil mihi déerit:
in páscuis viréntibus me collocávit, allelúia.

POST COMMUNIONEM 115/9

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui paschália sacraménta percépimus,
vitæ gáudia percípere mereámur ætérnæ.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ap 19, 1-2. 5-7 116/1

Salus et glória et virtus Deo nostro est,
quia vera et iusta iudícia sunt eius.
Laudem dicámus Deo nostro: Allelúia.
Regnávit Dóminus, Deus noster omnípotens.
Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei: Allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 116/2

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui festa paschália égimus venerándo,
per hæc pertíngere ad gáudia mereámur ætérna.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 116/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 116/4

Omnípotens sempitérne Deus,
quem, docénte Spíritu sancto,
patérno nómine invocáre præsúmimus,
éffice in nobis filiórum corda fidélium,
ut hæreditátem promíssam
mereámur íngredi débita servitúte.
Per Christum.

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 116/5

Accipe, Dómine, fidélium preces
cum oblatiónibus hostiárum,
ut, paschálibus initiáta mystériis,
ad æternitátis nobis profíciant hæc dona suffrágium.
Per Christum.

PRÆFATIO 116/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et nunc máxime gratulári,
quando dies salútis nostræ sollémniter celebrátur,
et tuæ erga nos pietátis singuláre mystérium.

Quo de ténebris captivitátis antíquæ
fílii lucis et libertátis effícimur,
et, terrénis exúti, ad cæléstia regna transímus.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 116/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM 116/8

Veníte, omnes hóminum natiónes,
et remissiónem accípite peccatórum.
Ego enim vestra sum remíssio, dicit Dóminus.
Ego pascha salútis, ego agnus immolátus pro vobis.
Ego vestrum lavácrum, ego vita vestra,
Ego resurréctio vestra.
Allelúia.

POST COMMUNIONEM 116/9

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

INGRESSA Io 14, 6 117/1

Ego sum via et véritas et vita, dicit Dóminus.
Nemo venit ad Patrem nisi per me, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 117/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui pópulum tuum quondam, Iordáne transiécto,
terram fecísti promissiónis intráre,
præsta, quǽsumus,
ut, significatiónis antíquæ
et veritátis mystério patefácto,
qui sunt sacraménto baptísmatis tuæ fílii adoptiónis effécti,
regno cæléstí mereántur ascríbi.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 117/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 117/4

**Deus, qui credéntes in te pópulos
grátiæ tuæ largitáte multíplicas,
respícere ad electiónem tuam dignáre propítius,
ut, qui sacraménto baptísmatis sunt renáti,
cæléstis regni mereántur intróitum.
Per Christum.**

Non dicitur Credo.

SUPER OBLATA 117/5

**Hóstias, Dómine, quǽsumus, placátus assúme,
quas et pro renatórum expiatióne deférimus
et pro acceleratióne cæléstis auxílii.
Per Christum.**

PRÆFATIO 117/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, secúndum promissiónis suæ incommutábilem veritátem
cæléstis factus póntifex in ætérnum,
solus ómnium sacerdótum peccáti remissióne non éguit,
sed pótius peccátum mundi idem verus Agnus abstérsit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicuntur Communicántes et Hanc ígitur propria.

CONFRACTORIUM 1 Pt 2, 1a. 2-3 117/7

Deponéntes omnem malítiam et omnem dolum,
sicut modo géniti infántes,
rationále sine dolo lac concupíscite,
ut in eo crescátis in salútem,
si gustástis quóniam dulcis Dóminus, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 33, 6a. 10a 117/8

Respícite ad eum, et illuminámini.
Timéte Dóminum, sancti eius, allelúia.

POST COMMUNIONEM 117/9

Fac, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui paschálibus remédiis innováti
similitúdinem terréni paréntis evásimus,
ad formam cæléstis transferámur auctóris.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 104, 43 118/1

Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne, allelúia,
eléctos suos in lætítia, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 118/2

Deus, innocéntiæ restitútor et amátor,
dírige ad te tuórum corda fidélium,
ut, quos de infidelitátis ténebris liberásti,
numquam a veritátis tuæ luce discédant.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 148, 2-3 118/3

Laudáte Dóminum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius.
Laudáte eum, sol et luna,
laudáte eum, omnes stellæ lucéntes, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 118/4

Deus, qui in ipso paschális festi recúrsu
fidem sacrátæ tibi plebis accéndis,
auge sempitérna misericórdia grátiam quam dedísti,
ut digna omnes intellegéntia comprehéndant
quo Spíritu regeneráti ac sánguine sint redémpti.
Per Christum.

SUPER OBLATA 118/5

Réspice, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et ad perpétuam credéntium salútem suménda concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 118/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem
et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 118/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 20, 27 118/8

Mitte manum tuam, et cognósce loca clavórum, allelúia.
Et noli esse incrédulus, sed fidélis, allelúia, allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 118/9

Exúberet, quǽsumus, Dómine, Deus noster,
méntibus nostris paschális grátia sacraménti,
ut donis suis nos dignos ipsa constítuat.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ap 19, 5; 12, 10 119/1
Laudem dícite Deo nostro,
omnes qui timétis Deum, pusílli et magni,
quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, allelúia.

SUPER POPULUM 119/2
Deus, qui paschália nobis remédia contulísti,
pópulum tuum cælésti dono proséquere,
ut, perféctam libertátem assecútus,
in cælis gáudeat, unde nunc exsúltat in terris.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 119/3
Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 119/4
Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui paschália festa perégimus,
hæc, te largiénte, móribus et vita teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 119/5
Súscipe, quǽsumus, Dómine, hóstias redemptiónis humánæ,
et salútem nobis mentis et córporis operáre placátus.
Per Christum.

PRÆFATIO 119/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári,
atque hómini ad tuam cóndito sapiénter imáginem
univérsa simul animántia rerúmque mirácula subiecísti.

Cui licet orígo terréna sit,
tamen regeneratióne baptísmatis
cæléstis ei vita confértur.

Nam, devícto mortis auctóre,
immortalitátis est grátiam consecútus,
et, prævaricatiónis erróre quassáto,
viam répperit veritátis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 24 119/7

Pater, quod dedísti mihi,
volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum,
ut vídeant glóriam meam,
quam dedísti mihi, allelúia.

TRANSITORIUM 119/8

Veníte, pópuli: sacrum immortále mystérium illibátum
agéndum cum timóre et fide.
Accedámus mánibus mundis,
pæniténtiæ munus communicémus,
quóniam Agnus Dei propter nos Patri sacrifícium propósitus est.
Ipsum solum adorémus, ipsum glorificémus,
cum ángelis clamántes:
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 119/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ps 70, 8a. 23 120/1

Repleátur os meum, Dómine, laude tua,
ut possim cantáre.
Exsultábunt lábia mea,
cum cantávero tibi, allelúia.

SUPER POPULUM 120/2

Semper exsúltet pópulus tuus, Deus,
renováta ánimæ iuventúte,
ut, qui nunc lætátur in adoptiónis se glóriam restitútum,
resurrectiónis diem spe certæ gratulatiónis exspéctet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 120/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 120/4

Quos lætítiæ dies in honórem Dómini resurgéntis exséquimur,
fac nos, omnípotens Deus, afféctu sédulo celebráre,
ut, quod recordatióne percúrrimus,
semper in ópere teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 120/5

Concéde, quǽsumus, Dómine,
semper nos per hæc mystéria paschália gratulári,
ut opus nostræ reparatiónis assíduum
perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 120/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 120/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Lc 24, 35 120/8

Cognovérunt discípuli Dóminum Iesum
in fractióne panis, allelúia.

POST COMMUNIONEM 120/9

Cæléstis grátiæ hoc partícipes sacraménto,
quǽsumus, Deus omnípotens,
ut, iuste in hoc sǽculo piéque vivéntes,
Salvatóris glóriæ confidénter exspectémus advéntum.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Ap 5, 9-10 121/1
Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes, allelúia.

SUPER POPULUM 121/2
Omnípotens sempitérne Deus,
deduc nos ad societátem cæléstium gaudiórum,
ut eo váleat gregis humílitas perveníre,
quo procéssit fortitúdo pastóris.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 121/3
Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 121/4
Omnípotens sempitérne Deus,
semper in nobis paschále pérfice sacraméntum,
ut, quos sacro dignátus es renováre baptísmate,
fructus multos ásserant sub tuæ protectiónis auxílio,
et ad ætérnæ possint vitæ gáudia perveníre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 121/5
Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ
cum oblatiónibus hostiárum,
ut, tua dignatióne mundáti,
sacraméntis magnæ pietátis aptémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 121/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salútare,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias agere,
et memóriam mirabílium tuórum cordis veneratióne sincéra
hoc præcípue pascháli témpore celebráre.

Christus enim, Unigénitus tuus,
diábolum mundúmque vicit passiónis admirábili sacraménto,
et hóminem paradíso, imágine reparáta, sua resurrectióne restítuit,
ætérnǽque vitæ iánuas credéntibus patefécit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 17, 20-21 121/7
Pater, pro eis rogo, qui creditúri sunt,
ut et ipsi in nobis unum sint,
ut mundus credat quia tu me misísti,
dicit Dóminus, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 97, 1a. 2b 121/8
Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam, allelúia.

POST COMMUNIONEM 121/9
Gregem tuum, Pastor bone, placátus inténde,
et oves, quas pretióso Fílii tui sánguine redemísti,
in ætérnis páscuis collocáre dignéris.
Per Christum.

INGRESSA Ps 67, 8-9 122/1

Deus, dum egrederéris in conspéctu pópuli tui,
cum pertransíres in desérto,
terra mota est, étiam cæli distillavérunt, allelúia.

SUPER POPULUM 122/2

Deus, per quem nobis et redémptio venit et præstátur adóptio,
fílios dilectiónis tuæ benígnus inténde,
ut in Christo credéntibus
et vera libértas et heréditas tribuátur ætérna.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 122/3

Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 122/4

Adésto, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ
et dignánter impénde,
ut, quibus fídei grátiam contulísti,
et corónam largiáris ætérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 122/5

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
tua digne tractáre mystéria,
ut miseratiónibus tuis cóngruo respondeámus obséquio,
et fiduciálius impetránda poscámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 122/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per cuius sánguinem genus humánum est a servitúte redémptum,
ut illa caro, quæ prius in Adam fúerat effécta mortális,
rursum cum glória revocarétur in cælum.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM 122/7

Surréxit Dóminus et illúxit nobis,
quos redémit sánguine suo, allelúia.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 122/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, allelúia.

POST COMMUNIONEM 122/9

Pópulo tuo, quǽsumus, Dómine, adésto propítius,
et, quem mystériis cæléstibus imbuísti,
fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre.
Per Christum.

INGRESSA Ps 67, 20-21a 123/1

Benedíctus Dóminus die quotídie;
portábit nos Deus salutárium nostrórum.
Deus noster, Deus ad salvándum, allelúia.

SUPER POPULUM 123/2

Fac nos, quǽsumus, omnípotens Deus,
Dómini resurgéntis prædicáre virtútem,
ut, cuius múneris pignus accépimus,
manifésta dona comprehéndere valeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 123/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 123/4

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, supplicatióne placátus,
ut, quemádmodum resurrectiónis Fílii tui
sollémnia in mystério celebrámus,
ita et in advéntu eius gaudére cum sanctis ómnibus mereámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 123/5

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 123/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem homo, qui in Adæ prævaricatióne períerat,
divína patiéntia reformátur.
Ille enim vestígiis nostris
usque ad mortis descéndit ærúmnam,
ut nos suis vestígiis
per resurrectiónem revocáret ad vitam.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20 123/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 17, 22 123/8

Rogo, Pater, ut sint unum,
sicut et nos unum sumus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 123/9

Paschália nobis, Dómine, gáudia, deprecámur,
futúræ salútis æternitáte confírma.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Is 48, 20 124/1

Vocem iucunditátis annuntiáte,
et audiátur,
annuntiáte usque ad extrémum terræ:
Liberávit Dóminus pópulum suum, allelúia.

SUPER POPULUM 124/2

Annua recoléntes mystéria,
quibus per renovátam oríginis dignitátem
humána substántia spem resurrectiónis accépit,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod fide recólimus,
perpétua dilectióne capiámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 124/3

Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 124/4

Da univérsis fámulis tuis, quǽsumus, Dómine,
plénius atque perféctius
ómnia paschális festivitátis introíre mystéria,
ut incunctánter pia corda cognóscant
quantum débeant de confirmáta in Christo
credéntium glorificatióne gaudére.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 124/5

Quǽsumus, Dómine, Deus noster,
ut iam damnatiónis humánæ senténtia non teneámur obnóxii,
cuius nos a vínculis hæc hóstia paschális absólvit.
Per Christum.

PRÆFATIO 124/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vetus testaméntum in morte suo sánguine consummávit,
ut nos suæ vitæ cæléstis fáceret coherédes.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 124/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Io 14, 15-16 124/8

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis, dicit Dóminus;
et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis,
ut máneat vobíscum in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 124/9

Da, miséricors Deus,
ut resurrectiónis Dómini nostri Iesu Christi,
per hæc dona quæ súmpsimus,
efficiámur in veritáte partícipes.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 32, 5b-6a 125/1

Misericórdia Dómini plena est terra, allelúia.
Verbo Dómini cæli facti sunt, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 125/2

Mísericors Dómine, fidélium tuórum consolátor et doctor,
auge in Ecclésia tua desidéria, quæ dedísti,
et de intellegénda altitúdine promissiónum
sperántium in te corda confírma,
ut omnes adoptiónis fílii lumen, quod nondum osténdis,
fídei óculis incunctánter intueántur, et patiénter exspéctent.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 78, 13 125/3

Nos, pópulus tuus et oves páscuæ tuæ,
confitébimur tibi, Deus in sǽculum;
in generatiónem et generatiónem annuntiábimus laudem tuam.
Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 125/4

Deus, qui, Fílii tui humilitáte
iacéntem mundum es dignátus erígere,
fidélibus tuis sanctam concéde lætítiam,
ut, quos eripuísti a servitúte peccáti,
gáudiis fácias pérfrui sempitérnis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 125/5

Deus, qui nos per huius sacrifícii veneránda commércia
uníus summæ divinitátis partícipes effecísti,
præsta, quǽsumus,
ut, sicut tuam cognóscimus veritátem,
sic eam dignis móribus assequámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 125/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári,
atque hómini ad tuam cóndito sapiénter imáginem
univérsa simul animántia rerúmque mirácula subiecísti.

Cui licet orígo terréna sit,
tamen regeneratióne baptísmatis
cæléstis ei vita confértur.
Nam, devícto mortis auctóre,
immortalitátis est grátiam consecútus,
et, prævaricatiónis erróre quassáto,
viam répperit veritátis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 12a-13a. 15 125/7

Pater, cum essem cum eis,
ego servábam eos in nómine tuo, quod dedísti mihi, allelúia.
Nunc autem ad te vénio.
Non rogo, ut tollas eos de mundo,
sed ut serves eos ex malo.
Allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM Io 6, 56 125/8

Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet,
et ego in illo, dicit Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 125/9

Præsta nobis, omnípotens et miséricors Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Eccli 15, 3-4 126/1

Aqua sapiéntiæ potávit eos, allelúia.
Firmábitur in illis et non flectétur, allelúia.
Ædificávit eos in ætérnum.
Allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 126/2

Deus, qui pópulum tuum fecísti
tuæ redemptiónis esse partícipem,
nobis, quǽsumus, concéde benígnus,
ut de resurrectióne domínica perpétuo gratulémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 126/3

Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: Allelúia,
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos: Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 126/4

Adésto, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ,
et dignánter impénde,
ut, quibus fídei grátiam contulísti,
resurrectiónis Unigéniti tui
communiónem largiáris ætérnam.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 126/5

Pérfice, Dómine, quǽsumus, benígnus in nobis
paschálium múnerum votíva commércia,
ut a terrénis afféctibus ad cæléstia desidéria transferámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 126/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui christianórum ánimos,
sacratórum redeúnte sollemnitáte diérum,
passiónis ac resurrectiónis propénsius exercéri
salutári constítuis sacraménto,
ut mundi in Christo reconciliátio iam impléta
multiplicáta lætítia celebrétur.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 1. 5 126/7

Ego sum vitis vera, et vos pálmites, dicit Dóminus.
Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 33, 6. 9 126/8

Accédite et édite, allelúia.
Corpus Christi súmite, allelúia.
Gustáte et vidéte, quam suávis est Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 126/9

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

INGRESSA Ps 32, 5b-6a 127/1

Misericórdia Dómini plena est terra, allelúia.
Verbo Dómini cæli facti sunt, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 127/2

Supplicántium voces, Deus, exáudi,
qui et libertátis nostræ auctor es et salútis,
et, quos sánguinis Fílii tui effusióne redemísti,
fac, ut per te vívere
et perpétua in te váleant incolumitáte gaudére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 127/3

Dóminus memor fuit nostri, et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 127/4

Deus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluísti,
réspice in nos et gressus nostros dírige miserátus,
ut, qui voluntátis tuæ viam, donánte te, séquimur,
a vitæ numquam trámite deviémus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 127/5

Réspice, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et ad perpétuam credéntium salútem suménda concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 127/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et nunc máxime gratulári,
quando dies salútis nostræ sollémniter celebrátur,
et tuæ erga nos pietátis singuláre mystérium.

Quo de ténebris captivitátis antíquæ
fílii lucis et libertátis effícimur,
et, terrénis exúti, ad cæléstia regna transímus.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 127/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 15, 19. 16 127/8

Dicit Dóminus: Ego elégi vos de mundo,
et pósui vos, ut eátis
et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, allelúia.

POST COMMUNIONEM 127/9

Exúberet, quǽsumus, Dómine, Deus noster,
méntibus nostris paschális grátia sacraménti,
ut donis suis nos dignos ipsa constítuat.
Per Christum.

INGRESSA Ps 65, 1-2 128/1

Iubiláte Deo, omnis terra,
psalmum dícite glóriæ nóminis eius,
glorificáte laudem eius, allelúia.

SUPER POPULUM 128/2

Quos lætítiæ dies in honórem Dómini resurgéntis exséquimur,
fac nos, omnípotens Deus, afféctu sédulo celebráre,
ut, quod recordatióne percúrrimus,
semper in ópere teneámus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 128/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 128/4

Deus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis,
da pópulis tuis id amáre quod præcipis,
id desideráre quod promíttis,
ut inter mundánas varietátes
ibi nostra fixa sint corda,
ubi vera sunt gáudia.
Per Christum.

SUPER OBLATA 128/5

Benedictiónem tuam, Dómine, quǽsumus,
nobis cónferat salutárem sacra semper oblátio,
ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat.
Per Christum.

PRÆFATIO 128/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, Pater omnípotens, hic et ubíque, grátias ágere,
quia dies in ætérnum nostræ resurrectiónis effúlsit
et Dómini Iesu Christi glóriæ singuláris.

Qui idem sacérdos exsístit dignánter et hóstia,
non solum qui pópulum suo cruóre sanctíficet,
sed ipsos quoque dicátos
maiestáti tuæ comméndet in sǽcula.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Pt 2, 2 128/7

Sicut modo géniti infántes,
rationále sine dolo lac concupíscite,
ut in eo crescátis in salútem, allelúia.

TRANSITORIUM Gal 3, 27. 28 128/8

Quicúmque in Christo baptizáti estis,
Christum induístis,
et omnes vos unus estis in Christo Iesu, allelúia.

POST COMMUNIONEM 128/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine,
mensa cæléstis semper enútriat,
quátenus ad plenam córporis Christi perfectámque mensúram
fratérna felíciter dilectióne pervéniat.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 104, 43 129/1
Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne, allelúia,
eléctos suos in lætítia, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 129/2
Omnípotens sempitérne Deus,
pietátem tuam his diébus propénsius consequámur,
quibus eam plénius te largiénte cognóvimus,
ut, quos ab erróris calígine liberásti,
veritátis tuæ fírmius inhærére fácias documéntis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 129/3
Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: Allelúia,
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos: Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 129/4
Deus, qui hoc nobis confers grátia,
ut iusti ex ímpiis et beáti efficiámur ex míseris,
adésto opéribus tuis, adésto munéribus,
ut, quibus inest fídei iustificátio,
non desit perseverántiæ fortitúdo.
Per Christum.

SUPER OBLATA 129/5
Cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod paschális múneris fide recólimus sacraméntum
et spe desiderámus inténti,
per tuam dilectiónem capiámus efféctu.
Per Christum.

PRÆFATIO 129/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem
et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Sap 16, 20 129/7

Panem de cælo dedísti nobis, Dómine,
habéntem omne delectaméntum
et omnem sapórem suavitátis.
Allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 77, 24-25 129/8

Sacraméntum celéste cum timóre accípite,
et satiámini de Christi dulcédine.
Panem cæli dedit nobis Dóminus,
panem angelórum manducávit homo.
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 129/9

Sociári nos, quǽsumus, Dómine,
cæléstí mensæ virtutíque concéde,
atque desideráre quæ recta sunt,
et desideráta percípere.
Per Christum.

INGRESSA Cf. 1 Pt 5, 10a. 11 130/1

Deo omnis grátiæ,
qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam
in Christo Iesu:
impérium in sǽcula sæculórum.
Amen, allelúia.

SUPER POPULUM 130/2

Largíre, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, Deus,
et a suis semper et ab aliénis abstinére delíctis,
ut, pura tibi mente desérviens,
pietátis tuæ remédia sine cessatióne percípiat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 130/3

Dóminus memor fuit nostri, et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 130/4

Implorántes, Dómine, misericórdiam tuam,
pópulos fidéles propítius intuére,
ut, qui præter te álium non novérunt,
tuis semper benefíciis gloriéntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 130/5

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet,
et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem.
Per Christum.

PRÆFATIO 130/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis misértus erróribus,
per Vírginem nasci dignátus est,
et per passiónem mortis
a morte nos perpétua liberávit,
ac resurrectióne sua ætérnam cóntulit nobis vitam.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 65, 16; 1 Pt 1, 21 130/7

Veníte et audíte quanta fecit Dóminus:
Deus suscitávit Christum a mórtuis,
ut fides nostra et spes esset in Deum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 4, 7. 12; 2, 17 130/8

Diligámus nos ínvicem, quia cáritas Deus est,
et qui díligit fratrem suum
ex Deo natus est et videt Deum,
et in hoc cáritas Dei perfécta est;
et qui facit voluntátem Dei, manet in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 130/9

Adsit, Dómine, fidélibus tuis sacræ benedictiónis effféctus,
qui mentes ómnium spirituáli vegetatióne dispónat,
ut ad ópera sua exercénda
virtúte caritátis tuæ iúgiter roboréntur.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 1, 3 131/1
Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

SUPER POPULUM 131/2
Sancti nóminis tui, Dómine,
timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum,
quia numquam tua gubernatióne destítuis,
quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 131/3
Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 131/4
Deus, qui sollemnitáte pascháli
cæléstia mundo remédia benígnus operáris,
ánnuæ festivitátis huius nobis dona proséquere,
ut per observántiam temporálem
ad vitam perveniámus ætérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 131/5
Accipe, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et, cui causam tanti gáudii contulísti,
perpétuæ fructum concéde lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 131/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hoc potíssimum gloriósius prædicáre,
cum pascha nostrum immolátus est Christus.

Qui se pro nobis offérre non désinit,
nosque apud te perénni advocatióne deféndit.
Qui iam non móritur immolátus,
sed semper vivit occísus.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 21, 12. 13 131/7

Dixit Iesus discípulis suis: Veníte, prandéte.
Et accépit panem et dedit eis, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 125, 2a. 3 131/8

Replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne.
Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes, allelúia.

POST COMMUNIONEM 131/9

Cibi salutáris ac póculi dona libántes,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui súmpsimus paschále mystérium,
prodésse nobis in perpétuum gaudeámus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Is 48, 20 132/1

Vocem iucunditátis annuntiáte,
et audiátur;
annuntiáte usque ad extrémum terræ:
Liberávit Dóminus pópulum suum, allelúia.

SUPER POPULUM 132/2

Deus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis,
da pópulis tuis id amáre quod præcipis,
id desideráre quod promíttis,
ut inter mundánas varietátes
ibi nostra fixa sint corda,
ubi vera sunt gáudia.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 1a. 2b-3 132/3

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me.
Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.
Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 132/4

Deus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluísti,
réspice in nos et gressus nostros dírige miserátus,
ut, qui voluntátis tuæ viam, donánte te, séquimur,
a vitæ numquam trámite deviémus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 132/5

Benedictiónem tuam, Dómine, quǽsumus,
nobis cónferat salutárem sacra semper oblátio,
ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat.
Per Christum.

PRÆFATIO 132/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis misértus erróribus,
per Vírginem nasci dignátus est,
et per passiónem mortis
a morte nos perpétua liberávit,
ac resurrectióne sua ætérnam cóntulit nobis vitam.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Sap 16, 20 132/7

Panem de cælo dedísti nobis, Dómine,
habéntem omne delectaméntum,
et omnem sapórem suavitátis.
Allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 77, 24-25 132/8

Sacraméntum cæléste cum timóre accípite,
et satiámini de Christi dulcédine.
Panem cæli dedit nobis Dóminus,
panem angelórum manducávit homo.
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 132/9

Salutífera quæ súmpsimus, Dómine, sacraménta
et spiritálibus nos ínstruant aliméntis
et corporálibus tueántur auxíliis.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ap 19, 5; 12, 10 133/1

Laudem dícite Deo nostro,
omnes qui timétis Deum, pusílli et magni,
quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, allelúia.

SUPER POPULUM 133/2

Deus, qui paschália nobis remédia contulísti,
pópulum tuum cælésti dono proséquere,
ut, perféctam libertátem assecútus,
in cælis gáudeat, unde nunc exsúltat in terris.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 133/3

Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 133/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui paschália festa perégimus,
hæc, te largiénte, móribus et vita teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 133/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, hóstias redemptiónis humánæ,
et salútem nobis mentis et córporis operáre placátus.
Per Christum.

PRÆFATIO 133/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári,
atque hómini ad tuam cóndito sapiénter imáginem
univérsa simul animántia rerúmque mirácula subiecísti.

Cui licet orígo terréna sit,
tamen regeneratióne baptísmatis
cæléstis ei vita confértur.

Nam, devícto mortis auctóre,
immortalitátis est grátiam consecútus,
et, prævaricatiónis erróre quassáto,
viam répperit veritátis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 24 133/7

Pater, quod dedísti mihi,
volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum,
ut vídeant glóriam meam,
quam dedísti mihi, allelúia.

TRANSITORIUM 133/8

Veníte, pópuli: sacrum immortále mystérium illibátum
agéndum cum timóre et fide.
Accedámus mánibus mundis,
pæniténtiæ munus communicémus,
quóniam Agnus Dei propter nos Patri sacrifícium propósitus est.
Ipsum solum adorémus, ipsum glorificémus,
cum ángelis clamántes:
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 133/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ps 70, 8a. 23 134/1

Repleátur os meum laude tua,
ut possim cantáre.
Exsultábunt lábia mea,
cum cantávero tibi, allelúia.

SUPER POPULUM 134/2

Semper exsúltet pópulus tuus, Deus,
renováta ánimæ iuventúte,
ut, qui nunc lætátur in adoptiónis se glóriam restitútum,
resurrectiónis diem spe certæ gratulatiónis exspéctet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 134/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 134/4

Quos lætítiæ dies in honórem Dómini resurgéntis exséquimur,
fac nos, omnípotens Deus, afféctu sédulo celebráre,
ut, quod recordatióne percúrrimus,
semper in ópere teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 134/5

Concéde, quǽsumus, Dómine,
semper nos per hæc mystéria paschália gratulári,
ut opus nostræ reparatiónis assíduum
perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 134/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 134/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Lc 24, 35 134/8

Cognovérunt discípuli Dóminum Iesum
in fractióne panis, allelúia.

POST COMMUNIONEM 134/9

Cæléstis grátiæ hoc partícipes sacraménto,
quǽsumus, Deus omnípotens,
ut, iuste in hoc sǽculo piéque vivéntes,
Salvatóris glóriæ confidénter exspectémus advéntum.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Ap 5, 9-10 135/1

Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes, allelúia.

SUPER POPULUM 135/2

Omnípotens sempitérne Deus,
deduc nos ad societátem cæléstium gaudiórum,
ut eo váleat gregis humílitas perveníre,
quo procéssit fortitúdo pastóris.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 135/3

Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 135/4

Omnípotens sempitérne Deus,
semper in nobis paschále pérfice sacraméntum,
ut, quos sacro dignátus es renováre baptísmate,
fructus multos ásferant sub tuæ protectiónis auxílio,
et ad ætérnæ possint vitæ gáudia perveníre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 135/5

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ
cum oblatiónibus hostiárum,
ut, tua dignatióne mundáti,
sacraméntis magnæ pietátis aptémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 135/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
et memóriam mirabílium tuórum cordis veneratióne sincéra
hoc præcípue pascháli témpore celebráre.

Christus enim, Unigénitus tuus,
diábolum mundúmque vicit passiónis admirábili sacraménto,
et hóminem paradíso, imágine reparáta, sua resurrectióne restítuit,
ætérnǽque vitæ iánuas credéntibus patefécit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 17, 20-21 135/7

Pater, pro eis rogo, qui creditúri sunt,
ut et ipsi in nobis unum sint,
ut mundus credat quia tu me misísti,
dicit Dóminus, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 97, 1a. 2b 135/8

Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam, allelúia.

POST COMMUNIONEM 135/9

Gregem tuum, Pastor bone, placátus inténde,
et oves, quas pretióso Fílii tui sánguine redemísti,
in ætérnis páscuis collocáre dignéris.
Per Christum.

INGRESSA Ps 67, 8-9 136/1

Deus, dum egrederéris in conspéctu pópuli tui,
cum pertransíres in desérto,
terra mota est, étiam cæli distillavérunt, allelúia.

SUPER POPULUM 136/2

Deus, per quem nobis et redémptio venit et præstátur adóptio,
fílios dilectiónis tuæ benígnus inténde,
ut in Christo credéntibus
et vera libértas et heréditas tribuátur ætérna.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 136/3

Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 136/4

Adésto, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ
et dignánter impénde,
ut, quibus fídei grátiam contulísti,
et corónam largiáris ætérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 136/5

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
tua digne tractáre mystéria,
ut miseratiónibus tuis cóngruo respondeámus obséquio,
et fiduciálius impetránda poscámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 136/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per cuius sánguinem genus humánum est a servitúte redémptum,
ut illa caro, quæ prius in Adam fúerat efécta mortális,
rursum cum glória revocarétur in cælum.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM 136/7

Surréxit Dóminus et illúxit nobis,
quos redémit sánguine suo, allelúia.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 136/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul etiam vivémus cum eo, allelúia.

POST COMMUNIONEM 136/9

Pópulo tuo, quǽsumus, Dómine, adésto propítius,
et, quem mystériis cæléstibus imbuísti,
fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre.
Per Christum.

INGRESSA Ps 67, 20-21a 137/1

Benedíctus Dóminus die quotídie;
portábit nos Deus salutárium nostrórum.
Deus noster, Deus ad salvándum, allelúia.

SUPER POPULUM 137/2

Fac nos, quǽsumus, omnípotens Deus,
Dómini resurgéntis prædicáre virtútem,
ut, cuius múneris pignus accépimus,
manifésta dona comprehéndere valeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 137/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 137/4

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, supplicatióne placátus,
ut, quemádmodum resurrectiónis Fílii tui
sollémnia in mystério celebrámus,
ita et in advéntu eius gaudére cum sanctis ómnibus mereámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 137/5

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 137/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem homo, qui in Adæ prævaricatióne períerat,
divína patiéntia reformátur.
Ille enim vestígiis nostris
usque ad mortis descéndit ærúmnam,
ut nos suis vestígiis
per resurrectiónem revocáret ad vitam.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20 137/7
Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 17, 22 137/8
Rogo, Pater, ut sint unum,
sicut et nos unum sumus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 137/9
Paschália nobis, Dómine, gáudia, deprecámur,
futúræ salútis æternitáte confírma.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Is 48, 20 138/1
Vocem iucunditátis annuntiáte,
et audiátur,
annuntiáte usque ad extrémum terræ:
Liberávit Dóminus pópulum suum, allelúia.

SUPER POPULUM 138/2
Annua recoléntes mystéria,
quibus per renovátam oríginis dignitátem
humána substántia spem resurrectiónis accépit,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod fide recólimus,
perpétua dilectióne capiámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 138/3
Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 138/4
Da univérsis fámulis tuis, quǽsumus, Dómine,
plénius atque perféctius
ómnia paschális festivitátis introíre mystéria,
ut incunctánter pia corda cognóscant
quantum débeant de confirmáta in Christo
credéntium glorificatióne gaudére.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 138/5
Quǽsumus, Dómine, Deus noster,
ut iam damnatiónis humánæ senténtia non teneámur obnóxii,
cuius nos a vínculis hæc hóstia paschális absólvit.
Per Christum.

PRÆFATIO 138/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vetus testaméntum in morte suo sánguine consummávit,
ut nos suæ vitæ cæléstis fáceret coherédes.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 138/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Io 14, 15-16 138/8

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis, dicit Dóminus;
et ego rogábo Patrem, et alium Paráclitum dabit vobis,
ut máneat vobíscum in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 138/9

Da, miséricors Deus,
ut resurrectiónis Dómini nostri Iesu Christi,
per hæc dona quæ súmpsimus,
efficiámur in veritáte partícipes.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 26, 1. 2b 139/1

Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo?
Qui tríbulant me et inimíci mei,
ipsi infirmáti sunt et cecidérunt, allelúia.

SUPER POPULUM 139/2

Deus, qui erránti pópulo,
ut in viam possit redíre iustítiæ,
veritátis tuæ lumen osténdis,
da cunctis, qui christiána professióne censéntur,
et illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini
et ea quæ sunt apta sectári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 2 Mac 1, 24-25. 27a 139/3

Dómine, Dómine Deus, ómnium creátor,
terríbilis et fortis, iustus et miséricors,
qui solus es rex et bonus, solus præstans,
cóngrega dispersiónem nostram, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 139/4

Semper in nobis, quǽsumus, Dómine,
paschále pérfice sacraméntum,
ut per initiáta remédia
auxíliis non desístas educáre contínuis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 139/5

Pérfice, Dómine, quǽsumus, benígnus in nobis
paschálium múnerum votíva commércia,
ut a terrénis afféctibus
ad cæléstia desidéria transferámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 139/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, Dómine, grátias ágere,
sed in hoc præcípue témpore sacrosáncto,
quo mystéria Christi paschália devóta mente venerátur Ecclésia,
ut universórum credéntium una sit socíetas passiónis
et resurrectiónis ætérnitas.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 6, 68-69 139/7

Dómine, ad quem íbimus?
Verba vitæ ætérnæ habes;
et nos credídimus et cognóvimus
quia tu es Sanctus Dei, allelúia.

TRANSITORIUM 139/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus adminístrat panem sanctórum et cálicem vitæ
in remissiónem peccatórum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 139/9

Adésto, Dómine, Deus noster,
ut per hæc, quæ fidéliter súmpsimus, purgémur a vítiis,
et a perículis ómnibus exuámur.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Eccli 15, 3-4 140/1

Aqua sapiéntiæ potávit eos, allelúia.
Firmábitur in illis et non flectétur, allelúia.
Ædificávit eos in ætérnum.
Allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 140/2

Deus, qui pópulum tuum fecísti
tuæ redemptiónis esse partícipem,
nobis, quǽsumus, concéde benígnus,
ut de resurrectióne domínica perpétuo gratulémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 140/3

Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: Allelúia,
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos: Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 140/4

Adésto, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ,
et dignánter impénde,
ut, quibus fídei grátiam contulísti,
resurrectiónis Unigéniti tui
communiónem largiáris ætérnam.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 140/5

Pérfice, Dómine, quǽsumus, benígnus in nobis
paschálium múnerum votíva commércia,
ut a terrénis afféctibus ad cæléstia desidéria transferámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 140/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui christianórum ánimos,
sacratórum redeúnte sollemnitáte diérum,
passiónis ac resurrectiónis propénsius exercéri
salutári constítuis sacraménto,
ut mundi in Christo reconciliátio iam impléta
multiplicáta lætítia celebrétur.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 1. 5 140/7

Ego sum vitis vera, et vos pálmites, dicit Dóminus.
Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 33, 6. 9 140/8

Accédite et édite, allelúia.
Corpus Christi súmite, allelúia.
Gustáte et vidéte, quam suávis est Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 140/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

INGRESSA Ps 32, 5b-6a 141/1

Misericórdia Dómini plena est terra, allelúia.
Verbo Dómini cæli facti sunt, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 141/2

Supplicántium voces, Deus, exáudi,
qui et libertátis nostræ auctor es et salútis,
et, quos sánguinis Fílii tui effusióne redemísti,
fac, ut per te vívere
et perpétua in te váleant incolumitáte gaudére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 141/3

Dóminus memor fuit nostri, et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 141/4

Deus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluísti,
réspice in nos et gressus nostros dírige miserátus,
ut, qui voluntátis tuæ viam, donánte te, séquimur,
a vitæ numquam trámite deviémus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 141/5

Réspice, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et ad perpétuam credéntium salútem suménda concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 141/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et nunc máxime gratulári,
quando dies salútis nostræ sollémniter celebrátur,
et tuæ erga nos pietátis singuláre mystérium.

Quo de ténebris captivitátis antíquæ
fílii lucis et libertátis effícimur,
et, terrénis exúti, ad cæléstia regna transímus.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 141/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 15, 19. 16 141/8

Dicit Dóminus: Ego elégi vos de mundo,
et pósui vos, ut eátis
et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, allelúia.

POST COMMUNIONEM 141/9

Exúberet, quǽsumus, Dómine, Deus noster,
méntibus nostris paschális grátia sacraménti,
ut donis suis nos dignos ipsa constítuat.
Per Christum.

INGRESSA Ps 65, 1-2 142/1

Iubiláte Deo, omnis terra,
psalmum dícite glóriæ nóminis eius,
glorificáte laudem eius, allelúia.

SUPER POPULUM 142/2

Quos lætítiæ dies in honórem Dómini resurgéntis exséquimur,
fac nos, omnípotens Deus, afféctu sédulo celebráre,
ut, quod recordatióne percúrrimus,
semper in ópere teneámus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 1-2a 142/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 142/4

Deus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis,
da pópulis tuis id amáre quod prǽcipis,
id desideráre quod promíttis,
ut inter mundánas varietátes
ibi nostra fixa sint corda,
ubi vera sunt gáudia.
Per Christum.

SUPER OBLATA 142/5

Benedictiónem tuam, Dómine, quǽsumus,
nobis cónferat salutárem sacra semper oblátio,
ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat.
Per Christum.

PRÆFATIO 142/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, Pater omnípotens,
hic et ubíque, grátias ágere,
quia dies in ætérnum nostræ resurrectiónis effúlsit
et Dómini Iesu Christi glóriæ singuláris.

Qui idem sacérdos exsístit dignánter et hóstia,
non solum qui pópulum suo cruóre sanctíficet,
sed ipsos quoque dicátos
maiestáti tuæ comméndet in sǽcula.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Pt 2, 2 142/7

Sicut modo géniti infántes,
rationále sine dolo lac concupíscite,
ut in eo crescátis in salútem, allelúia.

TRANSITORIUM Gal 3, 27. 28 142/8

Quicúmque in Christo baptizáti estis,
Christum induístis,
et omnes vos unus estis in Christo Iesu, allelúia.

POST COMMUNIONEM 142/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine,
mensa cæléstis semper enútriat,
quátenus ad plenam córporis Christi perfectámque mensúram
fratérna felíciter dilectióne pervéniat.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 104, 43 143/1
Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne, allelúia,
eléctos suos in lætítia, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 143/2
Omnípotens sempitérne Deus,
pietátem tuam his diébus propénsius consequámur,
quibus eam plénius te largiénte cognóvimus,
ut, quos ab erróris calígine liberásti,
veritátis tuæ fírmius inhærére fácias documéntis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 106, 2-3a 143/3
Dicant, qui redémpti sunt a Dómino: Allelúia,
quos redémit de manu adversárii,
et de regiónibus congregávit eos: Allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 143/4
Deus, qui hoc nobis confers grátia,
ut iusti ex ímpiis et beáti efficiámur ex míseris,
adésto opéribus tuis, adésto munéribus,
ut, quibus inest fídei iustificátio,
non desit perseverántiæ fortitúdo.
Per Christum.

SUPER OBLATA 143/5
Cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod paschális múneris fide recólimus sacraméntum
et spe desiderámus inténti,
per tuam dilectiónem capiámus efféctu.
Per Christum.

PRÆFATIO 143/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.
Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Sap 16, 20 143/7
Panem de cælo dedísti nobis, Dómine,
habéntem omne delectaméntum
et omnem sapórem suavitátis.
Allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Ps 77, 24-25 143/8
Sacraméntum celéste cum timóre accípite,
et satiámini de Christi dulcédine.
Panem cæli dedit nobis Dóminus,
panem angelórum manducávit homo.
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 143/9
Sociári nos, quǽsumus, Dómine,
cæléstì mensæ virtutíque concéde,
atque desideráre quæ recta sunt,
et desideráta percípere.
Per Christum.

INGRESSA Cf. 1 Pt 5, 10a. 11 144/1

Deo omnis grátiæ,
qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam
in Christo Iesu:
impérium in sǽcula sæculórum.
Amen, allelúia.

SUPER POPULUM 144/2

Largíre, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, Deus,
et a suis semper et ab aliénis abstinére delíctis,
ut, pura tibi mente desérviens,
pietátis tuæ remédia sine cessatióne percípiat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 144/3

Dóminus memor fuit nostri, et benedícet nobis, allelúia.
Benedícet dómui Israel, allelúia.
Benedícet dómui Aaron, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 144/4

Implorántes, Dómine, misericórdiam tuam,
pópulos fidéles propítius intuére,
ut, qui præter te álium non novérunt,
tuis semper benefíciis gloriéntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 144/5

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet,
et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem.
Per Christum.

PRÆFATIO 144/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis misértus erróribus,
per Vírginem nasci dignátus est,
et per passiónem mortis
a morte nos perpétua liberávit,
ac resurrectióne sua ætérnam cóntulit nobis vitam.
Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 65, 16; 1 Pt 1, 21 144/7

Veníte et audíte quanta fecit Dóminus:
Deus suscitávit Christum a mórtuis,
ut fides nostra et spes esset in Deum, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 4, 7. 12; 2, 17 144/8

Diligámus nos ínvicem, quia cáritas Deus est,
et qui díligit fratrem suum
ex Deo natus est et videt Deum,
et in hoc cáritas Dei perfécta est;
et qui facit voluntátem Dei, manet in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 144/9

Adsit, Dómine, fidélibus tuis sacræ benedictiónis efféctus,
qui mentes ómnium spirituáli vegetatióne dispónat,
ut ad ópera sua exercénda
virtúte caritátis tuæ iúgiter roboréntur.
Per Christum.

INGRESSA 1 Pt 1, 3 145/1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, allelúia.

SUPER POPULUM 145/2

Sancti nóminis tui, Dómine,
timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum,
quia numquam tua gubernatióne destítuis,
quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis.
Per Dóminum.

POST COMMUNIONEM Ps 95, 1-2a 145/3

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúia.
Cantáte Dómino, omnis terra, allelúia.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 145/4

Deus, qui sollemnitáte pascháli
cæléstia mundo remédia benígnus operáris,
ánnuæ festivitátis huius nobis dona proséquere,
ut per observántiam temporálem
ad vitam perveniámus ætérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 145/5

Accipe, Dómine, múnera exsultántis Ecclésiæ,
et, cui causam tanti gáudii contulísti,
perpétuæ fructum concéde lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 145/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hoc potíssimum gloriósius prædicáre,
cum pascha nostrum immolátus est Christus.

Qui se pro nobis offérre non désinit,
nosque apud te perénni advocatióne deféndit.
Qui iam non móritur immolátus,
sed semper vivit occísus.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 21, 12. 13 145/7

Dixit Iesus discípulis suis: Veníte, prandéte.
Et accépit panem et dedit eis, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 125, 2a. 3 145/8

Replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne.
Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes, allelúia.

POST COMMUNIONEM 145/9

Cibi salutáris ac póculi dona libántes,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui súmpsimus paschále mystérium,
prodésse nobis in perpétuum gaudeámus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Io 14, 9-10 146/1

Tanto témpore vobíscum sum,
et non cognovístis me, Philíppe? Allelúia.
Qui vidit me, vidit Patrem.
Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?
Allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 146/2

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine,
bonis opéribus semper infórma,
ut, ad melióra iúgiter contendéntes,
paschále mystérium studeámus habére perpétuum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Mac 1, 26-27 146/3

Custódi, Deus, partem tuam et sanctífica.
Cóngrega dispersiónem nostram,
líbera eos, qui sérviunt géntibus,
ut sciant gentes, quia tu es Deus noster, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 146/4

Deus, qui hoc nobis confers grátia,
ut iusti ex ímpiis et beáti efficiámur ex míseris,
adésto opéribus tuis, adésto munéribus,
ut, quibus inest fídei iustificátio,
non desit perseverántiæ fortitúdo.
Per Christum.

SUPER OBLATA 146/5

Concéde nobis hæc, quǽsumus, Dómine,
frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 146/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hoc potíssimum gloriósius prædicáre,
cum pascha nostrum immolátus est Christus.

Qui se pro nobis offérre non désinit,
nosque apud te perénni advocatióne defféndit.
Qui iam non móritur immolátus,
sed semper vivit occísus.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 3, 5. 7a 146/7

Voce mea ad Dóminum clamávi,
et exaudívit me de monte sancto suo.
Non timébo mília pópuli circumdántis me, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 4, 7-8. 12; 2, 17 146/8

Diligámus nos ínvicem, quia cáritas Deus est,
et qui díligit fratrem suum
ex Deo natus est et videt Deum,
et in hoc cáritas Dei perfécta est;
et qui facit voluntátem Dei, manet in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 146/9

Sociári nos, quǽsumus, Dómine,
cælésti mensæ virtutíque concéde,
atque desideráre quæ recta sunt,
et desideráta percípere.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ap 19, 5; 12, 10 147/1

Laudem dícite Deo nostro,
omnes qui timétis Deum, pusílli et magni,
quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, allelúia.

SUPER POPULUM 147/2

Deus, qui paschália nobis remédia contulísti,
pópulum tuum cæléstí dono proséquere,
ut, perféctam libertátem assecútus,
in cælis gáudeat, unde nunc exsúltat in terris.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 13 147/3

Benedícet Dóminus ómnibus,
qui timent Dóminum,
pusíllis cum maióribus, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 147/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui paschália festa perégimus,
hæc, te largiénte, móribus et vita teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 147/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, hóstias redemptiónis humánæ,
et salútem nobis mentis et córporis operáre placátus.
Per Christum.

PRÆFATIO 147/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári,
atque hómini ad tuam cóndito sapiénter imáginem
univérsa simul animántia rerúmque mirácula subiecísti.

Cui licet orígo terréna sit,
tamen regeneratióne baptísmatis
cæléstis ei vita confértur.

Nam, devícto mortis auctóre,
immortalitátis est grátiam consecútus,
et, prævaricatiónis erróre quassáto,
viam répperit veritátis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 24 147/7

Pater, quod dedísti mihi,
volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum,
ut vídeant glóriam meam,
quam dedísti mihi, allelúia.

TRANSITORIUM 147/8

Veníte, pópuli: sacrum immortále mystérium illibátum
agéndum cum timóre et fide.
Accedámus mánibus mundis,
pæniténtiæ munus communicémus,
quóniam Agnus Dei propter nos Patri sacrifícium propósitus est.
Ipsum solum adorémus, ipsum glorificémus,
cum ángelis clamántes:
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 147/9

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, intuére benígnus,
et, quem ætérnis dignátus es renováre mystériis,
ad incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem
perveníre concéde.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Ps 70, 8a. 23 148/1

Repleátur os meum laude tua,
ut possim cantáre.
Exsultábunt lábia mea,
cum cantávero tibi, allelúia.

SUPER POPULUM 148/2

Semper exsúltet pópulus tuus, Deus,
renováta ánimæ iuventúte,
ut, qui nunc lætátur in adoptiónis se glóriam restitútum,
resurrectiónis diem spe certæ gratulatiónis exspéctet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 148/3

Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 148/4

Quos lætítiæ dies in honórem Dómini resurgéntis exséquimur,
fac nos, omnípotens Deus, affféctu sédulo celebráre,
ut, quod recordatióne percúrrimus,
semper in ópere teneámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 148/5

Concéde, quǽsumus, Dómine,
semper nos per hæc mystéria paschália gratulári,
ut opus nostræ reparatiónis assíduum
perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 148/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos per paschále mystérium edócuit relínquere vetustátem
et in novitáte spíritus ambuláre.
A quo perpétuæ mortis superátur acérbitas,
et ætérnæ vitæ fidélibus donátur intégritas.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Col 3, 1-2 148/7

Si consurrexístis Christo,
quæ sursum sunt quǽrite, allelúia;
ubi Christus est in déxtera Dei sedens;
quæ sursum sunt sápite, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Lc 24, 35 148/8

Cognovérunt discípuli Dóminum Iesum
in fractióne panis, allelúia.

POST COMMUNIONEM 148/9

Cæléstis grátiæ hoc partícipes sacraménto,
quǽsumus, Deus omnípotens,
ut, iuste in hoc sǽculo piéque vivéntes,
Salvatóris glóriæ confidénter exspectémus advéntum.
Qui vivit.

149 FERIA IV POST DOMINICAM VI PASCHÆ AD MISSAM MATUTINAM

INGRESSA Cf. Ap 5, 9-10 149/1

Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes, allelúia.

SUPER POPULUM 149/2

Omnípotens sempitérne Deus,
deduc nos ad societátem cæléstium gaudiórum,
ut eo váleat gregis humílitas perveníre,
quo procéssit fortitúdo pastóris.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 149/3

Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 149/4

Omnípotens sempitérne Deus,
semper in nobis paschále pérfice sacraméntum,
ut, quos sacro dignátus es renováre baptísmate,
fructus multos ásferant sub tuæ protectiónis auxílio,
et ad ætérnæ possint vitæ gáudia perveníre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 149/5

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ
cum oblatiónibus hostiárum,
ut, tua dignatióne mundáti,
sacraméntis magnæ pietátis aptémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 149/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, Pater omnípotens, grátias ágere,
et memóriam mirabílium tuórum cordis veneratióne sincéra
hoc præcípue pascháli témpore celebráre.

Christus enim, Unigénitus tuus,
diábolum mundúmque vicit passiónis admirábili sacraménto,
et hóminem paradíso, imágine reparáta,
sua resurrectióne restítuit,
æternǽque vitæ iánuas credéntibus patefécit.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 17, 20-21 149/7

Pater, pro eis rogo, qui creditúri sunt,
ut et ipsi in nobis unum sint,
ut mundus credat quia tu me misísti,
dicit Dóminus, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 97, 1a-2b 149/8

Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam, allelúia.

POST COMMUNIONEM 149/9

Gregem tuum, Pastor bone, placátus inténde,
et oves, quas pretióso Fílii tui sánguine redemísti,
in ætérnis páscuis collocáre dignéris.
Per Christum.

IN ASCENSIONE DOMINI

Sollemnitas

150 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere sollemnitatis Ascensionis.

INGRESSA Cf. Io 14, 9-10 150/1

Tanto témpore vobíscum sum,
et non cognovístis me, Philíppe? Allelúia.
Qui vidit me, vidit Patrem.
Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?
Allelúia, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 150/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Pater,
ut, quo sollemnitátis hodiérnæ gloriósus auctor ingréssus est,
nostræ mentis afféctu iúgiter intendámus,
et, quo fide pérgimus, conversatióne veniámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 14, 1-2 150/3

Non turbétur cor vestrum, dicit Dóminus,
quia vado paráre vobis locum, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 150/4

Tríbue, quǽsumus, omnípotens Deus,
hodiérnæ festivitátis múnere singulári,
ut illuc filiórum tuórum dirigátur inténtio,
ubi tecum est in Unigénito tuo nostra substántia.
Qui vivit.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 150/5

Súscipe, Dómine, múnera,
quæ pro Fílii tui gloriósa ascensióne deférimus,
et concéde propítius,
ut a præséntibus perículis liberémur,
et ad vitam cum illo perveniámus ætérnam.
Qui vivit.

PRÆFATIO 150/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
in hoc præcípue die,
quo Iesus Christus Fílius tuus Dóminus noster,
divíni consummáto fine mystérii,
dispositiónis antíquæ munus explévit,
ut scílicet et diábolum,
quem cæléstis óperis inimícum per hóminem subiugárat, elíderet,
et humánam redúceret ad supérna dona substántiam.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Ps 3, 5. 7a 150/7

Voce mea ad Dóminum clamávi,
et exaudívit me de monte sancto suo.
Non timébo mília pópuli circumdántis me, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 4, 7-8. 12; 2, 17 150/8

Diligámus nos ínvicem, quia cáritas Deus est,
et qui díligit fratrem suum
ex Deo natus est et videt Deum,
et in hoc cáritas Dei perfécta est;
et qui facit voluntátem Dei, manet in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 150/9

Tríbue, quǽsumus, Dómine,
ut per hæc sacra, quæ súmpsimus,
illuc tendat nostræ devotiónis afféctus,
ubi tecum est nostra substántia.
Per Christum.

IN ASCENSIONE DOMINI

151 IN DIE

INGRESSA Cf. Ps 67, 33b-34a 151/1

Psállite Dómino,
qui ascéndit super cælos cælórum ad oriéntem, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 151/2

Deus, qui Ecclésiam tuam
quæ sursum sunt sápere doctrínis evangélicis exhortáris,
et ad eándem se altitúdinem,
ad quam mundi Salvátor ascéndit, erígere,
da pópulis tuis intelléctu cápere
quod multi meruérunt vidére conspéctu,
ut in secúndo mediatóris advéntu
diténtur donis qui promissiónibus credidérunt.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 20, 17; Cf. 16, 7 151/3

Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum
et Deum meum et Deum vestrum;
et mittam vobis Paráclitum Spíritum.
Allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 151/4

Exaltatiónem, Deus, condiciónis humánæ
in Fílii tui glorificatióne consídera,
ut, tua dignatióne mundáti,
his sacraméntis magnæ pietátis aptémur.
Per eúndem Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 151/5

Sacrifícium, Dómine, súscipe,
quod pro Fílii tui venerábili nunc ascensióne deférimus,
ut et nos his commérciis sacrosánctis
per ipsum ad cæléstia consurgámus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 151/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia Dóminus Iesus, rex glóriæ,
peccáti triumphátor et mortis,
mirántibus ángelis, ascéndit summa cælórum,
mediátor Dei et hóminum, iudex mundi Dominúsque virtútum,
non ut a nostra humilitáte discéderet,
sed ut illuc confiderémus, sua membra, nos súbsequi,
quo ipse, caput nostrum principiúmque, præcéssit.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Io 14, 3 151/7

Si abíero et præparávero vobis locum, allelúia,
íterum vénio et accípiam vos ad meípsum,
ut, ubi sum ego, et vos sitis, allelúia.

TRANSITORIUM Mt 6, 9-10 151/8

Pater noster qui es in cælis,
sanctificétur nomen tuum,
advéniat regnum tuum, fiat volúntas tua
sicut in cælo et in terra,
allelúia, allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 151/9

Deus, cuius Fílius, in alta cælórum poténter ascéndens,
captivitátem nostram sua duxit virtúte captívam,
tríbue, quǽsumus,
ut dona, quæ suis particípibus cóntulit,
largiátur et nobis.
Qui vivit.

Ubi sollemnitas Ascensionis non est de præcepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicæ VII Paschæ, cuius missæ textus adhibentur in feria V post dominicam VI Paschæ loco Ascensionis.

INGRESSA Ps 67, 20-21a 152/1
Benedíctus Dóminus die quotídie;
portábit nos Deus salutárium nostrórum.
Deus noster, Deus ad salvándum, allelúia.

SUPER POPULUM 152/2
Fac nos, quǽsumus, omnípotens Deus,
Dómini resurgéntis prædicáre virtútem,
ut, cuius múneris pignus accépimus,
manifésta dona comprehéndere valeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 145, 1-2 152/3
Lauda, ánima mea, Dóminum, allelúia.
Laudábo Dóminum in vita mea, allelúia.
Psallam Deo meo, quámdiu fúero, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 152/4
Annue nobis, quǽsumus, Dómine, supplicatióne placátus,
ut, quemádmodum resurrectiónis Fílii tui
sollémnia in mystério celebrámus,
ita et in advéntu eius gaudére cum sanctis ómnibus mereámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 152/5
Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 152/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem homo, qui in Adæ prævaricatióne períerat,
divína patiéntia reformátur.
Ille enim vestígiis nostris
usque ad mortis descéndit ærúmnam,
ut nos suis vestígiis
per resurrectiónem revocáret ad vitam.

Propterea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20 152/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 17, 22 152/8

Rogo, Pater, ut sint unum,
sicut et nos unum sumus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 152/9

Paschália nobis, Dómine, gáudia, deprecámur,
futúræ salútis æternitáte confírma.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Is 48, 20 153/1

Vocem iucunditátis annuntiáte,
et audiátur,
annuntiáte usque ad extrémum terræ:
Liberávit Dóminus pópulum suum, allelúia.

SUPER POPULUM 153/2

Annua recoléntes mystéria,
quibus per renovátam oríginis dignitátem
humána substántia spem resurrectiónis accépit,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, quod fide recólimus,
perpétua dilectióne capiámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7b 153/3

Exaudívit Deus de templo suo vocem meam, allelúia.
Et clamor meus in conspéctu eius, allelúia.
Introívit in aures eius.
Allelúia, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 153/4

Da univérsis fámulis tuis, quǽsumus, Dómine,
plénius atque perféctius
ómnia paschális festivitátis introíre mystéria,
ut incunctánter pia corda cognóscant
quantum débeant de confirmáta in Christo
credéntium glorificatióne gaudére.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 153/5

Quǽsumus, Dómine, Deus noster,
ut iam damnatiónis humánæ senténtia non teneámur obnóxii,
cuius nos a vínculis hæc hóstia paschális absólvit.
Per Christum.

PRÆFATIO 153/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vetus testaméntum in morte suo sánguine consummávit,
ut nos suæ vitæ cæléstis fáceret coherédes.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 19-20 153/7

Resúrgens Iesus Dóminus noster,
stans in médio discipulórum suórum, dixit:
Pax vobis, allelúia.
Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia.

TRANSITORIUM Io 14, 15-16 153/8

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis, dicit Dóminus;
et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis,
ut máneat vobíscum in ætérnum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 153/9

Da, miséricors Deus,
ut resurrectiónis Dómini nostri Iesu Christi,
per hæc dona quæ súmpsimus,
efficiámur in veritáte partícipes.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Io 14, 27-28 154/1
Pacem meam do vobis,
pacem meam relínquo vobis.
Non turbétur cor vestrum,
donec véniam ad vos, allelúia, allelúia.

SUPER POPULUM 154/2
Sancti nóminis tui, Dómine,
timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum,
quia numquam tua gubernatióne destítuis,
quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Io 20, 17; 16, 7 154/3
Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum
et Deum meum et Deum vestrum;
et mittam vobis Paráclitum Spíritum.
Allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 154/4
Implorántes, Dómine, misericórdiam tuam,
pópulos fidéles propítius intuére,
ut, qui præter te álium non novérunt,
tuis semper benefíciis gloriéntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 154/5
Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet,
et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem.
Per Christum.

PRÆFATIO 154/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nascéndo dignátus est humáno géneri subveníre
mundúmque per mortem devíncere passiónis.
Qui per glóriam resurrectiónis
ætérnæ vitæ áditum patefécit,
et per suam ascensiónem
ad cælos nobis spem tríbuit ascendéndi.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 15, 26; 16, 8 154/7

Cum vénerit Paráclitus, Spíritus veritátis,
ille árguet mundum de peccáto,
et de iustítia et de iudício, allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM Io 14, 15; 13, 34 154/8

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis, allelúia;
mandátum novum do vobis,
ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.
Allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 154/9

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quæ visibílibus mystériis suménda percépimus,
invisíbili consequámur efféctu.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Act 1, 8 155/1

Accipiétis virtútem superveniénte Spíritu sancto in vos
et éritis mihi testes usque ad últimum terræ, allelúia.

SUPER POPULUM 155/2

Advéniat nobis, quǽsumus, Dómine, Spíritus sancti virtus,
qua voluntátem tuam fidéli mente retinére
et pia conversatióne deprómere valeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 61, 9 155/3

Speráte in Dómino, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra;
Deus refúgium nobis, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 155/4

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine,
Spíritus tui benedictióne perfúnde,
ut ea ipsi diléctio tribuátur,
per quam salutáris mystérii
toto mundo véritas enitéscat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 155/5

Spíritum sanctum, Dómine, benígnus emítte,
qui et hæc múnera nostra
tuum nobis effíciat sacraméntum,
et ad hoc percipiéndum nostra corda puríficet.
Per Christum.

PRÆFATIO 155/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, super omnes cælos gloriósus ascéndens,
sedénsque ad déxteram tuam in poténtia maiestátis,
promíssum Spíritum sanctum in fílios adoptiónis effúdit.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Eph 5, 18; 4, 30 155/7

Impleámini Spíritu sancto,
in quo signáti estis in diem redemptiónis, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Io 14, 18; 16, 22 155/8

Non relínquam vos órphanos, dicit Dóminus.
Véniam ad vos íterum, et gaudébit cor vestrum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 155/9

Pópulo tuo, quǽsumus, Dómine, adésto propítius,
et, quem mystériis cæléstibus imbuísti,
fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre.
Per Christum.

INGRESSA Ap 1, 17-18 156/1
Ego sum primus et novíssimus, dicit Dóminus,
et vivens et fui mórtuus
et ecce sum vivens in sǽcula sæculórum, allelúia.

SUPER POPULUM 156/2
Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus,
ut Spíritus sanctus advéniens
templum nos glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 116, 1 156/3
Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 156/4
Adsit nobis, Dómine, quǽsumus,
Spíritus sancti virtus,
quæ et corda nostra cleménter expúrget
et ab ómnibus tueátur advérsis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 156/5
Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica,
et corda nostra sancti Spíritus illustratióne detérge.
Per Christum.

PRÆFATIO 156/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia Dóminus Iesus, rex glóriæ,
peccáti triumphátor et mortis,
mirántibus ángelis, ascéndit summa cælórum,
mediator Dei et hóminum, iudex mundi Dominúsque virtútum,
non ut a nostra humilitáte discéderet,

sed ut illuc confiderémus, sua membra, nos súbsequi,
quo ipse, caput nostrum principiúmque, præcéssit.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 14, 26 156/7

Paráclitus Spíritus sanctus,
quem mittet Pater in nómine meo,
ille vos docébit ómnia
et súggeret vobis ómnia,
quæ dixi vobis, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Eph 4, 3-4 156/8

Unitátem spíritus servémus in vínculo pacis:
unum corpus et unus Spíritus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 156/9

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii,
humíliter deprecántes,
ut, quæ in sui commemoratiónem
nos Fílius tuus serváre præcépit,
per Spíritum eius in nostræ profíciant caritátis augméntum.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 46, 2 157/1

Omnes gentes, pláudite mánibus,
iubiláte Deo in voce exsultatiónis, allelúia.

SUPER POPULUM 157/2

Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, concéde propítius,
ut, sancto Spíritu congregáta, toto sit tibi corde devóta,
et pura semper voluntáte concórdet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 157/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 157/4

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
votis nos sanctum Spíritum promeréri,
quátenus nostrórum indulgéntiam peccatórum
eius grátia mereámur accípere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 157/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
sacrifícia tuis institúta præcéptis,
et sacris mystériis, quæ débitæ servitútis celebrámus offício,
sanctificatiónem tuæ nobis redemptiónis dignánter adímple.
Per Christum.

PRÆFATIO 157/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui post resurrectiónem suam
ómnibus discípulis suis maniféstus appáruit,
et ipsis cernéntibus est elevátus in cælum,
ut nos divinitátis suæ tribúeret esse partícipes.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Col 3, 14. 15 157/7

Caritátem habéte et pax Christi dominétur in córdibus vestris,
ad quam et vocáti estis in uno córpore, allelúia.

TRANSITORIUM Io 15, 26-27 157/8

Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre,
Spíritum veritátis, qui a Patre procédit,
ille testimónium perhibébit de me;
sed et vos testimónium perhibétis, dicit Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 157/9

Grátiam tuam nobis, Dómine,
semper accúmulet divíni participátio sacraménti,
et, sua nos virtúte mundándo,
tanti múneris capáces indesinénter effíciat.
Per Christum.

INGRESSA Hebr 4, 16 158/1
Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ,
ut misericórdiam consequámur
et grátiam inveniámus in auxílium opportúnum, allelúia.

SUPER POPULUM 158/2
Spíritus tuus, quǽsumus, Dómine,
spiritália nobis dona poténter infúndat,
ut det nobis mentem, quæ tibi pietáte sit plácita,
et aptet nos tuæ propítius voluntáti.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 61, 9 158/3
Speráte in Dómino, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra;
Deus refúgium nobis, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 158/4
Illo nos igne, quǽsumus, Dómine,
Spíritus sanctus inflámmet,
quem Dóminus noster Iesus Christus misit in terram,
et vóluit veheménter accéndi.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 158/5
Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 158/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et in hoc præcípue témpore,
quo Iesus Christus Fílius tuus Dóminus noster,

divíni consummáto fine mystérii,
dispositiónis antíquæ munus explévit,
ut scílicet et diábolum,
quem cæléstis óperis inímicum per hóminem subiugárat, elíderet,
et humánam redúceret ad supérna dona substántiam.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 16, 7 158/7

Ego veritátem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam.
Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos,
dicit Dóminus, allelúia.

TRANSITORIUM Phil 3, 20 158/8

Noster municipátus in cælis est,
unde étiam salvatórem exspectámus
Dóminum Iesum Christum, allelúia.

POST COMMUNIONEM 158/9

Deus, qui Ecclésiæ tuæ cæléstia dona largíris,
custódi grátiam quam dedísti,
ut Spíritus sancti vígeat semper munus infúsum,
et ad ætérnæ redemptiónis augméntum
spiritális esca profíciat.
Per Christum.

INGRESSA Ap 1, 5b-6 159/1

Díligit nos Christus,
et solvit nos a peccátis nostris in sánguine suo
et fecit nos regnum, sacerdótes Deo et Patri suo, allelúia.

SUPER POPULUM 159/2

Deus, qui nobis æternitátis áditum glorificatióne Christi tui
et sancti Spíritus illuminatióne reserásti,
concéde, quǽsumus,
ut, tanti doni párticeps, devótio nostra profíciat,
et ad fídei transferámur augméntum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 116, 1 159/3

Laudáte Dóminum, omnes gentes,
et collaudáte eum, omnes pópuli, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 159/4

Nova famíliæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
Spíritus sancti abundántia diffundátur,
cuius vegetántur sanctitáte corda fidélium,
et supplicatiónibus tibi grata reddúntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 159/5

Hóstias pópuli tui, quǽsumus, Dómine, miserátus inténde,
et, ut tibi reddántur accéptæ,
consciéntias nostras sancti Spíritus emúndet advéntus.
Per Christum.

PRÆFATIO 159/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Ad cuius déxteram, passióne perfécta,
Christus verus Agnus ascéndit,
ut per sanctum Spíritum,
in apóstolos illápsum plebémque credéntium,
prænuntiátam in lege grátiam iam implétam
novúmque fœdus esse cónditum declaráret.

Unde, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Rom 14, 17 159/7

Regnum Dei est in iustítia
et pax et gáudium in Spíritu sancto, allelúia.

TRANSITORIUM Io 16, 13 159/8

Cum vénerit Spíritus veritátis,
dedúcet vos in omnem veritátem, dicit Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 159/9

Deus, cuius mystériis mundámur et páscimur,
tríbue, quǽsumus, ut eórum nobis indúlta reféctio
vitam cónferat sempitérnam.
Per Christum.

160 SABBATO POST DOMINICAM VII PASCHÆ AD MISSAM MATUTINAM

INGRESSA Cf. Act 1, 14 160/1

Erant discípuli perseverántes unanímiter in oratióne
cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius, allelúia.

SUPER POPULUM 160/2

Spíritum sanctum, Dómine, Ecclésiæ tuæ benígnus infúnde,
ut, eius accénsa lúmine, omnem percípiat veritátem,
ac fide íntegra et caritáte férvida persevéret.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 160/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 160/4

Largíre, Dómine, quǽsumus, fidélibus tuis
Spíritus sancti dona paschália,
ut, cuius virtúte sacraménta salútis efficáciter celebrámus,
dignis étiam opéribus adimplére possímus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 160/5

Mentes nostras illústret, Dómine,
Spíritus sanctus advéniens,
ac divínis prǽparet sacraméntis,
ipse qui est ómnium remíssio peccatórum.
Per Christum.

PRÆFATIO 160/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mystéria salútis humilitátis dispensatióne perégit,
et ad déxteram tuam, in glória collocátus,
nostra sociáta mortalitáte consédit,
Spíritum suum concessúrus Ecclésiæ,
et íterum vivos et mórtuos iudicáre ventúrus.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Rom 15, 13 160/7

Deus spei répleat nos omni gáudio et pace in credéndo,
ut abundémus in spe in virtúte Spíritus sancti, allelúia.

TRANSITORIUM Io 16, 14 160/8

Spíritus sanctus me clarificábit,
quia de meo accípiet et annuntiábit vobis,
dicit Dóminus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 160/9

Annue, Dómine, nostris précibus miserátus,
ut, sicut de prætéritis ad nova sumus sacraménta transláti,
ita, vetustáte depósita, sanctificátis méntibus innovémur.
Per Christum.

IN DOMINICA PENTECOSTES

Sollemnitas

161 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere sabbati dominicæ Pentecostes.

INGRESSA Act 2, 17 161/1

Et erit: in novíssimis diébus, dicit Deus,
effúndam de Spíritu meo super omnem carnem, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 161/2

Deus, cuius Spíritu
totum corpus Ecclésiæ multiplicátur et régitur,
consérva in nova famíliæ tuæ progénie
sanctificatiónis grátiam, quam dedísti,
ut, córpore et mente renováti,
in unitáte fídei fervéntes tibi Dómino serviámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 161/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 161/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui tuæ maiestátis efféctu,
per Fílii tui mirábile sacraméntum,
cooperánte sancto Spíritu sunt renáti,
cæléSti fiant conversatióne perpétui.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 161/5

Virtúte sancti Spíritus, Dómine, múnera nostra contínge,
ut, quod sollemnitáte præsénti suo nómine dedicávit,
et intellegíbile nobis fáciat et ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 161/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, sacraméntum paschále consúmmans,
quibus per Unigéniti tui consórtium
fílios adoptiónis esse tribuísti,
per Spíritum sanctum gratiárum dona largíris,
et sui coherédibus Redemptóris
iam nunc supérnæ pignus hereditátis impéndis,
ut tanto se cértius ad eum confídant esse ventúros,
quanto se plénius sciunt ab eo fuísse redémptos
et sancti Spíritus infusióne ditátos.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Cf. 2 Cor 1, 21-22 161/7

Unxit nos Deus et signávit nos
et dedit arrabónem Spíritus in córdibus nostris, allelúia.

TRANSITORIUM Io 6, 32-33 161/8

Amen, amen dico vobis:
Pater meus dat vobis panem de cælo verum:
panis enim Dei est, qui descéndit de cælo
et dat vitam mundo, allelúia.

POST COMMUNIONEM 161/9

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut paschális perféctio sacraménti
méntibus nostris contínua persevéret.
Per Christum.

IN DOMINICA PENTECOSTES
IN DIE

Hodie proponuntur tres missæ, una de sollemnitate et duæ pro baptizatis.

In ecclesiis ubi plures habentur missæ, attenta utilitate pastorali fidelium, pro opportunitate, una saltem missa « pro baptizatis » seu in memoria baptismatis dicatur.

Si vero baptismus intra missam confertur, dicitur missa « pro baptizatis ».

162 DE SOLLEMNITATE

INGRESSA Cf. Act 2, 2. 4. 11 162/1

Factus est repénte de cælo
sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis,
ubi erant sedéntes, allelúia.
Et repléti sunt omnes Spíritu sancto,
loquéntes magnália Dei, allelúia.

SUPER POPULUM 162/2

Deus, qui discípulis tuis Spíritum sanctum Paráclitum
míttere in tui amóris fervóre dignátus es,
da pópulis tuis, ut in unitáte fídei roboréntur,
et, in tua semper dilectióne manéntes,
iustítiæ inveniántur in opéribus efficáces.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 162/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 162/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui paschále sacraméntum quinquagínta diérum
voluísti mystério continéri,
præsta, ut géntium facta dispérsio divisióne linguárum
ad unam confessiónem tui nóminis
cæléstí múnere congregétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 162/5

Fílii tui promissiónes, Dómine, Spíritus sanctus adímplens,
huius, quǽsumus, sacrifícii copiósius nobis revélet arcánum,
et omnem propítius réseret veritátem.
Per Christum.

PRÆFATIO 162/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos in hac præcípua festivitáte gaudére,
qua sacratíssimum pascha
quinquagínta diérum mystériis adumbrátur,
et mýsticus númerus adimplétur;
sed et dispérsio linguárum,
quæ iam per supérbiam nos in confusióne contígerat,
nunc per sanctum Spíritum adunátur.

Hódie enim, sonum audiéntes apóstoli repénte de cælis,
unius fídei sýmbolum excepérunt,
et linguis váriis evangélii tui glóriam
cunctis géntibus tradidérunt.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Cf. Io 7, 37-39 162/7

Ultimo festivitátis die dicébat Iesus:
Qui in me credit, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ.
Hoc autem dixit de Spíritu,
quem acceptúri erant credéntes in eum.
Allelúia, allelúia.

TRANSITORIUM 162/8

Hymnum cánite agni mundi, lavácro fontis renáti,
satiáti córpore Christi, allelúia, allelúia.

POST COMMUNIONEM 162/9

Hæc nobis, Dómine, múnera sumpta profíciant,
ut illo iúgiter Spíritu ferveámus,
quem apóstolis tuis ineffabíliter infudísti.
Qui vivis.

163 PRO BAPTIZATIS

I

INGRESSA Rom 8, 15b-16 163/1
Accepístis Spíritum adoptiónis filiórum,
in quo clamámus: Abba, Pater.
Ipse Spíritus testimónium reddit
una cum spíritu nostro quod sumus fílii Dei, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 163/2
Deus, humáni géneris reparátor et rector,
fac Ecclésiam tuam in nova plebe semper augéri
et devotióne cunctórum créscere filiórum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 99, 3 163/3
Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 163/4
Largíre, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, Deus,
et a suis semper et ab aliénis abstinére delíctis,
ut, pura tibi mente desérviens,
pietátis tuæ remédia sine cessatióne percípiat.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 163/5
Famíliam tuam, Dómine,
quam per paschália festa lætíficas,
his quoque sacrifíciis
a cunctis defénde perículis.
Per Christum.

PRÆFATIO 163/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, ut nos in sua mirándo decóre provéheret,
ineffábili misericórdia in nostra descéndit,
et de ignobilitáte terréna
ad cæléstem tránstulit dignitátem.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Ps 33, 9 163/7

Gustáte et vidéte quóniam suavis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 50, 12 163/8

Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis, allelúia.

POST COMMUNIONEM 163/9

Exáudi nos, omnípotens Deus, et inténde placátus,
et famíliæ tuæ corda,
cui perféctam baptísmatis grátiam contulísti,
ad promeréndam aptes beatitúdinem sempitérnam.
Per Christum.

II

INGRESSA Cf. Act 1, 5. 8 164/1

Vos baptizabímini in Spíritu sancto,
et accipiétis virtútem eius in vos
et éritis mihi testes, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 164/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat,
et lux tuæ lucis corda eórum,
qui per grátiam sunt renáti,
sancti Spíritus illustratióne confírmet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 99, 2 164/3

Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 164/4

Bonórum ómnium Deus auctor atque largítor,
fac, quǽsumus, ut Ecclésiæ tuæ proles,
te instituénte, succréscat
in novam tui Fílii creatúram,
et sancto fovénte Spíritu nutriátur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 164/5

Múnera nostra, Dómine,
sancti Spíritus sacréntur advéntu,
per quem, a peccátis ómnibus absolúti,
adoptiónis tuæ fílii renascántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 164/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
quia hódie sancti Spíritus celebrámus advéntum.

Qui, princípiis nascéntis Ecclésiæ
cunctis géntibus imbuéndis,
et Deitátis sciéntiam indídit et loquélam:
in diversitáte donórum operátor mirábilis unitátis
variarúmque gratiárum sápiens distribútor;
idem et fídei unius efféctor
et prædicántium dispensátor ipse linguárum.

Proptérea, profúsis paschálibus gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat,
sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Communicántes proprium.

CONFRACTORIUM Io 7, 37-38 164/7

Si quis sitit, véniat ad me
et bibat qui credit in me.
Flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ, allelúia.

TRANSITORIUM Ps 103, 30 164/8

Emíttes Spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ, allelúia.

POST COMMUNIONEM 164/9

Sacris cæléstibus, Dómine, vítia nostra purgéntur,
ut munéribus tuis possímus semper aptári.
Per Christum.

TEMPUS «PER ANNUM»

Tempus « per annum » complectitur 32 vel 31 hebdomadas. Initium sumit feria II, quæ sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem, et pergit usque ad initium Quadragesimæ; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes, et explicit sabbato ante dominicam I Adventus.

In missali proinde exhibentur 32 missæ pro dominicis et feriis huius temporis, quæ adhibentur hac ratione:

a) In dominicis sumitur de more missa, quæ respondet numero dominicæ « per annum », nisi occurrat sollemnitas vel festum, quæ locum teneant dominicæ.

b) In feriis vero quælibet e 32 missis dici potest, attenta utilitate pastorali fidelium.

Ratio autem computandi dominicas et hebdomadas « per annum » est sequens:

a) Dominica in qua fit festum Baptismatis Domini locum tenet primæ dominicæ « per annum »; hebdomada tamen quæ sequitur computatur prima « per annum ». Reliquæ dominicæ et hebdomadæ ordine progressivo numerantur usque ad initium Quadragesimæ.

In regionibus ubi sollemnitas Epiphaniæ Domini celebratur dominica a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrente, quando hæc dominica occurrat die 7 vel 8 ianuarii, festum Baptismatis Domini feria II sequenti celebratur; hebdomada quæ sequitur computatur pariter prima « per annum ».

b) Post Pentecosten, si hebdomadæ « per annum » sunt 32, resumitur series ab ea hebdomada, quæ immediate sequitur ultimam ante Quadragesimam celebratam, attendendo tamen quod missæ dominicæ Pentecostes et sollemnitatis Ss.mæ Trinitatis locum tenent missarum dominicalium. Si vero hebdomadæ « per annum » sunt 31, omittitur prima hebdomada, quæ sumenda esset post Pentecosten.

In dominicis dicitur Glória in excélsis et Credo; in feriis vero omittitur et hymnus angelicus et symbolum.

IN SOLLEMNITATIBUS ET FESTIS DOMINI «per annum» occurrentibus

Dominica IV ianuarii

165 S. FAMILIÆ IESU, MARIÆ ET IOSEPH

Festum

INGRESSA Prov 23, 24b. 25 165/1

Exsúltat gáudio pater iusti,
gáudeat pater tuus et mater tua,
et exsúltet, quæ génuit te.

SUPER POPULUM 165/2

Deus, Pater omnípotens, qui Verbum tuum super terram
íntimæ voluísti condicióne famíliæ conversári,
et suis puríssimis ac paréntum móribus
virtútes illustráre domésticas,
da, ut sánctitas in Ecclésia vígeat coniugális,
prolísque flóreat amábilis disciplína.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 2, 51 165/3

Descéndit Iesus cum eis et venit Názareth
et erat súbditus illis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 165/4

Benedíctio tua, clementíssime Pater,
in nostras famílias copiósa descéndat,
ut ab amóre tuo próvido
necessária semper in sǽculo adiuménta percípiant,
et in mansiónibus æternitátis tuæ perfécta lætítia potiántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 165/5

Hóstias tibi placatiónis offérimus, Dómine,
supplíciter deprecántes,
ut, deíparæ Vírginis beatíque Ioseph interveniénte suffrágio,
famílias nostras in tua grátia fírmiter et optáta pace constítuas.
Per Christum.

PRÆFATIO 165/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, pródiens e sinu tuo
nostrámque formam consílio mirándo suscípiens,
societáti se vóluit congregáre domésticæ,
ut insígni documénto natúræ órdinem commendáret,
et tuum famíliæ institútum ad primævam restitúeret dignitátem.

Ibi intemeráta cástitas flóruit coniugális,
ibi nutrício patri Unigénitus Dei súbditus obœdívit,
ibi pacis dulcédinem péperit concórdia caritátis.

Húmilis ergo domus illa quam ortu davídico
fuit sanctitáte beátior,
in qua redemptiónis nostræ mystérii custodiebántur inítia.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 2, 42. 52 165/7

Dóminus Iesus, dum esset annórum duódecim,
proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia
apud Deum et hómines.

TRANSITORIUM 165/8

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te gloríficant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

POST COMMUNIONEM 165/9

Quos cæléstibus, Pater sancte, réficis sacraméntis,
propítius intuére,
ut, præcláræ famíliæ Christi méritis roboráti,
et cóniugum caritáte et offíciis filiórum
tuæ consília dilectiónis adímpleant.
Per eúndem Christum.

Dominica I post Pentecosten

166 SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Sollemnitas

INGRESSA 166/1

Benedícta sit creátrix et gubernátrix ómnium
sancta et indivídua Trínitas,
et nunc et semper et per infiníta sǽcula sæculórum.

SUPER POPULUM 166/2

Deus Pater, qui, Verbum veritátis
et Spíritum sanctificatiónis mittens in mundum,
admirábile mystérium tuum homínibus declarásti,
da nobis in confessióne veræ fídei
ætérnæ glóriam Trinitátis agnóscere
et Unitátem adoráre in poténtia maiestátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 166/3

Laudémus Patrem de cælis
et Fílium in excélsis.
Laudáte sanctum Spíritum,
omnes virtútes eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 166/4

Dómine Deus, Pater omnípotens,
réspice tuæ subiéctos fámulos maiestáti,
et per únicum Fílium tuum, in virtúte Spíritus sancti,
bénedic miserátus et prótege,
ut, ab omni hoste secúri,
in tua iúgiter laude læténtur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 166/5

Sanctífica, Dómine, nostræ servitútis hæc múnera,
per invocatiónem tui nóminis,
et per ea nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 166/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui cum unigénito Fílio tuo et Spíritu sancto
unus es Deus, unus es Dóminus:
non in uníus singularitáte persónæ,
sed in uníus Trinitáte substántiæ.
Quod enim de tua glória, reveláte te, crédimus,
hoc de Fílio tuo, hoc de Spíritu sancto,
sine discretióne sentímus.
Ut in confessióne veræ sempiternǽque Deitátis
et in persónis propríetas,
et in esséntia únitas,
et in maiestáte adorétur æquálitas.

Quam cæli et terra,
quam ángeli et archángeli confiténtur,
quam omnes sancti proclámant,
incessábili voce dicéntes:

CONFRACTORIUM 166/7

Te laudámus, o beáta Trínitas,
te adorámus, te glorificámus;
auge fidem credéntibus.

TRANSITORIUM 166/8

Hæc est fides cathólica:
ut unum Deum in Trinitáte,
et Trinitátem in Unitáte venerémur.

POST COMMUNIONEM 166/9

Profíciat nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus,
huius suscéptio sacraménti,
et sempitérnæ sanctíssimæ Trinitátis
eiusdémque indivíduæ Unitátis devóta conféssio.
Per Christum.

Feria V post Ss.mam Trinitatem

167 SS.MI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

Sollemnitas

INGRESSA Cf. Ps 80, 17 167/1

Cibávit eos Dóminus ex ádipe fruménti, allelúia;
et de petra melle satiávit eos,
allelúia, allelúia, allelúia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 167/2

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili
passiónis tuæ memóriam reliquísti,
tríbue, quǽsumus,
ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári,
ut redemptiónis tuæ fructum in nobis iúgiter sentiámus.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM Io 6, 51 167/3

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi.
Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
panis autem, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 167/4

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut, qui sollemnitátem córporis et sánguinis
Dómini nostri Iesu Christi cólimus veneránter,
cæléstibus desidériis semper accénsi,
fontem vitæ sitiámus ætérnæ.
Per eúndem Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 167/5

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
unitátis et pacis propítius dona concéde,
quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 167/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, cum apóstolis suis in novíssima cena convéscens,
salutíferam crucis memóriam prosecutúrus in sǽcula,
Agnum sine mácula se tibi óbtulit
perféctæ laudis munus accéptum.
Quo venerábili mystério fidéles tuos aléndo sanctíficas,
ut humánum genus,
quod cóntinet unus orbis,
una fides illúminet,
cáritas una coniúngat.
Ad mensam ígitur accédimus tam mirábilis sacraménti,
ut, grátiæ tuæ suavitáte perfúsi,
ad cæléstis formæ imáginem transeámus.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

vel: 167/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus ætérnúsque sacérdos,
formam sacrifícii perénnis instítuens,
hóstiam tibi se primus óbtulit salutárem,
et primus in sui memóriam præcépit offérre.
Cuius carnem pro nobis immolátam
dum súmimus, roborámur,
et fusum pro nobis sánguinem dum potámus, ablúimur.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Cor 11, 26 167/7

Quotiescúmque manducábitis panem hunc
et cálicem bibétis,
mortem Dómini annuntiátis, donec véniat.

TRANSITORIUM 167/8

Te laudámus, Dómine omnípotens,
qui sedes super chérubim et séraphim.
Quem benedícunt ángeli, archángeli,
et laudant prophétæ et apóstoli.
Te laudámus, Dómine, orándo,
qui venísti peccáta solvéndo.
Te deprecámur, magnum redemptórem,
quem Pater misit óvium pastórem.
Tu es Christus Dóminus salvátor,
qui de María vírgine es natus.
Hunc sacrosánctum cálicem suméntes,
ab omni culpa líbera nos semper.

POST COMMUNIONEM 167/9

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii,
humíliter deprecántes,
ut, quæ in tui commemoratiónem nos fácere præcepísti,
in nostræ profíciant infirmitátis auxílium.
Qui vivis.

Ubi sollemnitas Ss. Corporis et Sanguinis Christi non est de præcepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicæ post Ss.mam Trinitatem.

Feria VI post dominicam II post Pentecosten

168 SACRATISSIMI CORDIS IESU

Sollemnitas

INGRESSA 168/1

Lætémur omnes in Dómino,
diem festum celebrántes
in honórem sacratíssimi cordis Iesu Christi Dómini nostri,
in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et misericórdiæ Dei.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 168/2

**Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut qui, dilécti Fílii tui corde gloriántes,
eius præcípua in nos benefícia recólimus caritátis,
de illo donórum fonte cælésti
supereffluéntem grátiam mereámur accípere.
Per eúndem Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cfr. Eph 2, 7 168/3

Osténde nobis, Dómine,
abundántes divítias grátiæ tuæ,
in bonitáte super nos in Christo Iesu.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 168/4

**Illo nos igne, quǽsumus, Dómine,
Spíritus sanctus inflámmet,
quem Dóminus noster Iesus Christus
e penetrálibus cordis sui misit in terram,
et vóluit veheménter accéndi.
Qui vivit.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 168/5

**Ascéndant ad te, Dómine, in suavitátis odórem,
hóstiæ quas in laudem Christi cordis offérimus,
cuius igne caritátis corda nostra benígnus accénde.
Per eúndem Christum.**

PRÆFATIO 168/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mira caritáte exaltátus in cruce
pro nobis trádidit semetípsum,
atque de transfíxo látere sánguinem fudit et aquam,
ex quo manárent Ecclésiæ sacraménta,
ut omnes, ad cor apértum Salvatóris attrácti,
iúgiter haurírent e fóntibus salútis in gáudio.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 11, 28 168/7

Veníte ad me, omnes,
qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 15, 13 168/8

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

POST COMMUNIONEM 168/9

Sacraméntum caritátis, Dómine,
sancta nos fáciat dilectióne fervére,
qua, ad Fílium tuum semper allécti,
ipsum in frátribus discámus agnóscere.
Qui vivit.

Dominica III Octobris

169 IN DEDICATIONE ECCLESIÆ MAIORIS

Festum

INGRESSA Cf. Deut 27, 4-7 169/1a

Vos, qui transitúri estis Iordánem,
ædificáte altáre Dómino de lapídibus,
quos ferrum non tétigit,
et offerétis super illud holocáusta
et hóstias pacíficas Deo vestro.

vel: Mt 21, 13; Lc 11, 10 169/1b

Domus mea domus oratiónis vocábitur,
dicit Dóminus;
omnis qui petit, áccipit;
et qui quærit, ínvenit;
et pulsánti aperiétur.

SUPER POPULUM 169/2

**Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus
habitáculum nómini tuo condis ætérnum,
da ædificatióni huic increménta iustítiæ,
ut ab ómnibus hic invocántibus nomen tuum
protectiónis tuæ auxílium sentiátur.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 169/3

Hoc est templum Dómini,
quod ædificávit summus sacérdos.
Intret pópulus intra sancta sanctórum,
cantántes cánticum novum:
Laus tibi, Dómine, Deus omnípotens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 169/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui in omni loco dominatiónis tuæ totus assístis
et totus operáris,
supplicatiónibus nostris adésto propítius,
et huius domus, cuius es fundátor, esto protéctor,
ut nulla hic nequítia contráriæ potestátis obsístat,
sed, Spíritus sancti operánte virtúte,
fiat hic tibi semper purum ac fidéle servítium.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 169/5

Deus, qui sacrandórum tibi auctor es múnerum,
ad sanctificatiónem loci huius propítius adésse dignáre,
ut, qui hunc in tui nóminis honóre condidérunt,
protectórem te habére in ómnibus mereántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 169/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Ecclésiæ trádidit eminéntiam potestátis,
eámque pro honóre percépto et sponsam constítuit et regínam.
Cuius sublimitáti univérsa subiécit,
ad cuius iudícium consentíre iussit e cælo.

Hæc est ómnium mater vivéntium,
filiórum número facta sublímior,
quæ per Spíritum sanctum quotídie Deo fílios prócreat;
cuius palmítibus mundus omnis implétus est,
quæ propágines suas ligno baiulánte suspénsas
érigit ad regna cælórum.

Hæc est cívitas illa sublímis iugo montis erécta,
ómnibus clara cunctísque perspícua,
cuius cónditor et inhabitátor est idem Dóminus noster
Iesus Christus Fílius tuus.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Esd 3, 1-3 169/7a

Congregáta est omnis plebs
quasi homo unus in Ierúsalem,
et venit sacérdos cum levítis,
et dedicavérunt altáre Dómino,
ut impónant super illud holocáusta Dómino Deo nostro.

vel: Eph 2, 19 169/7b

Iam non estis extránei et ádvenæ,
sed estis concíves sanctórum et doméstici Dei.

TRANSITORIUM 1 Reg 9, 3 169/8

Exaudívi oratiónem tuam,
quam deprecátus es coram me;
sanctificávi domum hanc,
quam ædificásti,
ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 169/9

Benedictiónis tuæ, quǽsumus, Dómine,
plebs tibi sacra fructus repórtet et gáudium,
ut, quod in huius festivitátis die servítio exhíbuit corporáli,
spirituáliter se rettulísse cognóscat.
Per Christum.

Dominica ultima « per annum »

170 DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI UNIVERSORUM REGIS

Sollemnitas

INGRESSA Ap 5, 12; 1, 6 170/1

Dignus est Agnus, qui occísus est,
accípere virtútem et divítias
et fortitúdinem et honórem.
Ipsi glória et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.

SUPER POPULUM 170/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui in dilécto Fílio tuo, universórum rege,
ómnia instauráre voluísti,
concéde propítius, ut omnis creatúra, grátiæ rèddita libertáti,
tuæ maiestáti desérviat ac te sine fine colláudet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 170/3

Ave, Rex noster:
tu solus nostros erróres miserátus,
Patri obœ́diens, ductus es ad crucem,
ut Agnus mansuétus ad occisiónem.
Tibi glória, hosánna, triúmphus et victória;
tibi summæ laudis et honestátis coróna, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 170/4

Dómine Iesu Christe,
qui in ara crucis vitam humáni géneris moriéndo salvásti,
præsta, quǽsumus,
ut, qui peccatórum vel ignorántiæ calígine detinéntur,
lucem veram vitámque te quærant,
et regem suum gáudeant confíteri.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 170/5

Hóstiam tibi, Dómine, humánæ reconciliatiónis offérimus,
sed et supplíciter deprecámur,
ut ipse Fílius tuus
cunctis géntibus unitátis et pacis dona concédat.
Qui vivit.

PRÆFATIO 170/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui unigénitum Fílium tuum, Dóminum nostrum Iesum Christum,
sacerdótem ætérnum et universórum regem,
óleo exsultatiónis unxísti,
ut, seípsum in ara crucis
hóstiam immaculátam et pacíficam ófferens,
redemptiónis humánæ sacraménta perágeret;
et, suo subiéctis império ómnibus creatúris,
ætérnum et universále regnum
imménsæ tuæ tráderet maiestáti:
regnum veritátis et vitæ;
regnum sanctitátis et grátiæ;
regnum iustítiæ, amóris et pacis.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 88, 12. 15a 170/7

Tui sunt cæli, et tua est terra,
orbem terræ et plenitúdinem eius tu fundásti;
iustítia et iudícium firmaméntum sedis tuæ.

TRANSITORIUM Ps 28, 10b-11b 170/8

Sedébit Dóminus rex in ætérnum;
Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

POST COMMUNIONEM 170/9

Immortalitátis alimóniam consecúti,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui Christi regis universórum
gloriámur obœdíre mandátis,
cum ipso in cælésti regno sine fine vívere valeámus.
Qui vivit.

DOMINICAE «PER ANNUM»

Locum dominicæ I « per annum » tenet festum Baptismatis Domini vel sollemnitas Epiphaniæ.

INGRESSA Cf. Sap 18, 14-15 171/1

Dum médium siléntium tenérent ómnia,
et nox in suo cursu médium iter habéret,
omnípotens sermo tuus, Dómine,
de regálibus sédibus venit.

SUPER POPULUM 171/2

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et pópulum tuum pia protectióne custódi,
ut, qui Unigénitum tuum in carne nostri córporis
Deum natum esse faténtur,
nulla possint diáboli falsitáte corrúmpi.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 26, 12-13 171/3

Dómine Deus noster, pacem da nobis:
ómnia enim reddidísti nobis.
Dómine Deus noster, pósside nos;
Dómine, præter te álium non nóvimus,
nomen tuum nominámus,
ne derelínquas nos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 171/4

Benedíctio, quǽsumus, Dómine,
in tuos fidéles copiósa descéndat,
et, quam subiéctis córdibus éxpetunt,
lárgiter consequántur,
quóniam, sicut supérbis resístis,
sic humílibus tuis grátiam benígnus impéndis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 171/5

Quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, nóxiis desidériis expedítos,
devotiónem nos tibi líberam
atque oblatiónem offérre concédas.
Per Christum.

PRÆFATIO 171/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui genus humánum, per prævaricatiónem suam
in ipsíus oríginis radíce damnátum,
per florem virginális úteri réddere dignátus es absolútum,
ut hóminem, quem Unigéniti virtúte creáveras,
per eúndem Fílium tuum, Deum et hóminem, recreáres;
et diábolus, qui Adam in frágili carne devícerat,
conserváta iustítia, a Deo carne vincerétur assúmpta.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 171/7

Lætámini, iusti; cæli, exsultáte;
iucundáte, montes, Christo génito.
Virgo sedébat, Chérubim ímitans,
in grémio portans Dei Verbum incarnátum.
Pastóres stellam mirántur,
magi Dómino múnera ófferunt,
ángeli, Salvatórem adorántes, clamant:
Incomprehensíbilis Dómine, glória tibi.

TRANSITORIUM 171/8

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te gloríficant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

POST COMMUNIONEM 171/9

Quǽsumus, Dómine, Deus noster,
ut, quos divínis reparáre non désinis sacraméntis,
tuis non destítuas benígnus auxíliis.
Per Christum.

INGRESSA Ps 26, 7-9a 172/1

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi.
De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.
Ne avértas fáciem tuam a me.

SUPER POPULUM 172/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 78, 13 172/3

Nos, pópulus tuus et oves páscuæ tuæ,
confitébimur tibi, Deus, in sǽculum;
in generatiónem et generatiónem annuntiábimus laudem tuam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 172/4

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto propítius,
et in tua misericórdia confidéntes
ab omni nos adversitáte custódi.
Per Christum.

SUPER OBLATA 172/5

Múnera, Dómine, obláta sanctífica,
nosque per hæc a nostrórum emúnda máculis peccatórum.
Per Christum.

PRÆFATIO 172/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
sempérque virtútes et laudes tuas lábiis exsultatiónis effári.

Qui, ad huius vitæ labóres benévole relevándos,
tuórum nobis donórum divérsa solácia
et múnerum salutárium gáudia contulísti,
mitténdo Christum Dóminum cǽlitus redemptórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 3, 5. 7a 172/7

Voce mea ad Dóminum clamávi,
et exaudívit me de monte sancto suo.
Non timébo mília pópuli circumdántis me.

TRANSITORIUM Ps 32, 18-19 172/8

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos, qui sperant super misericórdia eius,
ut éruat a morte ánimas eórum
et alat eos in fame.

POST COMMUNIONEM 172/9

Tuæ virtútis in nobis operátio, Dómine, quǽsumus, augeátur,
ut, divínis vegetáti cum gáudio sacraméntis,
ad eórum promíssa capiénda tuo múnere præparémur.
Per Christum.

173 DOMINICA III «PER ANNUM»

INGRESSA Ps 24, 16. 18 173/1

Réspice in me et miserére mei, Dómine,
quia únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum
et dimítte univérsa delícta mea.

SUPER POPULUM 173/2

Vox clamántis Ecclésiæ
ad aures, Dómine, quǽsumus,
tuæ maiestátis ascéndat,
ut, percépta vénia peccatórum,
te fiat operánte devóta,
te protegénte secúra.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 34, 9 173/3

Obsecrámus, Dómine, ut gradiáris nobíscum,
et áuferas iniquitátes nostras atque peccáta
nosque possídeas.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 173/4

Infirmitátes nostras, Deus omnípotens, propítius intuére,
atque a perículis protegéndos
déxteram ad nos tuæ maiestátis exténde.
Per Christum.

SUPER OBLATA 173/5

Hæc hóstia, Dómine, emúndet nostra delícta,
et maiestáti tuæ sacrifícium celebrándum
subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet.
Per Christum.

PRÆFATIO 173/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et te in omni témpore collaudáre.

Quia in te vívimus, movémur et sumus,
et nullum tempus est nullúmque moméntum,
quod a benefíciis pietátis tuæ vácuum transigámus.
Sed præcípuo decet his diébus te celebráre præcónio,
quos Christi nativitátis memória
munerúmque tuórum salutárium causa signávit,
et innováta lætítia
prætériti gáudii vel permanéntis boni tempus esse cognóscimus.
Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 30, 17-18a 173/7
Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

TRANSITORIUM Is 54, 10; 55, 3 173/8
Misericórdia mea non recédet a te,
et fœdus pacis meæ non movébitur,
dixit miserátor tuus Dóminus.
Inclináte aurem vestram et veníte ad me;
audíte, ut vivat ánima vestra,
et fériam vobíscum pactum sempitérnum,
misericórdias David fidéles.

POST COMMUNIONEM 173/9
Quos tantis, Dómine, largíris salutáribus mystériis recreári,
quǽsumus, ut efféctibus nos eórum
veráciter aptáre dignéris.
Per Christum.

INGRESSA Is 63, 7 174/1

Miseratiónum Dómini recordábor,
laudum Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus,
et super multitúdinem bonórum,
quæ largítus est secúndum misericórdias suas
et secúndum multitúdinem miseratiónum suárum.

SUPER POPULUM 174/2

Consérva, quǽsumus, Dómine,
famíliam tuam benignitáte contínua,
et benedictiónum tuárum propítius ubertáte purífica,
ut eruditiónibus tuis semper multiplicétur et donis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 32, 12-13 174/3

Quiéscat ira tua, Dómine,
et esto placábilis super nequítias pópuli tui,
sicut iurásti per temetípsum, Deus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 174/4

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
ab omni pravitáte defénsam
déxtera tua perpétuo circúmdet auxílio,
et bonis cæléstibus prosequátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 174/5

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut huius sacrifícii munus oblátum
fragilitátem nostram ab omni malo purget semper et múniat.
Per Christum.

PRÆFATIO 174/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Ecclésiæ Christi concédis illa iúgiter recólere sacraménta,
quibus mortalitáti nostræ procurátur immortále commércium,
temporáli vitæ subrogátur æternitas,
mirísque modis confícitur de perditióne salvátio.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 42, 4ab. 5 174/7

Introíbo ad altáre Dei,
ad Deum lætítiæ exsultatiónis meæ.
Quare tristis es, ánima mea, et quare conturbáris in me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi,
salutáre vultus mei et Deus meus.

TRANSITORIUM 174/8

Te laudámus, Dómine omnípotens,
qui sedes super chérubim et séraphim.
Quem benedícunt ángeli, archángeli,
et laudant prophétæ et apóstoli.
Te laudámus, Dómine, orándo,
qui venísti peccáta solvéndo.
Te deprecámur, magnum redemptórem,
quem Pater misit óvium pastórem.
Tu es Christus Dóminus salvátor,
qui de María vírgine es natus.
Hunc sacrosánctum cálicem suméntes,
ab omni culpa líbera nos semper.

POST COMMUNIONEM 174/9

Deus, qui pane cælitus demísso
tuos fílios refecísti,
mortalitátem nostram, quǽsumus, rédime miserátus,
spemque nobis ætérnæ cum Christo resurrectiónis adáuge.
Qui vivit.

175 DOMINICA V «PER ANNUM»

INGRESSA Ps 118, 73. 174 175/1

Manus tuæ, Dómine, fecérunt me et plasmavérunt me;
da mihi intelléctum, et discam præcépta tua.
Concupívi salutáre tuum,
et lex tua delectátio mea est.

SUPER POPULUM 175/2

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne lætétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 64, 7 175/3

Dómine, Pater noster es tu, nos vero lutum;
et fictor noster es tu,
et ópera mánuum tuárum omnes nos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 175/4

Deus, qui solus es bonus,
sine quo nullus iustítia decorátur,
iube nos, quǽsumus, tales tuis conspéctibus apparére,
qui tua non mereámur bonitáte privári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 175/5

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis et laudis offérimus,
ut et delícta nostra miserátus absólvas
et benígnus nutántia corda tu dírigas.
Per Christum.

PRÆFATIO 175/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui christifidéles hódie in unum congregáre dignáris
ad paschále pro sua redemptióne mystérium celebrándum.
Conveniéntes enim fámulos tuos verbo salútis instítuis,
ac sócios cenæ domínicæ mirabíliter réficis pane divíno,
ut in spem vivam se regenerátos cum iucunditáte dignóscant,
et, fratérnæ dilectiónis opéribus ambulántes,
advéntum exspéctent fidéliter Salvatóris.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 30, 17-18a 175/7

Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

TRANSITORIUM Cf. Is 63, 9. 16 175/8

In dilectióne tua et in indulgéntia tua, Dómine,
ipse redemísti nos.
Et portásti nos et elevásti nos cunctis diébus sǽculi.
Tu enim Pater noster et redémptor noster:
a sǽculo nomen tuum.

POST COMMUNIONEM 175/9

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salutáris capiámus effĕctum,
cuius his mystériis pignus accépimus.
Per Christum.

INGRESSA Ion 2, 3; 4, 2 176/1

Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, et respóndit mihi;
de ventre ínferi clamávi,
et exaudísti vocem meam.
Sciébam enim quia tu Deus clemens et miséricors es,
longánimis et multæ miseratiónis
et ignóscens super malítia.

SUPER POPULUM 176/2

Omnípotens sempitérne Deus,
actus nostros in beneplácito tuo dignáre dirígere,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Mach 1, 24-25. 27a 176/3

Dómine, Dómine Deus, ómnium creátor,
terríbilis et fortis, iustus et miséricors,
qui solus es rex et bonus, solus præstans,
cóngrega dispersiónem nostram.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 176/4

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli tui cæléstí pietáte proséquere,
ut quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 176/5

Concéde, quǽsumus, Dómine,
ut óculis tuæ maiestátis munus oblátum
et grátiam nobis devotiónis obtíneat
et efféctum perennitátis acquírat.
Per Christum.

PRÆFATIO 176/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et tibi hanc hóstiam immolatiónis offérre,
quæ est mira prorsus et ineffábilis divíni grátia sacraménti,
quæ, dum in tuam glóriam offértur a plúrimis,
unum Christi corpus sancti Spíritus infusióne perfícitur.

Sed et ipsi, qui súmimus communiónem huius panis et cálicis,
unum in Christo corpus crédimus copulári.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 74, 2 176/7

Confitébimur tibi, Deus;
confitébimur et invocábimus nomen tuum:
narrábimus mirabília tua.

TRANSITORIUM Cf. Ps 89, 3; Gal 6, 10; Ap 3, 5 176/8

Convertímini, fílii hóminum,
dum habétis tempus, dicit Dóminus.
Et ego scribam nómina vestra in libro Patris mei,
qui in cælis est.

POST COMMUNIONEM 176/9

Huius, Dómine, operatióne mystérii,
et vítia nostra purgéntur
et iusta desidéria compleántur.
Per Christum.

INGRESSA Ps 61, 9 177/1

Speráte in Deo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra;
Deus refúgium nobis.

SUPER POPULUM 177/2

Deus, in te sperántium fortitúdo,
invocatiónibus nostris adésto propítius,
et, quia sine te nihil potest mortális infírmitas,
præsta grátiæ tuæ benígnus auxílium,
ut in exsequéndis mandátis tuis
et voluntáte tibi et actióne placeámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 1a. 2b-3a 177/3

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me.
Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.
Miserére mei, quóniam ad te clamávi tota die.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 177/4

Deus, qui te ásseris in rectis ac sincéris manére pectóribus,
da nobis tua grátia tales semper exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Christum.

SUPER OBLATA 177/5

Hóstias nostras tibi, Dómine, dicátas placátus assúme,
et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium.
Per Christum.

PRÆFATIO 177/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius hoc miríficum fuit opus per paschále mystérium,
ut de peccáto et mortis iugo ad hanc glóriam vocarémur,
qua nunc genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta et acquisitiónis pópulus dicerémur,
et tuas, Pater, annuntiarémus ubíque virtútes,
qui nos ad tuum admirábile lumen de ténebris advocásti.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 88, 2. 51a 177/7

Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
Memor esto, Dómine.

TRANSITORIUM 177/8

Accépta Christi múnera sumámus,
Dei grátia non ad iudícium,
sed ad salvándas ánimas.

POST COMMUNIONEM 177/9

Tantis, Dómine, repléti munéribus, te precámur,
ut et dona salutária capiámus
et a tua numquam laude cessémus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 118, 137. 124a 178/1

Iustus es, Dómine, et rectum iudícium tuum.
Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.

SUPER POPULUM 178/2

Ecclésiæ tuæ, Dómine, voces placátus admítte,
ut, destrúctis adversitátibus univérsis,
secúra tibi sérviat libertáte.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 178/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 178/4

Pórrige déxteram tuam, quǽsumus, Dómine,
plebi tuæ misericórdiam postulánti,
per quam et terróres declínet humános
et, solátia vitæ immortalitátis accípiens,
sempitérna gáudia comprehéndat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 178/5

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto placátus,
et his munéribus præséntiam tuæ maiestátis intérsere,
ut, quod nostro géritur in humilitáte servítio,
te pótius operánte firmétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 178/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis miserátus erróribus,
de Vírgine nasci dignátus est.
Qui, crucem passus, a morte nos perpétua liberávit,
et, a mórtuis resúrgens, vitam nobis donávit ætérnam.
Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 178/7

Corpus tuum frángitur, Christe;
calix benedícitur.
Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam,
ad salvándas ánimas, Deus noster.

TRANSITORIUM Ps 103, 33-34 178/8

Cantábo Dómino in vita mea,
psallam Deo meo quámdiu sum.
Iucúndum sit ei elóquium meum,
ego vero delectábor in Dómino.

POST COMMUNIONEM 178/9

Quod ore súmpsimus, Dómine, mente capiámus,
ut de córpore et sánguine Redemptóris
fiat nobis remédium sempitérnum.
Per Christum.

INGRESSA Ps 17, 19b-20 179/1

Factus est Dóminus fulciméntum meum;
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

SUPER POPULUM 179/2

Exáudi, Dómine, vocem tibi supplicántis Ecclésiæ,
quæ, in modum víneæ Fílii tui propagáta cultóribus,
firmis in te nítitur stare radícibus,
ut, a præséntis sæculi flúctibus aliéna,
pullulántis in se pópuli nativitáte ditáta,
ubertátis suæ frúctibus gloriétur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 12, 6b-c 179/3

Exsultábit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 179/4

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti,
infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 179/5

Has oblatiónes pópuli tui, Dómine,
benígnus assúme,
et, ut nullíus sit írritum votum,
nullíus vácuus postulátus,
præsta, quǽsumus, ut quod fidéliter pétimus
efficáciter consequámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 179/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim nascéndo vetustátem hóminum renovávit,
patiéndo delévit nostra peccáta,
ætérnæ vitæ áditum præstitit a mórtuis resurgéndo,
ad te Patrem ascendéndo cæléstes iánuas reserávit.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 7, 2 179/7

Dómine Deus meus, in te sperávi;
salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me
et líbera me.

TRANSITORIUM 179/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus admínístrat panem sanctórum
et cálicem vitæ in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 179/9

Grátias tibi, sancte Pater, agéntes,
qui nos córpore et sánguine Christi Dómini satiásti,
tuam misericórdiam humíliter implorámus,
ut hoc tuum sacraméntum sit nobis
ablútio scélerum et fortitúdo fragílium,
et cæléstis gáudii nos tríbuat esse partícipes.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Ps 26, 7-9a 180/1

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi.
De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.
Ne avértas fáciem tuam a me.

SUPER POPULUM 180/2

Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas,
auge eam quotídie credéntium puritáte,
et divínæ grátiæ infusióne multíplica,
ut, malórum ómnium impugnatióne repúlsa,
in tranquillitáte pacis et fídei,
tuo semper ditáta múnere gloriétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 47, 10-11 180/3

Recogitámus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum, Deus,
sic et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 180/4

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos
humána cónspicis fragilitáte non posse subsístere,
da nobis salútem mentis et córporis,
ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur,
te adiuvánte, vincámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 180/5

Deus, qui legálium differéntias hostiárum
unius sacrifícii perfectióne sanxísti,
áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis,
et, sicut múnera Abel, pari benedictióne sanctífica,
ut, quod obtulérunt ad tuæ maiestátis honórem,
cunctis profíciat ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 180/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem efformásti,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 8, 2a 180/7

Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

TRANSITORIUM Io 6, 56 180/8

Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet,
et ego in illo, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 180/9

Sit nobis, Dómine, medicína mentis et córporis,
quod de sancti altáris tui benedictióne percépimus,
ut nullis adversitátibus fatigémur,
qui tanti remédii participatióne munímur.
Per Christum.

INGRESSA Ps 94, 6-7a 181/1

Veníte, adorémus
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos,
quia ipse est Deus noster.

SUPER POPULUM 181/2

Omnípotens sempitérne Deus,
in protectióne fidélium populórum
antíqua bráchii tui operáre mirácula,
ut, hóstibus Ecclésiæ tua virtúte devíctis,
secúra tibi sérviat cathólica fides et devótio christiána.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 32, 12-13 181/3

Quiéscat ira tua, Dómine,
et esto placábilis super nequítias pópuli tui,
sicut iurásti per temetípsum, Deus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 181/4

Deus, qui creatúræ tuæ miseréri pótius éligis, quam irásci,
cordis nostri infírma consídera,
et tuæ nos grátia pietátis illústra.
Per Christum.

SUPER OBLATA 181/5

Súscipe múnera, quǽsumus, Dómine,
quæ tibi de tua largitáte deférimus,
ut hæc sacrosáncta mystéria,
grátiæ tuæ operánte virtúte,
et præséntis vitæ nos conversatióne sanctíficent
et ad gáudia sempitérna perdúcant.
Per Christum.

PRÆFATIO 181/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

In quo vívimus, movémur et sumus,
atque in hoc córpore constitúti
non solum pietátis tuæ cotidiános experímur efféctus,
sed æternitátis étiam pígnora iam tenémus.
Primítias enim Spíritus iam habéntes,
qui Iesum a mórtuis suscitávit,
paschále mystérium sperámus nobis esse perpétuum.
Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 9, 2b-3 181/7
Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

TRANSITORIUM Cf. Ps 101, 12; cf. Mt 25, 1-13 181/8
Declínant anni nostri et dies ad finem.
Quia tempus est,
corrigámus nos ad laudem Christi.
Lámpades sint accénsæ,
quia excélsus iudex venit iudicáre gentes.

POST COMMUNIONEM 181/9
Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii,
humíliter deprecántes,
ut, quæ in tui commemoratiónem nos fácere præcepísti,
in nostræ profíciant infirmitátis auxílium.
Qui vivis.

INGRESSA Ps 26, 1. 2b 182/1

Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo?
Qui tríbulant me et inimíci mei,
ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

SUPER POPULUM 182/2

Da, quǽsumus, Dómine, pópulo tuo sanitátem mentis et córporis,
da vitáre quod nocet et amáre quod salvet;
da ut, bonis opéribus inhæréndo,
et benedíci mereátur
et tua semper virtúte deféndi.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 67, 6b-7a. 36b 182/3

Deus in habitáculo sancto suo;
Deus, qui inhabitáre facit desolátos in domo,
ipse tríbuet virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 182/4

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus,
et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges,
consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 182/5

Sanctificatiónem tuam, Dómine,
nobis his mystériis placátus operáre,
quæ nos et terrénis purget a vítiis
et ad cæléstia dona perdúcat.
Per Christum.

PRÆFATIO 182/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sic mundum misericórditer dilexísti,
ut ipsum nobis mítteres redemptórem.

Quem absque peccáto in nostra voluísti similitúdine conversári,
ut amáres in nobis quod in Fílio diligébas.

Cuius obœdiéntia sumus ad tua dona reparáti,
quæ per inobœdiéntiam amiserámus errántes.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 11b 182/7

Pater sancte,
serva eos in nómine tuo, quod dedísti mihi,
ut sint unum sicut et nos, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 182/8

Stant ángeli ad latus altáris,
et sanctíficant sacerdótes corpus et sánguinem Christi,
psalléntes et dicéntes: Glória in excélsis Deo.

POST COMMUNIONEM 182/9

Quos cæléstí, Dómine, múnere satiásti,
præsta, quǽsumus,
ut a nostris mundémur occúltis,
et ab hóstium liberémur insídiis.
Per Christum.

INGRESSA Ps 144, 4. 7 183/1

Generátio generatióni, Dómine, laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt
et iustítia tua exsultábunt.

SUPER POPULUM 183/2

Omnípotens et misericors Deus,
de cuius múnere venit,
ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur,
tríbue, quǽsumus, nobis,
ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 26, 4 183/3

Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 183/4

Précibus nostris, quǽsumus, Dómine,
aurem tuæ pietátis accómmoda,
et, occultórum cógnitor, oratiónes súpplicum benígnus exáudi,
ut, te largiénte, ad vitam pervéniant sempitérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 183/5

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

PRÆFATIO 183/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tuæ semper, Pater omnípotens, grátias ágere pietáti,
ac fidelitáte præcípua Fílii tui gesta recólere.

Redemptiónis enim nostræ magna mystéria celebrámus,
quibus ille servitútem nostram mortémque destrúxit,
et ad múnera nos dispósuit hereditátis ætérnæ.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur.
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 22, 5 183/7

Parásti in conspéctu meo mensam, Dómine,
et calix meus redúndat.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 16a 183/8

Nos, qui credídimus,
cognóvimus caritátem,
quam habet Deus in nobis.

POST COMMUNIONEM 183/9

Da fidélibus tuis, Dómine,
quos et verbi tui et cælésti nutris pábulo sacraménti,
ita dilécti Fílii tui tantis munéribus proveníre,
ut eius vitæ semper consórtes éffici mereámur.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 30, 3b-4 184/1

Esto mihi in rupem præsídii, Dómine,
et in domum munítam, ut salvum me fácias.
Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me.

SUPER POPULUM 184/2

Omnípotens et miséricors Deus,
univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde,
ut, mente et córpore páriter expedíti,
quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lam 3, 24-25 184/3

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;
proptérea exspectábo eum.
Bonus est Dóminus sperántibus in eum,
ánimæ quærénti illum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 184/4

Fidéles tuos, Dómine, benedíctio desideráta confírmet,
quæ eos et a tua voluntáte numquam fáciat dissentíre
et tuis semper indúlgeat benefíciis gratulári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 184/5

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 184/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
laudem tibi, Pater omnípotens,
sincéro plebem corde reférre,
quam mira sapiéntia Fílii tui sánguine redemísti.

Ipsum enim nobis misísti inenarrábili pietáte,
ut eius crucis iniúria
hóminem, quem amóre creáveras,
supérbia sua pérditum ad glóriam revocáres.

Unde et nos tibi grátias ágimus exsultántes,
et tuas virtútes prædicámus,
cum ángelis sanctísque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 11, 27 184/7

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei,
qui in mundum venísti.

TRANSITORIUM Mt 5, 3. 5 184/8

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
Beáti mites,
quóniam ipsi possidébunt terram.

POST COMMUNIONEM 184/9

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis
cæléste mystérium,
ut simus eius in glória coherédes,
cui, mortem ipsíus annuntiándo, compátimur.
Qui vivit.

185 DOMINICA XV «PER ANNUM»

INGRESSA Cf. Is 37, 17a. 20 185/1

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi;
Dómine, Deus noster, salva nos,
ut cognóscant omnes quia tu es Deus solus.

SUPER POPULUM 185/2

Dírige, Dómine, quǽsumus,
Ecclésiam tuam dispensatióne cæléstí,
ut, quæ ante mundi princípium
in tua semper est præséntia præparáta,
usque ad plenitúdinem gloriámque promíssam,
te moderánte, pervéniat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ier 29, 13. 14 185/3

Quærétis me et inveniétis, dicit Dóminus,
cum quæsiéritis me in toto corde vestro.
Et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 185/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui, abundántia pietátis tuæ,
et mérita súpplicum excédis et vota,
effúnde super nos misericórdiam tuam,
ut dimíttas quæ consciéntia pertimescit,
et adícias quod orátio non præsúmit.
Per Christum.

SUPER OBLATA 185/5

Réspice, Dómine, quǽsumus, nostram propítius servitútem,
ut, quod offérimus, sit tibi munus accéptum
et nostræ caritátis augméntum.
Per Christum.

PRÆFATIO 185/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Pater omnípotens atque clemens,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui unam de géntibus congregátam Ecclésiam
ineffábili sibi caritáte copulávit;
cuius mystérium domínici sacraménto córporis figurátur,
nobísque celebritáte præsénti efficáciter exercétur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20b 185/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Io 17, 20-21 185/8

Pater, pro eis rogo, qui creditúri sunt,
ut et ipsi in nobis sint,
ut mundus credat quia tu me misísti,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 185/9

Concéde nobis, omnipótens Deus,
ut de percéptis sacraméntis inebriémur atque pascámur,
quátenus in id quod súmimus transeámus.
Per Christum.

INGRESSA 1 Par 16, 9-11 186/1

Cánite Dómino et psállite
et narráte ómnia mirabília eius.
Laudáte nomen sanctum eius,
lætétur cor quæréntium Dóminum.
Quǽrite Dóminum et virtútem eius,
quǽrite fáciem eius semper.

SUPER POPULUM 186/2

Deus virtútum, cuius est totum quod est óptimum,
pectóribus nostris tui nóminis amórem infúnde,
ut in nobis, religiónis augménto, quæ bona sunt nútrias,
ac, vigilánti stúdio, quæ sunt nutríta custódias.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Nah 1, 7. 3a 186/3

Bonus Dóminus, refúgium in die tribulatiónis
et sciens sperántes in se.
Dóminus pátiens et magnus fortitúdine.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 186/4

Tua, Dómine, protectióne confídens,
benedictiónem supplíciter implorátam
devóta tibi família consequátur,
ut tuo secúra munímine
nec temporálibus destituátur auxíliis,
et bonis aptétur ætérnis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 186/5

Dómine Deus, qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus, miserátus,
ut æternitátis nobis fiant étiam sacraméntum.
Per Christum.

PRÆFATIO 186/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui peccatórum vúlnera abundantióre cleméntia resanásti,
ut ad vitam occásum nostrum tuæ poténtia virtútis erígeres.

Qui sanctitátis Spíritum nostris lárgiter pectóribus infudísti,
ut beátæ resurrectiónis et hereditátis ætérnæ dona præstáres.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 103, 13b. 14c-15a 186/7

De fructu óperum tuórum, Dómine, sátias terram,
edúcens panem de terra et vinum,
quod lætíficat cor hóminis.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 10, 16 186/8

Calix benedictiónis, cui benedícimus,
communicátio sánguinis Christi est;
et panis, quem frángimus,
communicátio córporis Dómini est.

POST COMMUNIONEM 186/9

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra commúnio,
sicut fidélium in te præsígnat efficáciter unitátem,
sic in Ecclésia tua concórdiæ operétur efféctum.
Per Christum.

187 DOMINICA XVII «PER ANNUM»

INGRESSA Soph 3, 16-17a 187/1

Noli timére, Sion;
ne dissolvántur manus tuæ!
Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit; gaudébit super te in lætítia.

SUPER POPULUM 187/2

Deus, qui sacræ legis ómnia constitúta
in tua et próximi dilectióne posuísti,
da nobis, ut, tua præcépta servántes,
ad vitam mereámur perveníre perpétuam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 24, 6. 8 187/3

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
quóniam a sǽculo sunt.
Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 187/4

Plebs tua, Dómine, quǽsumus,
benedictiónis sanctæ munus accípiat,
per quod et nóxia quæque declínet
et felíci prǽmio optáta repériat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 187/5

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine,
mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 187/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui condiciónem nobis præsignásti
quod in hoc sǽculo nascerémur,
ut facultátem in ætérno regno tribuéres sine fine vivéndi.

Qui de limo genus humánum verbi tui virtúte plasmásti,
ut grátiæ cæléstis abundántia tua pietáte repléres.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Lam 3,25; Ps 33,11 187/7

Bonus est Dóminus sperántibus in eum,
ánimæ quærénti illum.
Dívites eguérunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5,2 187/8

Ambulémus in dilectióne,
sicut et Christus diléxit nos
et trádidit seípsum pro nobis
oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

POST COMMUNIONEM 187/9

Vivíficet nos, Dómine,
illa quam obtúlimus et súmpsimus hóstia salutáris,
ut, perpétua tibi caritáte coniúncti,
fructum, qui semper máneat, afferámus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 26, 7-9a 188/1

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi.
De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.
Ne avértas fáciem tuam a me.

SUPER POPULUM 188/2

Omnípotens sempitérne Deus,
fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem
et maiestáti tuæ sincéro corde servíre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 78, 13 188/3

Nos, pópulus tuus et oves páscuæ tuæ,
confitébimur tibi, Deus, in sǽculum;
in generatiónem et generatiónem annuntiábimus laudem tuam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 188/4

Rege, Dómine, pópulum tuum,
et grátiæ tuæ, quǽsumus, in eo dona multíplica,
ut, ab ómnibus liber offénsis,
et temporálibus non destituátur auxíliis
et sempitérnis gáudeat institútis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 188/5

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 188/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In quo mortálium vita perénnis exóritur,
et nostræ salútis effícitur plenitúdo.

Qui ad tuam cónditis per seípsum imáginem,
indígne peccáti vúlnere sauciátam,
oríginis dignitátem mirabíliter innovávit,
et ad reparatiónem impléndam
Spíritus munus iúgiter fidéli promissióne largítur.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 3, 5. 7a 188/7

Voce mea ad Dóminum clamávi,
et exaudívit me de monte sancto suo.
Non timébo mília pópuli circumdántis me.

TRANSITORIUM Ps 32, 18-19 188/8

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos, qui sperant super misericórdia eius,
ut éruat a morte ánimas eórum
et alat eos in fame.

POST COMMUNIONEM 188/9

Grátias tibi, Dómine, referímus sacro múnere vegetáti,
tuam cleméntiam implorántes,
ut, in quibus infusióne Spíritus tui virtus cæléstis intrávit,
sinceritátis grátia persevéret.
Per Christum.

INGRESSA Ps 24, 16. 18 189/1

Réspice in me et miserére mei, Dómine,
quia únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum
et dimítte univérsa delícta mea.

SUPER POPULUM 189/2

Deus, qui ineffábili amóre cuncta creásti,
concéde, ut te semper tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 34, 9 189/3

Obsecrámus, Dómine, ut gradiáris nobíscum,
et áuferas iniquitátes nostras atque peccáta
nosque possídeas.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 189/4

Te deprecámur, omnípotens Deus,
ut tua nos grátia prótegat et consérvet;
et, quia sine te nihil recte valémus efficere,
ipsíus semper múnere capiámus,
ut tibi placére possímus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 189/5

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine, tuæ plebis oblátio,
per quam et dona sanctificatiónis acquírat
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

PRÆFATIO 189/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Ecclésiæ Christi concédis illa iúgiter recólere sacraménta, quibus mortalitáti nostræ procurátur immortále commércium, temporáli vitæ subrogátur ætérnitas, mirísque modis confícitur de perditióne salvátio.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis, ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 30, 17-18a 189/7

Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

TRANSITORIUM Is 54, 10; 55, 3 189/8

Misericórdia mea non recédet a te,
et fœdus pacis meæ non movébitur,
dixit miserátor tuus Dóminus.
Inclináte aurem vestram et veníte ad me;
audíte, ut vivat ánima vestra,
et fériam vobíscum pactum sempitérnum,
misericórdias David fidéles.

POST COMMUNIONEM 189/9

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo libénter effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Is 63, 7 190/1
Miseratiónum Dómini recordábor,
laudum Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus,
et super multitúdinem bonórum,
quæ largítus est secúndum misericórdias suas
et secúndum multitúdinem miseratiónum suárum.

SUPER POPULUM 190/2
Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 32, 12-13 190/3
Quiéscat ira tua, Dómine,
et esto placábilis super nequítias pópuli tui,
sicut iurásti per temetípsum, Deus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 190/4
Da nobis, Dómine, contra supérbos spíritus
humilitátem rationábilem custodíre,
et, ne nos humáni incértos auxílii derelínquas,
tua, quæ falli non potest, gubernatióne consérva.
Per Christum.

SUPER OBLATA 190/5
Súscipe, Dómine, múnera nostra placátus,
quæ nostræ mentis sanctificándo virtúte
nobis salutária fore concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 190/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui christifidéles hódie in unum congregáre dignáris
ad paschále pro sua redemptióne mystérium celebrándum.

Conveniéntes enim fámulos tuos verbo salútis instítuis,
ac sócios cenæ domínicæ mirabíliter réficis pane divíno,
ut in spem vivam se regenerátos cum iucunditáte dignóscant,
et, fratérnæ dilectiónis opéribus ambulántes,
advéntum exspéctent fidéliter Salvatóris.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 42, 4ab. 5 190/7

Introíbo ad altáre Dei,
ad Deum lætítiæ exsultatiónis meæ.
Quare tristis es, ánima mea, et quare conturbáris in me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi,
salutáre vultus mei et Deus meus.

TRANSITORIUM 190/8

Te laudámus, Dómine omnípotens,
qui sedes super chérubim et séraphim.
Quem benedícunt ángeli, archángeli,
et laudant prophétæ et apóstoli.
Te laudámus, Dómine, orándo,
qui venísti peccáta solvéndo.
Te deprecámur, magnum redemptórem,
quem Pater misit óvium pastórem.
Tu es Christus Dóminus salvátor,
qui de María vírgine es natus.
Hunc sacrosánctum cálicem suméntes,
ab omni culpa líbera nos semper.

POST COMMUNIONEM 190/9

Cæléstibus, Dómine, pasti mystériis, te precámur,
ut semper éadem, quibus veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 118, 73. 174 191/1

Manus tuæ, Dómine, fecérunt me et plasmavérunt me;
da mihi intelléctum, et discam præcépta tua.
Concupívi salutáre tuum,
et lex tua delectátio mea est.

SUPER POPULUM 191/2

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 64, 7 191/3

Dómine, Pater noster es tu, nos vero lutum;
et fictor noster es tu,
et ópera mánuum tuárum omnes nos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 191/4

Tuam, Dómine, misericórdiam obsecrámus,
ne pro nostra nos iniquitáte condémnes,
sed in viam rectam semper pro tua pietáte dispónas;
ne, sicut merémur, delinquéntibus irascáris,
sed fragilitáti nostræ invícta tua bonitáte subvénias.
Per Christum.

SUPER OBLATA 191/5

Altáribus tuis, Dómine, múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

PRÆFATIO 191/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et tibi hanc hóstiam immolatiónis offérre,

quæ est mira prorsus et ineffábilis divíni grátia sacraménti,
quæ, dum in tuam glóriam offértur a plúrimis,
unum Christi corpus sancti Spíritus infusióne perfícitur.

Sed et ipsi, qui súmimus communiónem huius panis et cálicis,
unum in Christo corpus crédimus copulári.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 30, 17-18a 191/7

Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

TRANSITORIUM Cf. Is 63, 9. 16 191/8

In dilectióne tua et in indulgéntia tua, Dómine,
ipse redemísti nos.
Et portásti nos et elevásti nos cunctis diébus sǽculi.
Tu enim Pater noster et redémptor noster:
a sǽculo nomen tuum.

POST COMMUNIONEM 191/9

Rege nos Spíritu tuo, quǽsumus, Dómine,
quos Fílii tui córpore pascis et sánguine,
ut, te non solum verbis et lingua
sed veritáte et ópere confiténtes,
in regnum mereámur intráre cælórum.
Per Christum.

INGRESSA Ion 2, 3; 4, 2 192/1

Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, et respóndit mihi;
de ventre ínferi clamávi,
et exaudísti vocem meam.
Sciébam enim quia tu Deus clemens et miséricors es,
longánimis et multæ miseratiónis
et ignóscens super malítia.

SUPER POPULUM 192/2

Da pópulo tuo, Deus,
digne atque sapiénter ad confessiónem tuæ laudis accédere,
ut, si quæ in nobis sunt sauciáta per culpam,
sentiámus reparári posse per grátiam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 2 Mach 1, 24-25. 27a 192/3

Dómine, Dómine Deus, ómnium creátor,
terríbilis et fortis, iustus et miséricors,
qui solus es rex et bonus, solus præstans,
cóngrega dispersiónem nostram.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 192/4

Famíliæ tuæ, Dómine, quǽsumus, esto protéctor,
et misericórdiam tuam concéde poscénti,
ut tibi semper fiat obœ́diens,
et tua dona percípiat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 192/5

Deus, qui humáni géneris utrámque substántiam
præséntium múnerum et aliménto végetas
et rénovas sacraménto,
tríbue quǽsumus,
ut eórum et corpóribus nostris
subsídium non desit et méntibus.
Per Christum.

PRÆFATIO 192/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius hoc miríficum fuit opus per paschále mystérium,
ut de peccáto et mortis iugo ad hanc glóriam vocarémur,
qua nunc genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta et acquisitiónis pópulus dicerémur,
et tuas, Pater, annuntiarémus ubíque virtútes,
qui nos ad tuum admirábile lumen de ténebris advocásti.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 74, 2 192/7

Confitébimur tibi, Deus;
confitébimur et invocábimus nomen tuum:
narrábimus mirabília tua.

TRANSITORIUM Cf. Ps 89, 3; Gal 6, 10; Ap 3, 5 192/8

Convertímini, fílii hóminum,
dum habétis tempus, dicit Dóminus.
Et ego scribam nómina vestra in libro Patris mei,
qui in cælis est.

POST COMMUNIONEM 192/9

Qui súmpsimus, Dómine, divínum sacraméntum,
passiónis Fílii tui memoriále perpétuum,
te súpplices exorámus,
ut ad nostram salútem hoc munus profíciat,
quod ineffábili nobis ipse caritáte donávit.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 61, 9 193/1

Speráte in Deo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra;
Deus refúgium nobis.

SUPER POPULUM 193/2

Adésto, Dómine, supplícibus tuis,
et spem suam in tua misericórdia collocántes tuére propítius,
ut, a peccatórum labe mundáti,
in sancta conversatióne permáneant,
et, consequéntes sufficiéntiam temporálem,
promissiónis tuæ perficiántur herédes.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 1a. 2b-3a 193/3

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me.
Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.
Miserére mei, quóniam ad te clamávi tota die.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 193/4

Pietátis tuæ, quǽsumus, Dómine,
supplícibus tuis tríbue largitátem,
ut, mandáta tua, te operánte, sectántes,
et consolatiónem vitæ præséntis accípiant
et futúra gáudia comprehéndant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 193/5

Deus, qui mysteriórum tuórum dignánter operáris effēctus,
præsta, quǽsumus,
ut sacris fiant apta munéribus,
et nobis salutária nostra servítia.
Per Christum.

PRÆFATIO

193/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis miserátus erróribus,
de Vírgine nasci dignátus est.
Qui, crucem passus, a morte nos perpétua liberávit,
et, a mórtuis resúrgens, vitam nobis donávit ætérnam.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 88, 2. 51a

193/7

Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
Memor esto, Dómine.

TRANSITORIUM

193/8

Accépta Christi múnera sumámus,
Dei grátia non ad iudícium,
sed ad salvándas ánimas.

POST COMMUNIONEM

193/9

Per hæc sacraménta, Dómine, Christi partícipes efféсti,
cleméntiam tuam humíliter implorámus,
ut, confórmes imáginis eius in terris,
ipsíus consórtes fíeri mereámur in cælis.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 118, 137. 124a 194/1

Iustus es, Dómine, et rectum iudícium tuum.
Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.

SUPER POPULUM 194/2

Consérva, Dómine, tuórum corda fidélium,
et grátiæ tuæ virtúte corróbora,
ut et in tua sint supplicatióne devóti
et mútua dilectióne sincéri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 101, 12-13 194/3

Dies mei sicut umbra declinavérunt,
et ego sicut fenum árui.
Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes,
et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 194/4

Grátiæ tuæ, Dómine, quǽsumus,
in nobis dona proséquere,
et, quod possibílitas non habet fragilitátis humánæ,
tuo Spíritu miserátus impénde.
Per Christum.

SUPER OBLATA 194/5

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia gloriósa,
ut, offeréntes húmiles quæ dedísti,
teípsum felíces mereámur accípere.
Per Christum.

PRÆFATIO 194/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim nascéndo vetustátem hóminum renovávit,
patiéndo delévit nostra peccáta,
ætérnæ vitæ áditum præstitit a mórtuis resurgéndo,
ad te Patrem ascendéndo cæléstes iánuas reserávit.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 194/7

Corpus tuum frángitur, Christe;
calix benedícitur.
Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam,
ad salvándas ánimas, Deus noster.

TRANSITORIUM Ps 103, 33-34 194/8

Cantábo Dómino in vita mea,
psallam Deo meo quámdiu sum.
Iucúndum sit ei elóquium meum,
ego vero delectábor in Dómino.

POST COMMUNIONEM 194/9

Mensæ cæléstis pane refécti,
te, Dómine, deprecámur,
ut hoc nutriméntum caritátis corda nostra confírmet,
quátenus ad tibi ministrándum in frátribus excitémur.
Per Christum.

INGRESSA Ps 17, 19b-20 195/1
Factus est Dóminus fulciméntum meum;
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

SUPER POPULUM 195/2
Aperi, Dómine, quǽsumus, tuórum corda famulórum,
ut, vocem tuam hódie fidéliter audiéntes,
pura iúgiter conversatióne vivámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 12, 6b-c 195/3
Exsultábit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 195/4
Ecclésia tua, quǽsumus, Dómine,
cæléstis grátiæ gáudeat ubertáte,
per quam in Christi iúgiter fidelitáte permáneat,
et eius regno dénique munerétur ætérno.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 195/5
Súscipe, Deus omnípotens, sacrifícii huius sacra sollémnia,
et, impósita múnera tuis altáris benígnus aspíciens,
nobis quoque benedícere dignáre cleménter.
Per Christum.

PRÆFATIO 195/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem effomásti,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,

ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 7, 2 195/7

Dómine Deus meus, in te sperávi;
salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me
et líbera me.

TRANSITORIUM 195/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus adminístrat panem sanctórum
et cálicem vitæ in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 195/9

Deus, qui nos ad Fílii tui cenam vocásti
unanímiter celebrándam,
eiúsdem, quǽsumus,
corda nostra repleántur caritátis afféctu,
ut veræ fraternitátis fœdere solidémur.
Per Christum.

INGRESSA Ps 26, 7-9a 196/1

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi.
De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.
Ne avértas fáciem tuam a me.

SUPER POPULUM 196/2

Deus, qui mortis impérium Christi passióne perpétuo destruxísti,
servitúti obnóxiis secúram grátiam pérfice libertátis,
ut, iustis in opéribus ambulántes,
a vínculis ætérnis in iudício redimámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 47, 10-11 196/3

Recogitámus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum, Deus,
sic et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 196/4

Deus, imménsæ bonitátis orígo,
fidélium tuórum précibus placátus inténde,
ut, patérnæ plenitúdinis grátia recreáti,
in sancta conversatióne iúgiter persevérent.
Per Christum.

SUPER OBLATA 196/5

Hæc tibi, Dómine, múnera dicánti famíliæ,
dilectiónis infúnde benígnus affectum,
ut omnes, evangélica senténtia custodíta,
in caritáte ínvicem et in pace vivámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 196/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
In quo vívimus, movémur et sumus,
atque in hoc córpore constitúti
non solum pietátis tuæ cotidiános experímur efféctus,
sed æternitátis étiam pígnora iam tenémus.

Primítias enim Spíritus iam habéntes,
qui Iesum a mórtuis suscitávit,
paschále mystérium sperámus nobis esse perpétuum.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 8, 2a 196/7

Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

TRANSITORIUM Io 6, 56 196/8

Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet,
et ego in illo, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 196/9

Omnípotens Deus, qui salutári convívio
Ecclésiæ tuæ membra in uno córpore congregásti,
quǽsumus, ut cápiti nostro fide et actióne semper hæréntes,
ipsíus quoque æternitáti felíciter sociémur.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 94, 6-7a 197/1

Veníte, adorémus
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos,
quia ipse est Deus noster.

SUPER POPULUM 197/2

Spíritum renovatiónis, Pater omnípotens,
cleménter in nobis effúnde,
ut, ipsíus iustificáti grátia salutári
secúndum spem ætérnæ vitæ simus herédes.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 32, 12-13 197/3

Quiéscat ira tua, Dómine,
et esto placábilis super nequítias pópuli tui,
sicut iurásti per temetípsum, Deus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 197/4

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
plácita vota contínuo favóre proséquere,
ut providéntiæ tuæ munéribus foveátur in témpore,
et beáta æternitáte dénique munerétur in cælis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 197/5

Pérfice, quǽsumus, Dómine, hóstiam laudis oblátam,
ut, ex ea pura fámuli tui mente libántes,
váleant hereditátem cápere sempitérnam.
Per Christum.

PRÆFATIO 197/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sic mundum misericórditer dilexísti,
ut ipsum nobis mítteres redemptórem.

Quem absque peccáto in nostra voluísti similitúdine conversári,
ut amáres in nobis quod in Fílio diligébas.

Cuius obœdiéntia sumus ad tua dona reparáti,
quæ per inobœdiéntiam amiserámus errántes.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 9, 2b-3 197/7

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

TRANSITORIUM Cf. Ps 101, 12; cf. Mt 25, 1-13 197/8

Declínant anni nostri et dies ad finem.
Quia tempus est,
corrigámus nos ad laudem Christi.
Lámpades sint accénsæ,
quia excélsus iudex venit iudicáre gentes.

POST COMMUNIONEM 197/9

Fidéles tuos, quǽsumus, Dómine, grátia cinge perénni,
ut, qui immortáli mystério communicámus víctimæ salutáris,
ad ipsíus in cælo valeámus perveníre consórtium.
Qui vivit.

INGRESSA Ps 26, 1. 2b 198/1

Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo?
Qui tríbulant me et inimíci mei,
ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

SUPER POPULUM 198/2

Omnípotens Pater,
cuius Unigénitus nobis per ómnia similátus
tibi póntifex fidélis assístit,
misericórdiam tuam dignáre nobis iúgiter impertíre,
ut ad laudem ætérnam cum ipso felíciter sociémur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 67, 6b-7a. 36b 198/3

Deus in habitáculo sancto suo;
Deus, qui inhabitáre facit desolátos in domo,
ipse tríbuet virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 198/4

Misericórdia tua, quǽsumus, Dómine,
nos cum frátribus ádiuvet in labóre
et consolétur in múnere,
ut te conditórem omnes ac patrem agnóscere gaudeámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 198/5

Oblatiónes nostras, quǽsumus, Dómine, súscipe miserátus,
ut fidélis pópulus congregátus in unum
communióne salútis profíciat et gáudio caritátis.
Per Christum.

PRÆFATIO 198/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tuæ semper, Pater omnípotens, grátias ágere pietáti,
ac fidelitáte præcípua Fílii tui gesta recólere.

Redemptiónis enim nostræ magna mystéria celebrámus,
quibus ille servitútem nostram mortémque destrúxit,
et ad múnera nos dispósuit hereditátis ætérnæ.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 11b 198/7

Pater sancte,
serva eos in nómine tuo, quod dedísti mihi,
ut sint unum sicut et nos, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 198/8

Stant ángeli ad latus altáris,
et sanctíficant sacerdótes corpus et sánguinem Christi,
psalléntes et dicéntes: Glória in excélsis Deo.

POST COMMUNIONEM 198/9

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui salútis fidéliter recólimus sacraménta,
óperum exhibitióne veráciter compleámus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 144, 4. 7 199/1

Generátio generatióni, Dómine, laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt
et iustítia tua exsultábunt.

SUPER POPULUM 199/2

Deus, qui nobis evangélii verbo
ac cæléstì sacraménti virtúte
redemptiónis gesta recúrsu réparas salutári,
da, ut spei nos et caritátis nóviter roboránte proféctu,
Christi valeámus in mundo efficácius reveláre mystérium.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 26, 4 199/3

Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 199/4

Píetas tua, Dómine, quǽsumus,
indesinénti nos consolatióne confóveat,
et exsultatiónis ætérnæ consórtium largiátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 199/5

Plebis tuæ, Pater omnípotens,
sacrándum dignáre munus accípere,
et ex eo corda suméntium,
novi grátia sacraménti, ab omni contagióne purífica.
Per Christum.

PRÆFATIO 199/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
laudem tibi, Pater omnípotens,
sincéro plebem corde reférre,
quam mira sapiéntia Fílii tui sánguine redemísti.

Ipsum enim nobis misísti inenarrábili pietáte,
ut eius crucis iniúria
hóminem, quem amóre creáveras,
supérbia sua pérditum ad glóriam revocáres.

Unde et nos tibi grátias ágimus exsultántes,
et tuas virtútes prædicámus,
cum ángelis sanctísque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 22, 5 199/7

Parásti in conspéctu meo mensam, Dómine,
et calix meus redúndat.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 16a 199/8

Nos, qui credídimus,
cognóvimus caritátem,
quam habet Deus in nobis.

POST COMMUNIONEM 199/9

Deus, qui antíqua renovándo mirácula
pópulum tuum cæléesti semper récreas
in fídei peregrinatióne viático,
gressus nostros in viam salútis fáveas sustinére,
ut, in illíus cibi fortitúdine roboráti,
mereámur usque ad vultus tui glóriam perveníre.
Per Christum.

INGRESSA Ps 30, 3b-4 200/1

Esto mihi in rupem præsídii, Dómine,
et in domum munítam, ut salvum me fácias.
Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me.

SUPER POPULUM 200/2

Digne nos hódie, quǽsumus, Dómine,
redemptiónis concéde mystéria celebráre,
ut, tua rursus grátia méntibus renovátis,
salútis ætérnæ restitútam spem in córdibus teneámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lam 3, 24-25 200/3

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;
proptérea exspectábo eum.
Bonus est Dóminus sperántibus in eum,
ánimæ quærénti illum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 200/4

Fidéli corde poscéntibus,
quǽsumus, Dómine, largíre pietátem,
ut, tibi sine intermissióne grátias referéntes,
gubernatiónis tuæ glóriam váleant confitéri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 200/5

Puræ dilectiónis, Dómine, auctor et pacis,
fidélium tuórum oblatiónes et preces placátus inténde,
ut caritátis vínculum,
quod sacraménto maniféstius profitémur,
iúgiter fixum in córdibus teneámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 200/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Pater omnípotens atque clemens,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui unam de géntibus congregátam Ecclésiam
ineffábili sibi caritáte copulávit;
cuius mystérium domínici sacraménto córporis figurátur,
nobísque celebritáte præsénti efficáciter exercétur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 11, 27 200/7

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei,
qui in mundum venísti.

TRANSITORIUM Mt 5, 3. 5 200/8

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
Beáti mites,
quóniam ipsi possidébunt terram.

POST COMMUNIONEM 200/9

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos hódie in nómine Iesu
ad laudem tuórum mirabílium congregásti,
quǽsumus, ut nobíscum semper ipsum iuxta promíssa manéntem
lætánter experíri in caritáte possímus.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Is 37, 17a. 20 201/1

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi;
Dómine, Deus noster, salva nos,
ut cognóscant omnes quia tu es Deus solus.

SUPER POPULUM 201/2

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis,
et cleménter grátiæ tuæ super eos dona multíplica,
ut, spei, fídei et caritátis amóre fervéntes,
semper in mandátis tuis vígili custódia persevérent.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ier 29, 13. 14 201/3

Quærétis me et inveniétis, dicit Dóminus,
cum quæsiéritis me in toto corde vestro.
Et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 201/4

Maiestátem tuam, Deus, supplíciter exorámus,
ut ab Ecclésia tua, quidquid est nóxium, tua virtúte repéllas,
et, quod eídem est salutáre, tua cleméntia largiáris.
Per Christum.

SUPER OBLATA 201/5

Concéde nobis, Deus, supplicatióne placátus,
ut hæc nostra tibi oblátio sit accépta,
et ea nobis fons omnis benedictiónis inúndet.
Per Christum.

PRÆFATIO 201/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui peccatórum vúlnera abundantióre cleméntia resanásti,
ut ad vitam occásum nostrum tuæ poténtia virtútis erígeres.

Qui sanctitátis Spíritum nostris lárgiter pectóribus infudísti, ut beátæ resurrectiónis et hereditátis ætérnæ dona præstáres.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis, ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20b 201/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Io 17, 20-21 201/8

Pater, pro eis rogo, qui creditúri sunt,
ut et ipsi in nobis sint,
ut mundus credat quia tu me misísti,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 201/9

Plenum, quǽsumus, Dómine,
in nobis remédium tuæ miseratiónis operáre,
ac tales nos esse pérfice propítius et fovéri,
ut tibi in ómnibus placére valeámus.
Per Christum.

Locum dominicæ XXXII « per annum » tenet sollemnitas D. N. Iesu Christi universorum Regis.

INGRESSA 1 Par 16, 9-11 202/1

Cánite Dómino et psállite
et narráte ómnia mirabília eius.
Laudáte nomen sanctum eius,
lætétur cor quæréntium Dóminum.
Quǽrite Dóminum et virtútem eius,
quǽrite fáciem eius semper.

SUPER POPULUM 202/2

Deus, qui per adoptiónem grátiæ nos lucis esse fílios voluísti,
præsta, quǽsumus, ut non errórum ténebris involvámur,
sed veritátis semper maneámus in splendóre conspícui.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Nah 1, 7. 3a 202/3

Bonus Dóminus, et refúgium in die tribulatiónis
et sciens sperántes in se.
Dóminus pátiens et magnus fortitúdine.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 202/4

Deus, cuius spíritu régimur,
cuius protectióne servámur,
præténde nobis misericórdiam tuam,
et exorábilis tuis esto supplícibus,
ut in te credéntium fides tuis semper benefíciis adiuvétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 202/5

Fiat hoc sacrifícium, Dómine, oblátio tibi munda,
et nobis misericórdiæ tuæ sancta largítio.
Per Christum.

PRÆFATIO 202/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui condiciónem nobis præsignásti
quod in hoc sǽculo nascerémur,
ut facultátem in ætérno regno tribúeres sine fine vivéndi.

Qui de limo genus humánum verbi tui virtúte plasmásti,
ut grátiæ cæléstis abundántia tua pietáte repléres.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 103, 13b. 14c-15a 202/7

De fructu óperum tuórum, Dómine, sátias terram,
edúcens panem de terra et vinum,
quod lætíficat cor hóminis.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 10, 16 202/8

Calix benedictiónis, cui benedícimus,
communicátio sánguinis Christi est;
et panis, quem frángimus,
communicátio córporis Dómini est.

POST COMMUNIONEM 202/9

Mentes nostras et córpora, Dómine,
doni cæléstis operátio comprehéndat,
ut non noster sensus in nobis,
sed eius prævéniat semper efféctus.
Per Christum.

ALIÆ ORATIONES «PER ANNUM»

203 I

SUPER POPULUM 203/2

Deus, refúgium páuperum, spes humílium salúsque miserórum,
supplicatiónem pópuli tui cleménter exáudi,
ut abundántia remediórum omnes fáciat consolátos.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 203/4

Deus, qui es mirábilis in opéribus,
iustus in iudíciis, largus in donis,
multíplica super nos misericórdiam tuam,
et, quia tu nobis es causa meritórum,
custódi quod tríbuis, ut invénias quod corónes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 203/5

Súscipe, Dómine, sacra múnera,
quæ tuo nómini dicánda iussísti,
et, ut per ea tuæ pietáti reddámur accépti,
fac nos tuis semper obœdíre mandátis.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 203/9

Fac nos, quǽsumus, Dómine,
cæléstium rerum frequentatióne profícere,
ut et temporálibus benefíciis adiuvémur
et tua benignitáte erudiámur ætérnis.
Per Christum.

SUPER POPULUM 204/2

Deus, qui omnipoténtiam tuam
parcéndo máxime et miserándo maniféstas,
multíplica super nos grátiam tuam,
ut, ad tua promíssa curréntes,
cæléstium bonórum fácias esse consórtes.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 204/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui factúram tuam pio gubérnas semper afféctu,
aurem tuam supplicatiónibus nostris benígnus inclína,
et tuos plácido vultu fámulos intuére.
Per Christum.

SUPER OBLATA 204/5

Munéribus nostris, Dómine, placátus inténde,
et tuo benefício roborátis
æternitátis tuæ dona concéde.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 204/9

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter deprecámur,
ut, sicut nos córporis et sánguinis sacrosáncti pascis aliménto,
ita divínæ natúræ fácias esse consórtes.
Per Christum.

ORDO MISSAE

ORDO MISSAE CUM POPULO

RITUS INITIALES 205

1 Populo congregato, sacerdos cum ministris ad altare accedit, dum cantus ad ingressam peragitur.

2 Cum ad altare pervenerit, facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur et, pro opportunitate, illud incensat.

Si adest diaconus, sacerdos incensat tantum crucem et mensam, et diaconus complet incensationem totius altaris per circuitum.

Postea cum ministris sedem petit.

Cantu ad ingressam absoluto, sacerdos et fideles, stantes, signant se, dum sacerdos, ad populum conversus, dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. 205/a

Populus respondet:

Amen.

℣ In nó- mi- ne Pa- tris et Fí- li- i

et Spí- ri- tus san- cti. ℟ A- men.


Deinde sacerdos, manus extendens, populum salutat, dicens:

I formula:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi, 205/b
et cáritas Dei,
et communicátio sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.



II formula:


Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro 205/c
et Dómino Iesu Christo.

Populus respondet:

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.

vel:

Et cum spíritu tuo.



III formula:


Dóminus vobíscum. 205/d

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Episcopus, loco Dóminus vobíscum, in hac salutatione dicit:

Pax vobis. 205/e





3 Sacerdos, vel diaconus vel alius minister idoneus, potest brevissimis verbis introducere fideles in missa illius diei.

Deinde sequitur actus pænitentialis.

Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, 205/f
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

I formula:

Fit brevis pausa silentii.

Deinde sacerdos, vel alius minister idoneus, sequentes, vel alias, invocationes cum Kýrie, eléison profert:

Qui missus es sanáre contrítos corde: 205/g
Kýrie eléison.

Populus respondet:

Kýrie eléison.

Sacerdos:

Qui peccatóres vocáre venísti:
Kýrie eléison.

Populus:

Kýrie eléison.

Sacerdos:

Qui ad déxteram Patris sedes,
ad interpellándum pro nobis:

Kýrie eléison.

Populus:

Kýrie eléison.

II formula:

Fit brevis pausa silentii.

Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres, 205/h
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper vírginem,
omnes ángelos et sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

III formula:

Fit brevis pausa silentii.

Postea sacerdos dicit:

Miserére nostri, Dómine. 205/i

Populus respondet:

Quia peccávimus tibi.

Sacerdos:

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Populus:

Et salutáre tuum da nobis.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus 205/l
et, dimíssis ómnibus peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:


Amen.

Loco actus pænitentialis fieri potest ritus aspersionis aquæ benedictæ in omnibus missis dominicæ, iis etiam quæ horis vespertinis sabbati anticipantur, in omnibus ecclesiis et oratoriis.


4 Si celebratio initiatur vera processione omittitur actus pænitentialis.

5 Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus:

Tonus simplex



Tonus festivus



Glória in excélsis Deo 205/m
et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.

Laudámus te,
benedícimus te,
adorámus te,
glorificámus te,
grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam,
Dómine Deus, rex cæléstis,
Deus Pater omnípotens.

Dómine Fili unigénite, Iesu Christe,
Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris,
qui tollis peccáta mundi, miserére nobis;
qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatiónem nostram.

Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis.
Quóniam tu solus Sanctus, tu solus Dóminus,
tu solus Altíssimus,
Iesu Christe, cum sancto Spíritu: in glória Dei Patris.
Amen.

6 Quo hymno finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit **orationem super populum**; qua finita, populus acclamat:

Amen.

7 Deinde lector ad ambonem pergit, et legit **primam lectionem**, quam omnes sedentes auscultant.

Lector priusquam nuntiet lectionis titulum, se inclinans versus sacerdotem, petit benedictionem, clara voce, dicens:

Iube, domne, benedícere.

Cui sacerdos, clara voce, respondet si lectio est e Vetere Testamento:

Prophética léctio ✠ sit nobis salútis erudítio.

Si lectio est e Novo Testamento:

Apostólica léctio ✠ sit nobis salútis erudítio.

Si idem est lector pro ambabus lectionibus:


Divína léctio ✠ sit nobis salútis erudítio.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.



℣ Ver- bum Dó- mi- ni. ℟ De- o grá- ti- as.

Si lectio est passio vel depositio sancti patroni vel titularis ecclesiæ:


Ecclesiástica léctio ✠ sit nobis salútis erudítio.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:


**Regnánte Dómino nostro Iesu Christo,
cui est honor et glória,
in sǽcula sæculórum.**

Omnes acclamant:

Amen.



Re- gnán- te Dó- mi- no no-stro Ie- su Chri- sto, cu- i



est ho-nor et gló- ri- a in sǽcu-la sæcu-ló-rum. ℟ A- men.

Si idem est lector pro ecclesiastica lectione et altera e sacra scriptura:

Lege ✠ in nómine Dómini.

Pro his formulis semper illa brevior adhiberi potest:

Lege ✠ in nómine Dómini.

8 Psalmista, seu cantor, psalmum dicit, populo responsum proferente.

9 Postea, si habenda sit secunda lectio, lector eam in ambone legit ut supra, benedictionem clara voce petens:

Iube, domne, benedícere.

Cui sacerdos, clara voce, respondet adhibendo idoneam benedictionis formulam ex præcedentibus.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.



℣ Ver- bum Dó- mi- ni. ℟ De- o grá- ti- as.

10 Sequitur allelúia, vel alter cantus.

11 Si fit una lectio, habetur tantum psalmus, omisso allelúia vel altero cantu. (Cf. autem *Institutio,* n. 37/a.)

12 Interim sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Postea diaconus evangelium prolaturus ad ambonem pergit, ministris pro opportunitate cum incenso et cereis eum comitantibus.

Ibi ad sacerdotem versus, se inclinans, benedictionem petit, clara voce, dicens:

Iube, domne, benedícere.

Sacerdos, clara voce, dicit:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis,
ut digne et competénter annúnties evangélium suum:
in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus sancti.

Diaconus respondet:

Amen.

Si vero non adest diaconus, sacerdos ante altare inclinatus secreto dicit:

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

Postea ad ambonem pergit, ministris pro opportunitate cum incenso et cereis eum comitantibus.

13 Diaconus, vel sacerdos, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.


Diaconus, vel sacerdos:

Léctio sancti evangélii secúndum N.

et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Populus acclamat:

Glória tibi, Dómine.



℣ Lé- cti- o san-cti e- van- gé- li- i se- cún-dum



Mat- thǽ- um. ℟ Gló- ri- a ti- bi, Dó- mi- ne.
Mar- cum.
Lu- cam.
Io- án- nem.

Deinde diaconus, vel sacerdos, librum, si incensum adhibetur, turificat, et evangelium proclamat.

14 Finito evangelio, diaconus, vel sacerdos dicit:

Verbum Dómini.

omnibus acclamantibus:

Laus tibi, Christe.



In fine: ℣ Ver- bum Dó- mi- ni. ℟ Laus ti- bi, Chri- ste.

Deinde librum osculatur nihil dicens.

15 Deinde fit homilia, quæ habenda est omnibus diebus dominicis et festis de præcepto; aliis diebus commendatur.

16 Canitur vel dicitur antiphona post evangelium ante vel post homiliam. Interim ministri corporale, purificatorium et vasa sacra in altari collocant.


17 Deinde fit oratio universalis, seu oratio fidelium.

Sacerdos introducit orationem fidelium, quam concludit **oratio ad complendam liturgiam verbi,** quæ numquam omittitur.

18 Dum intentiones enuntiantur, fideles possunt genua flectere.

In hoc casu diaconus vel minister, post introductionem sacerdotis orationis universalis seu orationis fidelium, dicit his vel similibus verbis:

Flectámus génua.




et omnes genuflectunt.

Ante sacerdotis orationem conclusivam diaconus vel minister dicit:

Corrígite vos ad oratiónem.

et omnes respondent:


Ad te, Dómine.



et se erigunt.

19 Priusquam offertorium incipiat, pro opportunitate, fit ritus pacis, cui diaconus, vel sacerdos, introducit his vel similibus verbis:

Pacem habéte. 207/a



Diaconus: Pa- cem ha- bé- te.

et omnes pacem et caritatem sibi invicem significant; sacerdos pacem dat diacono vel ministro.

Attamen ritus pacis ante communionem celebrari potest.

20 His absolutis, incipit cantus ad offertorium.

21 Expedit ut fideles participationem suam oblatione manifestent, afferendo sive panem et vinum ad eucharistiæ celebrationem, sive alia dona, quibus necessitatibus Ecclesiæ et pauperum subveniatur.

Sacerdos benedicit singulos offerentes dicens:

Benedícat te Dóminus ✠ et hoc tuum munus. 207/b

22 Sacerdos, stans ad altare, accipit patenam cum pane, eamque aliquantulum elevatam super altare tenet, secreto dicens:

Súscipe, clementíssime Pater, hunc panem, 207/c
ut fiat Unigéniti tui Corpus.

Deinde deponit patenam cum pane super corporale.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdos hæc verba elata voce profert; in fine populus acclamat:

Amen.

Alteram formulam sacerdos adhibere potest:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi, 207/d
quia de tua largitáte accépimus panem,
quem tibi offérimus,
fructum terræ et óperis mánuum hóminum:
ex quo nobis fiet panis vitæ.

In fine populus acclamat:

Benedíctus Deus in sǽcula.

23 Diaconus, vel sacerdos, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens:

De látere Christi exívit sanguis et aqua páriter. 207/e

24 Postea sacerdos accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, secreto dicens:

Súscipe, clementíssime Pater, hunc cálicem, 207/f
vinum aqua mixtum,
ut fiat Unigéniti tui Sanguis.

Deinde calicem super corporale deponit.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdos hæc verba elata voce profert; in fine populus acclamat:

Amen.

Alteram formulam sacerdos adhibere potest:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi, 207/g
quia de tua largitáte accépimus vinum,
quod tibi offérimus,
fructum vitis et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet potus spiritális.

In fine populus acclamat:

Benedíctus Deus in sǽcula.

25 Postea sacerdos, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto 207/h
suscipiámur a te, Dómine;
et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

26 Sacerdos, pro opportunitate, incensat oblata, crucem et altare in mensa; diaconus, si adest, sacerdotem, altare per circuitum, et clerum; postremo minister diaconum et populum.

27 Sacerdos, si necesse est, stans ad latus altaris, lavat manus, nihil dicens.

28 Deinde fit, quando præscribitur, professio fidei, in quam celebrans opportune his vel similibus verbis populum inducit:


Fratres, ad sacraméntum unitátis efficáciter celebrándum, 207/i
cathólicam fidem una voce proclamémus:

vel:

Fratres, ab uno Christi Spíritu congregáti, 207/l
fídei cathólicæ sýmbolum sincéro corde dicámus:

vel:

Fratres, ut unívus panis et cálicis partícipes esse possímus, 207/m
nostram totiúsque Ecclésiæ cathólicæ
veram fidem profiteámur:



Credo in unum Deum, 207/n
Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,
visibílium ómnium et invisibílium.

Et in unum Dóminum Iesum Christum,
Fílium Dei unigénitum,
et ex Patre natum ante ómnia sǽcula.
Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero,
génitum, non factum, consubstantiálem Patri,
per quem ómnia facta sunt.
Qui propter nos hómines et propter nostram salútem
descéndit de cælis.

Ad verba quæ sequuntur, usque ad factus est, omnes se inclinant.

Et incarnátus est de Spíritu sancto
ex María vírgine, et homo factus est.
Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,
et ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Patris.
Et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.

Et in Spíritum sanctum, Dóminum et vivificántem,
qui ex Patre Filióque procédit.
Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur,
qui locútus est per prophétas.

Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.
Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.
Et exspécto resurrectiónem mortuórum,
et vitam ventúri sǽculi. Amen.

29 Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit **orationem super oblata**; qua finita, populus acclamat:

Amen.

30 Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam.

Manus extendens, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos, manus elevans, prosequitur:

Sursum corda.

Populus:

Habémus ad Dóminum.


Sacerdos, manibus extensis, subdit:


Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Populus:

Dignum et iustum est.









Sacerdos prosequitur præfationem manibus extensis.

℣. Ve- re di- gnum et iu- stum est, æ- quum

et sa- lu- tá- re, nos ti- bi sem- per, hic et

u- bí- que, grá- ti- as á- ge- re, Dó- mi- ne,

san- cte Pa- ter, om- ní- po- tens æ- tér- ne De- us:

* per Chri- stum Dó- mi- num no- strum.

loco per Christum... aliquando canitur:

per e- ún- dem Chri- stum Dó- mi- num no- strum.

Præfatio etiam aliis modis initiatur et terminatur:

Per quem ma- ie- stá- tem tu- am lau- dant án- ge- li,

ve- ne- rán- tur ar- chán- ge- li, thro- ni, do- mi-

na- ti- ó- nes, vir- tú- tes, prin- ci- pá- tus et po- te-

stá- tes a- dó- rant. Quem ché- ru- bim, et sé- ra- phim

só- ci- a ex- sul- ta- ti- ó- ne con- cé- le- brant.

Cum qui- bus et no- stras vo- ces ut ad- mít- ti

iú- be- as, de- pre- cá- mur, súp- pli- ci con-

fes- si- ó- ne di- cén- tes:


vel sic: Quam lau- dant án- ge- li,... vel sic: Et í- de- o

cum án- ge- lis et ar- chán- ge- lis, cum thro- nis


ac do- mi- na- ti- ó- ni- bus, cum- que om- ni mi-

lí- ti- a cæ- lé- stis e- xér- ci- tus, hymnum gló- ri- æ


tu- æ cá- ni- mus, si- ne fi- ne di- cén- tes:




vel sic: Pro- pté- re- a cum án-ge- lis et archán ge- lis...




vel sic: Un- de pro- fú- sis [T.P. pro- fú- sis pa- schá - li-bus]



gáu-di- is, to- tus in orbe ter-rá-rum mun-dus exsúl-tat,



sed et su- pér-næ vir- tú- tes at-que an- gé- li- cæ




cón- ci- nunt po- te- stá- tes, hym-num gló- ri- æ



tu- æ pér- pe- tim u- na vo- ce di- cén- tes:

Præfatio etiam his aliis sequentibus modis terminatur:



Un- de et nos, Dó- mi- ne, cum án- ge- lis et




san- ctis cá- ni- mus u- ni- vér- sis, ac ti- bi con-




fi- té mur in ex- sul- ta- ti- ó- ne di- cén- tes:

vel sic:




Et í- de- o, cum cho- ris innú-me- ris an-ge- ló- rum,




u- na te ma-gni- fi- cá-mus lau-dis vo- ce, di- cén-tes:


vel sic:



Et í- de- o, cum cæ- ló- rum vir-tú- ti-bus in ter-ris




te iú- gi- ter ce- le-brá-mus, ma- ie-stá- ti tu- æ




si- ne fi- ne cla- mán- tes:

vel sic:




Qua-pró-pter nunc et us-que in sǽ- cu- lum, cum om-



ni an- ge- ló- rum mi- lí- ti- a so- ci- á- ti, de- vó-



ta ti- bi men-te con-cí- ni-mus, u- no cla- mán- tes



o- re at- que di- cén- tes:

vel, in missis sanctorum:

Pro- pté- re- a be- á- to hu- ic, quem có- li- mus,

u- na lau- dis vo- ce so- ci- á-mur, et an-ge- ló-

rum san-cto- rúmque cho- ris, qui- bús- cum il- le te

frú- i- tur, ma- ie- stá- ti tu- æ cán-ti- cum a- do-

ra- ti- ó- nis læ- ti- ti- ǽ-que di- cén- tes:

vel, in missis sanctorum:

Et í- de- o cum il- lo et cun- ctis án- ge- lis

san- ctísque consór- ti-bus tu- am in ex- sul- ta- ti- ó- ne

gló- ri- am ce- le- brá-mus, ti- bí-que lau- dis cán- ti- cum

in- to- ná- mus, u- na vo- ce cla- mán- tes:

In fine autem præfationis iungit manus et, una cum populo, ipsam præfationem concludit, cantans vel clara voce dicens:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

31 In omnibus missis licet sacerdoti celebranti illas partes Precis eucharisticæ cantare, quæ in missis concelebratis cantari possunt.

In Prece eucharistica prima, ea quæ inter parentheses [ ] includuntur omitti possunt.

Hæc Prex semper adhiberi potest, opportunius autem dicitur diebus quibus assignantur Communicántes propria, aut in missis quæ Hanc ígitur propriis ditantur, necnon in festis apostolorum et sanctorum, quorum mentio fit in ipsa Prece; itemque diebus dominicis, nisi, ob rationes pastorales, præferatur alia Prex eucharistica.

32 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Te ígitur, clementíssime Pater, 209/a
per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
súpplices rogámus, et pétimus,

iungit manus et dicit:

uti accépta hábeas

signat semel super panem et calicem simul, dicens:

et benedícas ✠ hæc dona, hæc múnera,
hæc sancta sacrifícia illibáta,

extensis manibus prosequitur:

in primis, quæ tibi offérimus
pro Ecclésia tua sancta cathólica,
quam pacificáre, custodíre, adunáre
et régere dignéris toto orbe terrárum,
una cum fámulo tuo papa nostro N.
et pontífice nostro N.
sed et ómnibus orthodóxis
atque cathólicæ et apostólicæ fídei cultóribus.

33 Commemoratio pro vivis.

1C Meménto, Dómine, 209/b
famulórum famularúmque tuárum N. et N.

Iungit manus et orat aliquantulum pro quibus orare intendit.
Deinde, manibus extensis, prosequitur:

et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est et nota devótio,
pro quibus tibi offérimus,
vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis,
pro se suísque ómnibus,
pro redemptióne animárum suárum,
pro spe salútis et incolumitátis suæ,
tibíque reddunt vota sua
ætérno Deo, vivo et vero.

2C Communicántes, 209/c
et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi,
† sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis sponsi,
et beatórum apostolórum, et mártyrum tuórum,
Petri et Pauli, Andréæ,
[Iacóbi, Ioánnis,
Thomæ, Iacóbi, Philíppi,
Bartholomǽi, Matthǽi,
Simónis et Thaddǽi,
Xysti, Lauréntii, Hippólyti, Vincéntii,
Cornélii, Cypriáni, Cleméntis, Chrysógoni,
Ioánnis et Pauli,
Cosmæ et Damiáni,
Apollináris, Vitális,
Nazárii et Celsi, Protásii et Gervásii,
Victóris, Náboris, Felícis et Caliméri]
et ómnium sanctórum tuórum;
quorum méritis precibúsque concédas,
ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

COMMUNICANTES PROPRIA

In Nativitate Domini et per octavam

35 Communicántes, 209/d
et (noctem sacratíssimam) diem sacratíssimum celebrántes,
(qua) quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas
huic mundo édidit Salvatórem;
sed et memóriam venerántes,
in primis eiúsdem gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi, †

In Epiphania Domini

36 Communicántes, 209/e
et diem sacratíssimum celebrántes,
quo Unigénitus tuus,
in tua tecum glória coætérnus,
in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit;
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi, †

In die sancto Paschæ et per octavam

37 Communicántes, 209/f
et diem sacratíssimum celebrántes
resurrectiónis Dómini nostri Iesu Christi secúndum carnem;
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi, †

In Ascensione Domini

38 Communicántes, 209/g
et diem sacratíssimum celebrántes,
quo Dóminus noster,
unigénitus Fílius tuus,
unítam sibi fragilitátis nostræ substántiam,
in glóriæ tuæ déxtera collocávit;
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi, †

In dominica Pentecostes

39 Communicántes, 209/h
et diem sacratíssimum Pentecóstes celebrántes,
quo Spíritus sanctus
apóstolis innúmeris linguis appáruit;
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ sempérque vírginis Maríæ,
genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi, †

40 Manibus extensis, prosequitur:

CP Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 209/i
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna nos damnatióne éripi,
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.

Iungit manus.

[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

In die sancto Paschæ et per octavam

41 Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 209/l
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus
pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu sancto,
tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna nos damnatióne éripi,
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.

Iungit manus.

[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

42 Tenens manus expansas super oblata, dicit:

CC Quam oblatiónem, quam pietáti tuæ offérimus, 209/m
tu Deus in ómnibus, quǽsumus,
benedíctam, adscríptam, ratam,
rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris,
ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

43 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui prídie, 209/n
quam pro nostra omniúmque salúte paterétur,

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens panem,

elevat oculos,

elevávit óculos ad cælos
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens benedíxit,
fregit,
dedítque discípulis suis, dicens ad eos:

parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

44 Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est, 209/o

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens cálicem,

elevat oculos,

elevávit óculos ad cælos
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
item tibi grátias agens benedíxit,
tradidítque discípulis suis, dicens ad eos:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI,
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Mandans quoque, et dicens ad eos:

HÆC QUOTIESCUMQUE FECERITIS,
IN MEAM COMMEMORATIONEM FACIETIS:
MORTEM MEAM PRÆDICABITIS,
RESURRECTIONEM MEAM ANNUNTIABITIS,
ADVENTUM MEUM SPERABITIS,
DONEC ITERUM DE CÆLIS VENIAM AD VOS.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

45 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 209/p



Et populus prosequitur, acclamans:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

46 Postea, extensis brachiis in modum crucis, sacerdos dicit:

CC Unde et mémores, Dómine, 209/q
nos servi tui,
sed et plebs tua sancta,
Dómini nostri Iesu Christi passiónis,
necnon et ab ínferis mirábilis resurrectiónis,
sed et in cælos gloriosíssimæ ascensiónis,
offérimus præcláræ maiestáti tuæ
de tuis donis ac datis
hóstiam puram,
hóstiam sanctam,
hóstiam immaculátam,
hunc panem sanctum vitæ ætérnæ
et cálicem salútis perpétuæ.

47 Dehinc, extensis manibus, prosequitur:

Supra quæ propítio ac seréno vultu tuo 209/r
respícere dignéris,
et accépta habére,
sícuti accépta habére dignátus es
múnera iusti púeri tui Abel,
et sacrifícium patriárchæ nostri Abrahæ,
et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchísedech,
sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

48 Inclinatus, iunctis manibus, prosequitur:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: 209/s
iube hæc perférri per manus sancti ángeli tui
in sublíme altáre tuum,
ante conspéctum treméndæ maiestátis tuæ,
ut quotquot ex hac altáris participatióne
sacrosánctum Corpus et Sánguinem Dómini nostri
Iesu Christi sumpsérimus,

erigit se atque seipsum signat, dicens:

omni benedictióne cæslésti et grátia repleámur.

Iungit manus.

[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

49 Commemoratio pro defunctis.

Manibus extensis, dicit:

3C Meménto étiam, Dómine, 209/t
famulórum famularúmque tuárum,
qui nos præcessérunt cum signo fídei,
et dórmiunt in somno pacis, N. et N.

Iungit manus et orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit.

Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus,
locum refrigérii, lucis ac pacis,
ut indúlgeas, deprecámur.

Iungit manus.

[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

50 Manu dextera percutit sibi pectus, dicens:

4C Nobis quoque mínimis et peccatóribus, 209/u

et extensis manibus prosequitur:

fámulis tuis, de multitúdine misericórdiæ tuæ sperántibus,
partem áliquam et societátem donáre dignéris
cum tuis sanctis apóstolis et martýribus:
Ioánne et Ioánne, Stéphano, Andréa, Bárnaba,
[Petro, Marcellíno, Agnéte, Cæcília, Felicitáte,
Perpétua, Anastásia, Agatha, Euphémia,
Lúcia, Iustína, Sabína, Thecla, Pelágia atque Catharína]
et cum ómnibus Sanctis tuis,
intra quorum nos consórtium, non æstimátor mériti,
sed véniæ, quǽsumus, largítor admítte.

51 Iungit manus et prosequitur:


CP Per Christum Dóminum nostrum, 209/v
per quem hæc ómnia, Dómine,
semper bona creas, sanctíficas, vivíficas, benedícis,
et nobis fámulis tuis lárgiter præstas,
ad augméntum fídei
et remissiónem ómnium peccatórum nostrórum.

52 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:


Et est tibi Deo Patri omnipoténti, 209/z
ex ipso, et per ipsum, et in ipso,
CC omnis honor, virtus, laus et glória,
impérium, perpetúitas et potéstas
in unitáte Spíritus sancti
per infiníta sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:


Amen.











PREX EUCHARISTICA I in cantu





di- lectíssi-mi Fí- li- i tu- i, Dómi-ni nostri Ie-su Chri-sti.



Qui prí- di- e, quam pro no-stra omni- úm-que sa- lú- te



pa- te- ré- tur, ac- cí- pi- ens pa- nem, e- le- vá- vit


ó- cu- los ad cæ-los ad te De- um Patrem su- um omni-


po- tén- tem, ti- bi grá- ti- as a-gens, be- ne- dí- xit,


fre- git, de- dít-que di- scí- pu- lis su- is, di-cens ad e- os:


AC-CI-PI- TE ET MANDU-CA- TE EX HOC OMNES:


HOC EST E-NIM COR- PUS ME- UM, QUOD PRO


VO- BIS TRA- DE- TUR.

Sí- mi - li mo- do, postquam cœ-ná-tum est, ac-cí- pi-

ens cá- li- cem, e- le- vá vit ó- cu- los ad cæ- los

ad te De- um Pa- trem su- um om- ni- po- tén- tem,

i- tem ti- bi grá- ti- as a- gens be- ne- dí- xit,

tra-di- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di- cens ad e- os:

AC-CI-PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OM- NES:

HIC EST E-NIM CA-LIX SAN-GUI-NIS ME- I,

NO- VI ET Æ-TER-NI TE-STA- MEN- TI, QUI

PRO VO- BIS ET PRO MUL- TIS EF- FUN- DE- TUR

IN RE- MIS- SI- O- NEM PEC- CA- TO- RUM.

Man- dans quo- que, et di- cens ad e- os:

HÆC QUO- TI- ES- CUM- QUE FE- CE- RI- TIS,

IN MEAM COMMEMORA-TI- O-NEM FACI- E-TIS:

MOR-TEM ME- AM PRÆ-DI-CA-BI-TIS, RE- SUR-

RE-CTI- O- NEM ME- AM AN- NUN-TI- A- BI-TIS,

AD- VEN- TUM ME- UM SPE-RA- BI-TIS, DO- NEC

I- TE-RUM DE CÆ- LIS VE- NI- AM AD VOS.

My- sté- ri- um fí- de- i.

Acclamationes, infra, p. 543.

Un- de et mé-mo-res, Dó-mi-ne, nos ser-vi tu- i,

sed et plebs tu- a san- cta, Dó-mi-ni nostri Ie- su

Chri- sti pas- si- ó- nis, nec non et ab ín-fe- ris mi- rá-

bi- lis re- sur- re- cti- ó- nis, sed et in cæ- los glo-ri- o-

sís-si-mæ a-scen- si- ó-nis, of- fé- ri- mus præ- clá- ræ

ma- ie-stá- ti tu- æ de tu- is do- nis ac da- tis hó- sti- am

pu-ram, hó-sti- am san- ctam, hó- sti- am imma-cu-lá-tam,

hunc Pa- nem san- ctum vi- tæ æ- tér-næ, et Cá- li-cem

sa- lú- tis per-pé- tu- æ.

Su-pra quæ pro-pí-ti- o ac se-ré-no vul-tu tu- o re-

spí-ce- re di-gné-ris, et ac-cé- pta ha-bé- re, sí- cu- ti

ac-cé- pta ha- bé- re di-gná- tus es mú-ne-ra iu-sti pú-

e- ri tu- i A- bel, et sa- cri- fí-ci- um pa-tri- ár-chæ no-

stri A- brahæ, et quod ti-bi ób-tu-lit sum-mus sa-cér-

dos tu- us Mel- chí-se- dech, san-ctum sa- cri- fí-ci- um, im-

ma-cu- lá- tam hó-sti- am.

Súp- pli-ces te ro- gá-mus, om-ní-po-tens De- us: iube

hæc per-fér- ri per ma-nus san- cti án-ge-li tu- i in

sub-lí-me al-tá-re tu-um, an-te con-spé-ctum tre-mén-dæ

ma-ie-stá-tis tu-æ, ut quotquot ex hac al-tá-ris par-ti-

ci-pa-ti-ó-ne sa-cro-sán-ctum Cor-pus et Sán-gui-nem

Dó-mi-ni no-stri Ie-su Chri-sti sumpsé-rimus, om-ni

be-ne-di-cti-ó-ne cæ-lé-sti et grá-ti-a re-ple-á-mur.

[Per Chri-stum Dó-mi-num no-strum. A-men.]

PREX EUCHARISTICA II

210

Hæc Prex, ob peculiares ipsius notas, opportunius sumitur diebus infra hebdomadam, vel in peculiaribus rerum adiunctis.

Præfatio ipsi Preci conexa adhiberi potest quando in missa sumenda est præfatio dominicæ præcedentis, scilicet in missis ferialibus per annum vel in missis pro variis necessitatibus, propriis carentibus præfationibus.

Quando missa pro aliquo defuncto celebratur, adhiberi potest peculiaris formula, suo loco, nempe ante Meménto étiam proposita.

53 ℣ Dóminus vobíscum.
℟ Et cum spíritu tuo.

℣ Sursum corda.
℟ Habémus ad Dóminum.

℣ Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟ Dignum et iustum est.

CP Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, 210/a
nos tibi, sancte Pater, semper, hic et ubíque, grátias ágere
per Fílium dilectiónis tuæ Iesum Christum,
Verbum tuum, per quod cuncta fecísti,
quem misísti nobis salvatórem et redemptórem,
incarnátum de Spíritu sancto et ex Vírgine natum.

Qui,voluntátem tuam adímplens
et pópulum tibi sanctum acquírens,
exténdit manus cum paterétur,
ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret.

Et ídeo cum ángelis et ómnibus sanctis
glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

54 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Vere sanctus es, Dómine, fons omnis sanctitátis. 210/b

55 Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

CC Hæc ergo dona, quǽsumus,
Spíritus tui rore sanctífica,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut nobis Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

56 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui, cum passióni voluntárie traderétur, 210/c

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem et grátias agens fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

57 Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est, 210/d

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens et cálicem,
íterum grátias agens dedit discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

58 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 210/e

My- sté- ri- um fí- de- i.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes, p. 543.

59 Deinde sacerdos, extensis brachiis in modum crucis, dicit:

CC Mémores ígitur mortis et resurrectiónis eius, 210/f
tibi, Dómine, panem vitæ
et cálicem salútis offérimus,
grátias agéntes
quia nos dignos habuísti
astáre coram te
et tibi ministráre.

Dehinc, extensis manibus, prosequitur:

Et súpplices deprecámur
ut Córporis et Sánguinis Christi partícipes
a Spíritu sancto congregémur in unum.

1C Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ, 210/g
ut eam in caritáte perfícias
una cum papa nostro N.
et epíscopo nostro N.
et univérso clero.

In missis pro defunctis addi potest:

2C Meménto fámuli tui (fámulæ tuæ) N., 210/h
quem (quam) (hódie) ad te ex hoc mundo vocásti.
Concéde, ut, qui (quæ) complantátus (complantáta) fuit
similitúdini mortis Fílii tui,
simul fiat et resurrectiónis ipsíus.

2C Meménto étiam fratrum nostrórum, 210/i
qui in spe resurrectiónis dormiérunt,
omniúmque in tua miseratióne defunctórum,
et eos in lumen vultus tui admítte.

Omnium nostrum, quǽsumus, miserére,
ut cum beáta Dei genetríce vírgine María,
beátis apóstolis
et ómnibus sanctis,
qui tibi a sǽculo placuérunt,
ætérnæ vitæ mereámur esse consórtes,
et te laudémus
et glorificémus

iungit manus

per Fílium tuum Iesum Christum.

60 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:


CP Per ipsum, 210/1
et cum ipso,
et in ipso,
CC est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Per i- psum, et cum i- pso et in i- pso, est ti- bi

De- o Pa- tri om- ni- po- tén- ti, in u- ni- tá- te



PREX EUCHARISTICA II in cantu

Qui, cum pas- si- ó- ni vo- lun- tá- ri- e tra-

de- ré- tur, ac- cé- pit pa- nem et grá- ti- as a-

gens fre- git, de- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di- cens:

AC-CI-PI-TE ET MANDU-CA-TE EX HOC OMNES:

HOC EST E-NIM COR-PUS ME-UM QUOD PRO

VO- BIS TRA- DE- TUR.

Sí- mi- li mo- do, post- quam ce- ná- tum est, ac-

cí- pi- ens et cá- li- cem, í- te- rum grá- ti- as

a- gens de- dit di- scí- pu- lis su- is, di- cens:

AC-CI-PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OM- NES:

HIC EST E-NIM CA-LIX SAN-GUI-NIS ME- I

NO- VI ET Æ-TER-NI TE-STA- MEN-TI, QUI

PRO VO-BIS ET PRO MUL-TIS EF-FUN-DE- TUR


IN RE-MIS-SI- O-NEM PEC-CA- TO- RUM. HOC

FA-CI- TE IN ME-AM COM-ME-MO-RA-TI-O-NEM.




My- sté- ri- um fí-de- i.


Acclamationes, infra, p. 543.



Mé-mo- res í-gi-tur mor-tis et re- sur-recti- ó-nis e ius,



ti-bi, Dó-mi-ne, pa-nem vi-tæ et cá- li-cem sa- lú- tis



of-fé-ri- mus, grá-ti- as a-gén-tes qui- a nos dignos ha-



bu- í-sti a- stá-re co-ram te et ti- bi mi-ni-strá- re.

Hæc Prex cum qualibet præfatione dici potest. Eius usus præferatur diebus dominicis et festis.

In hac prece adhiberi potest peculiaris formula pro defuncto, suo loco inserenda, nempe post verba: Omnes fílios tuos ubíque dispérsos, tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

61 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Vere sanctus es, Dómine, 211/a
et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra,
quia per Fílium tuum,
Dóminum nostrum Iesum Christum,
Spíritus sancti operánte virtúte,
vivíficas et sanctíficas univérsa,
et pópulum tibi congregáre non désinis,
ut a solis ortu usque ad occásum
oblátio munda offerátur nómini tuo.

62 Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

CC Súpplices ergo te, Dómine, deprecámur, 211/b
ut hæc múnera, quæ tibi sacránda detúlimus,
eódem Spíritu sanctificáre dignéris,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi,

iungit manus

cuius mandáto hæc mystéria celebrámus.

63 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim in qua nocte tradebátur 211/c

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur.

accépit panem
et tibi grátias agens benedíxit,
fregit, dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

64 Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est, 211/d

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens cálicem,
et tibi grátias agens benedíxit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

65 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 211/e



My- sté- ri- um fí- de- i.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes, p. 543.

66 Deinde sacerdos, extensis brachiis in modum crucis, dicit:

CC Mémores ígitur, Dómine, 211/f
eiúsdem Fílii tui salutíferæ passiónis
necnon mirábilis resurrectiónis et ascensiónis in cælum,
sed et præstolántes álterum eius advéntum,
offérimus tibi, grátias referéntes,
hoc sacrifícium vivum et sanctum.

Dehinc, extensis manibus, prosequitur:

Réspice, quæsumus, in oblatiónem Ecclésiæ tuæ 211/g
et, agnóscens hóstiam, cuius voluísti immolatióne placári,
concéde, ut qui Córpore et Sánguine Fílii tui refícimur,
Spíritu eius sancto repléti,
unum corpus et unus spíritus inveniámur in Christo.

1C Ipse nos tibi perfíciat munus ætérnum, 211/h
ut cum eléctis tuis hereditátem cónsequi valeámus,
in primis cum beatíssima vírgine, Dei genetríce, María,
cum beátis apóstolis tuis et gloriósis martýribus
(cum sancto N. sancto diei vel patrono)
et ómnibus sanctis,
quorum intercessióne
perpétuo apud te confídimus adiuvári.

2C Hæc hóstia nostræ reconciliatiónis profíciat, 211/i
quǽsumus, Dómine,
ad totíus mundi pacem atque salútem.
Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo papa nostro N. et epíscopo nostro N.,
cum episcopáli órdine et univérso clero
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Omnes fílios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

† Fratres nostros defúnctos 211/l
et omnes qui, tibi placéntes, ex hoc sǽculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte,
ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,

iungit manus

per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largíris. †

67 Quando hæc prex eucharistica in missis pro defunctis adhibetur, dici potest:

† Meménto fámuli tui (fámulæ tuæ) N., 211/m
quem (quam) (hódie) ad te ex hoc mundo vocásti.
Concéde, ut, qui (quæ) complantátus (complantáta) fuit
similitúdini mortis Fílii tui,
simul fiat et resurrectiónis ipsíus,
quando mórtuos suscitábit in carne de terra
et corpus humilitátis nostræ
configurábit córpori claritátis suæ.

Sed et fratres nostros defúnctos,
et omnes qui, tibi placéntes, ex hoc sǽculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte,
ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,
quando omnem lácrimam abstérges ab óculis nostris,
quia te, sícuti es, Deum nostrum vidéntes,
tibi símiles érimus cuncta per sǽcula,
et te sine fine laudábimus,

iungit manus

per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largíris. †

68 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

CP Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, 211/n
CC est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Per i- psum, et cum i- pso et in i- pso, est ti- bi
De- o Pa- tri om- ni- po- tén- ti, in u- ni- tá- te
Spí- ri- tus san- cti, om- nis ho- nor et gló-ri- a per
óm- ni- a sǽ- cu- la sæ- cu- ló- rum. ℟ A- men.

PREX EUCHARISTICA III in cantu

I- pse e- nim in qua no-cte tra-de-bá-tur ac- cé-

pit pa- nem et ti- bi grá- ti- as a- gens be- ne- dí-

xit, fre- git, de- dít- que di- scí- pu- lis su- is di- cens:


AC-CI- PI-TE ET MANDU-CA- TE EX HOC OMNES:

HOC EST E-NIM COR- PUS ME- UM, QUOD PRO


VO- BIS TRA- DE TUR.

Sí- mi- li mo- do, postquam ce- ná- tum est, ac- cí- pi-


ens cá- li- cem, et ti- bi grá- ti- as a- gens be- ne-




dí-xit, de- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di- cens:




AC-CI-PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OM- NES:




HIC EST E-NIM CA-LIX SAN- GUI-NIS ME- I



NO- VI ET Æ-TER-NI TE-STA- MEN- TI, QUI



PRO VO-BIS ET PRO MUL-TIS EF- FUN- DE- TUR



IN RE- MIS- SI- O- NEM PEC- CA- TO- RUM. HOC



FA-CI- TE IN ME- AM COM- ME-MO-RA-TI- O- NEM.



My- sté- ri- um fí-de- i.

Acclamationes, infra, p. 543.

Mé- mo- res í- gi- tur, Dó- mi- ne, e- iús-dem Fí- li- i tu- i

sa- lu- tí- fe- ræ pas- si- ó- nis nec- non mi- rá- bi- lis re-sur-

re- cti- ó- nis et a- scen- si- ó- nis in cæ- lum, sed et præ-

sto- lán- tes ál- ter-rum e- ius ad- vén- tum, of- fé- ri- mus tibi,

grá- ti- as re- fe- rén- tes, hoc sacri- fí- ci- um vivum et san-ctum.

Hæc Prex præfationem immutabilem habet et summarium historiæ salutis præbet. Adhiberi potest in dominicis « per annum », et in missis ritualibus, pro variis necessitatibus, votivis, in missis sanctorum propriis carentibus præfationibus.

In hanc Precem, ratione structuræ, inseri nequit peculiaris formula pro defuncto.

69 ℣ Dóminus vobíscum.
℟ Et cum spíritu tuo.

℣ Sursum corda.
℟ Habémus ad Dóminum.

℣ Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟ Dignum et iustum est.

CP Vere dignum est tibi grátias ágere, 212/a
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
quia unus es Deus vivus et verus,
qui es ante sǽcula et pérmanes in ætérnum,
inaccessíbilem lucem inhábitans;
sed et qui unus bonus atque fons vitæ cuncta fecísti,
ut creatúras tuas benedictiónibus adimpléres
multásque lætificáres tui lúminis claritáte.

Et ídeo coram te innúmeræ astant turbæ angelórum,
qui die ac nocte sérviunt tibi
et, vultus tui glóriam contemplántes,
te incessánter gloríficant.

Cum quibus et nos et, per nostram vocem,
omnis quæ sub cælo est creatúra
nomen tuum in exsultatióne confitémur, canéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

70 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Confitémur tibi, Pater sancte, 212/b
quia magnus es et ómnia ópera tua
in sapiéntia et caritáte fecísti.

Hóminem ad tuam imáginem condidísti,
eíque commisísti mundi curam univérsi,
ut, tibi soli creatóri sérviens,
creatúris ómnibus imperáret.

Et cum amicítiam tuam, non obœdiens, amisísset,
non eum dereliquísti in mortis império.
Omnibus enim misericórditer subvenísti,
ut te quæréntes invenírent.

Sed et fœdera plúries homínibus obtulísti
eósque per prophétas erudísti in exspectatióne salútis.

Et sic, Pater sancte, mundum dilexísti,
ut, compléta plenitúdine témporum,
Unigénitum tuum nobis mítteres salvatórem.

Qui, incarnátus de Spíritu sancto
et natus ex María vírgine,
in nostra condiciónis forma est conversátus
per ómnia absque peccáto;
salútem evangelizávit paupéribus,
redemptiónem captívis,
mæstis corde lætítiam.

Ut tuam vero dispensatiónem impléret,
in mortem trádidit semetípsum
ac, resúrgens a mórtuis,
mortem destrúxit vitámque renovávit.

Et, ut non ámplius nobismetípsis viverémus,
sed sibi qui pro nobis mórtuus est atque surréxit,
a te, Pater, misit Spíritum sanctum
primítias credéntibus,
qui, opus suum in mundo perfíciens,
omnem sanctificatiónem compléret.

71 Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

CC Quǽsumus ígitur, Dómine, 212/c
ut idem Spíritus sanctus
hæc múnera sanctificáre dignétur,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi

iungit manus

ad hoc magnum mystérium celebrándum,
quod ipse nobis relíquit in fœdus ætérnum.

72 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim, cum hora venísset 212/d
ut glorificarétur a te, Pater sancte,
ac dilexísset suos qui erant in mundo,
in finem diléxit eos,
et cenántibus illis

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem, benedíxit ac fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

73 Postea prosequitur:

Símili modo 212/e

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens cálicem, ex genímine vitis replétum,
grátias egit, dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.
HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

74 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 212/f



My- sté- ri- um fí- de- i.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes, p. 543.

75 Deinde sacerdos, extensis brachiis in modum crucis, dicit:

CC Unde et nos, Dómine, 212/g
redemptiónis nostræ memoriále nunc celebrántes,
mortem Christi
eiúsque descénsum ad ínferos recólimus,
eius resurrectiónem
et ascensiónem ad tuam déxteram profitémur,
et, exspectántes ipsíus advéntum in glória,
offérimus tibi eius Corpus et Sánguinem,
sacrifícium tibi acceptábile et toti mundo salutáre.

Dehinc, extensis manibus, dicit:

Réspice, Dómine, in hóstiam,
quam Ecclésiæ tuæ ipse parásti,
et concéde benígnus ómnibus
qui ex hoc uno pane participábunt et cálice,
ut, in unum corpus a sancto Spíritu congregáti,
in Christo hóstia viva perficiántur,
ad laudem glóriæ tuæ.

1C Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre, 212/h
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, papæ nostri N.,
epíscopi nostri N., et episcopórum órdinis univérsi,
sed et totíus cleri, et offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.

2C Meménto étiam illórum,
qui obiérunt in pace Christi tui,
et ómnium defunctórum,
quorum fidem tu solus cognovísti.

Nobis ómnibus, fíliis tuis, clemens Pater, concéde, 212/i
ut cæléstem hereditátem cónsequi valeámus
cum beáta vírgine, Dei genetríce, María,
cum apóstolis et sanctis tuis
in regno tuo, ubi cum univérsa creatúra,
a corruptióne peccáti et mortis liberáta,
te glorificémus per Christum Dóminum nostrum,

iungit manus

per quem mundo bona cuncta largíris.

76 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

CC Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, 212/l
CP est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.


Per i- psum, et cum i- pso et in i- pso, est ti- bi


De- o Pa- tri om- ni- po- tén- ti, in u- ni- tá- te


Spí- ri- tus san- cti, om- nis ho- nor et gló-ri- a per


óm- ni- a sǽ- cu- la sæ- cu- ló- rum. ℟ A- men.

PREX EUCHARISTICA IV in cantu




















ge- ní- mi- ne vi- tis re- plé- tum, grá- ti- as

e- git, de- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di- cens:

AC-CI-PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OM- NES:

HIC EST E-NIM CA-LIX SAN- GUI-NIS ME- I

NO- VI ET Æ- TER-NI TE-STA- MEN- TI, QUI

PRO VO-BIS ET PRO MUL- TIS EF- FUN-DE- TUR

IN RE-MIS-SI- O-NEM PEC- CA- TO- RUM. HOC

FA- CI- TE IN ME-AM COM- ME-MO- RA-TI- O- NEM.

My- sté- ri- um fí-de- i.

Acclamationes, infra, p. 543.

Un- de et nos, Dó-mi-ne, re-dem-pti- ó-nis nostræ

me-mo-ri- á-le nunc ce-le-brán-tes, mor-tem Chri- sti

e-iús-que de-scén- sum ad ín- fe-ros re-có- li- mus,

e-ius re-sur-re-cti- ó- nem et a-scen-si- ó nem ad tu-am

dé-xte-ram pro-fi-té-mur, et, ex-spe-ctán-tes i-psí- us

ad-vén-tum in gló-ri- a, of-fé-ri-mus ti- bi e-ius Cor-

pus et Sán-gui- nem, sa-cri-fí-ci- um ti-bi ac- ce-ptá-

bi- le et to-ti mun- do sa- lu- tá- re.

PREX EUCHARISTICA V

213

Hæc Prex adhibenda est in missa vespertina feriæ V in Cena Domini; adhiberi quoque potest in missa de Mysterio eucharistico, in ordinationibus sacerdotalibus eorumque anniversariis et in conventibus sacerdotum. In hanc Precem inseri nequit formula pro defuncto.

77 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Vere sanctus, vere benedíctus, Dómine: 213/a
tu nos partícipes Fílii tui,
tu consórtes regni, tu íncolas paradísi,
tu angelórum cómites esse iussísti,
si tamen illǽsa et intemeráta fide
cæléstis milítiæ sacraménta servámus.

Haud quid de tua misericórdia póssumus desperáre,
qui tantum munus accépimus,
ut talem, Spíritus sancti virtúte,
hóstiam tibi offérre mererémur,
Corpus scílicet et Sánguinem Dómini nostri Iesu Christi.

CC Ille enim se pro mundi redemptióne
piæ ac venerándæ trádidit passióni,
qui, formam sacrifícii salútis perénnis instítuens,
hóstiam se primus óbtulit et dócuit primus offérri.
Iungit manus.

78 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui prídie quam pro nostra omniúmque salúte paterétur, 213/b
(in cena Domini additur: hoc est hodiérna die)
discúmbens in médio discipulórum suórum,
accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:
et accípiens panem,
elevat oculos
elevávit óculos ad cælos,
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens,
benedíxit, fregit, dedítque discípulis suis,
dicens ad eos:
parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

79 Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est, 213/c

accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accípiens cálicem,

elevat oculos,

elevávit óculos ad cælos,
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
item tibi grátias agens,
benedíxit, tradidítque discípulis suis,
dicens ad eos:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.


Mandans quoque, et dicens ad eos:

HÆC QUOTIESCUMQUE FECERITIS,
IN MEAM COMMEMORATIONEM FACIETIS:
MORTEM MEAM PRÆDICABITIS,
RESURRECTIONEM MEAM ANNUNTIABITIS,
ADVENTUM MEUM SPERABITIS,
DONEC ITERUM DE CÆLIS VENIAM AD VOS.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

80 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 213/d



My- sté- ri- um fí-de- i.

Et populus prosequitur, acclamans:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

81 Postea, extensis brachiis in modum crucis, sacerdos dicit:

CC Hæc fácimus, hæc celebrámus, 213/e
tua, Dómine, præcépta servántes,
et ad communiónem inviolábilem
hoc ipso quod Corpus Dómini súmimus,
mortem domínicam nuntiámus.

Dehinc, extensis manibus, prosequitur:

Tuum vero est, omnípotens Pater,
míttere nobis unigénitum Fílium tuum,
quem non quæréntibus sponte misísti;
qui, ipse inæstimábilis et imménsus,
Deum quoque ex te imménsum et inæstimábilem genuísti,
ut, cuius passiónem redemptiónem humáni géneris tribuísti,
eius nunc Corpus tríbuas ad salútem.

82 Commemoratio pro vivis.

1C Pópulum hunc acquisitiónis tuæ 213/f
universámque plebem tuam, Dómine, intuére propítius,
quæ una cum papa nostro N.
et epíscopo nostro N.,
sacraménto beátæ passiónis
tuas virtútes fidéliter profitétur
et suæ mirabília récolit libertátis,
ut, sicut in cathólicæ unitátem Ecclésiæ
sincéro congregátur dilectiónis afféctu,
ita in cælésti convívio
beátæ vírginis Maríæ
omniúmque sanctórum
glorióso consórtio sociétur.

83 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

CP Per Dóminum nostrum Iesum Christum, 213/g
CC in quo tibi est honor et glória,
magnificéntia et potéstas,
cum Spíritu sancto a sǽculis et nunc et semper,
et in ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Per Dó-mi-num no-strum Ie-sum Chri-stum, in quo

ti-bi est ho-nor et gló-ri-a, magni-fi-cén-ti-a et po-

té-stas, cum Spí-ri-tu san-cto a sǽ-cu-lis et nunc et

semper, et in ómni-a sǽ-cu-la sæ-cu-ló-rum. ℟ A-men.

Qui prí-di- e quam pro no-stra om-ni- úm-que sa-lú-te

in Cena Domini tantum:

pa- te-ré- tur, [hoc est, ho- di- ér- na di- e,] discúm-bens

in mé-di- o di-sci- pu-ló-rum su- ó- rum, et ac-cí- pi- ens

pa-nem, e-le-vá-vit ó-cu-los ad cæ- los ad te De- um Pa-

trem su- um omni-po- tén-tem, ti-bi grá-ti- as a-gens, be-

ne-dí-xit, fre-git, de-dít-que di-scí-pu-lis su- is, di- cens

ad e- os: AC-CI-PI-TE ET MAN- DU-CA-TE EX

HOC OMNES: HOC EST E-NIM CORPUS ME-UM,

QUOD PRO VO-BIS TRA-DE-TUR.

Sí- mi- li mo- do, post- quam ce- ná- tum est, ac- cí-

pi- ens cá- li- cem, e- le- vá- vit ó- cu- los ad cæ- los

ad te De- ùm Pa- trem su- um om- ni- po- tén- tem,

i- tem ti- bi grá- ti- as a- gens be- ne- dí- xit,

tra- di- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di- cens ad e- os:

AC-CI- PI-TE ET BI- BI-TE EX E- O OM- NES:

HIC EST E-NIM CA-LIX SAN- GUI-NIS ME- I

NO- VI ET Æ- TER-NI TE-STA- MEN- TI, QUI

PRO VO- BIS ET PRO MUL- TIS EF- FUN- DE- TUR

IN RE- MIS- SI- O- NEM PEC- CA- TO- RUM.

Man- dans quo- que, et di- cens ad e- os:

HÆC QUO- TI- ES- CUM- QUE FE- CE- RI- TIS,

IN ME- AM COMMEMORA-TI- O-NEM FACI- E- TIS:

MOR- TEM ME- AM PRÆ- DI-CA-BI-TIS, RE- SUR-

RE-CTI- O- NEM ME- AM AN- NUN- TI- A- BI-TIS,

AD- VEN-TUM ME- UM SPE-RA-BI- TIS, DO- NEC

I- TE- RUM DE CÆ- LIS VE- NI- AM AD VOS.

My-sté- ri- um fí-de- i.

Acclamationes, infra, p. 543.

Hæc fá-ci-mus, hæc ce- le-brá-mus, tu- a, Dó- mi- ne,

præ- cé-pta ser-ván- tes, et ad com- mu- ni- ó- nem in-

vi- o- lá- bi- lem hoc i- psum, quod Cor-pus Dó- mi-

ni sú- mi- mus, mor- tem do-mí-ni- cam nun-ti- á-mus.

PREX EUCHARISTICA VI 214

Hæc Prex adhibenda est in vigilia paschali; adhiberi quoque potest in missis ritualibus de initiatione christiana ac « pro baptizatis ».

84 Sacerdos, manibus extensis, dicit:

CP Vere sanctus, vere benedíctus 214/a
Dóminus noster Iesus Christus Fílius tuus.

CC Qui, cum Deus esset maiestátis ætérnæ,
descéndit de cælo,
formam servi, qui primus períerat,
exinanítus accépit,
et sponte pati dignátus est,
ut eum, quem ipse fécerat, liberáret a morte,
hostiámque Corpus et Sánguinem suum,
per Spíritum sanctum
nobis offeréndam divína pietáte relíquit.

85 In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Prídie enim quam pro nostra omniúmque salúte paterétur, 214/b
discúmbens in médio discipulórum suórum,

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

et accípiens panem,

elevat oculos

elevávit óculos ad cælos,
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens,
benedíxit, fregit, dedítque discípulis suis,
dicens ad eos:

parum se inclinat

ACCIPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADETUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

86 Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est, 214/c

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens cálicem,

elevat oculos

elevávit óculos ad cælos,
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
item tibi grátias agens,
benedíxit, tradidítque discípulis suis,
dicens ad eos:

parum se inclinat

ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.


Mandans quoque, et dicens ad eos:

HÆC QUOTIESCUMQUE FECERITIS,
IN MEAM COMMEMORATIONEM FACIETIS:
MORTEM MEAM PRÆDICABITIS,
RESURRECTIONEM MEAM ANNUNTIABITIS,
ADVENTUM MEUM SPERABITIS,
DONEC ITERUM DE CÆLIS VENIAM AD VOS.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

87 Deinde dicit:

CP Mystérium fídei. 214/d



My-sté- ri- um fí-de- i.

Et populus prosequitur, acclamans:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

88 Postea, extensis brachiis in modum crucis, sacerdos dicit:

CC Ipsíus præcéptum est, Dómine, quod ágimus, 214/e
cuius nunc te præséntia postulámus.

Dehinc, extensis manibus, prosequitur:

Da sacrifício auctórem suum,
ut impleátur fides rei in sublimitáte mystérii,
ut, sicut veritátem sacrifícii cæléstis exséquimur,
sic veritátem domínici Córporis et Sánguinis hauriámus.

1C Hoc vero, Pater omnípotens, 214/f
dignéris sacrifícium paschále suscípere,
quod in communióne Dei genetrícis Maríæ
omniúmque electórum,
una cum papa nostro N.
et pontífice nostro N.,
tibi, grátias agéntes, in humilitáte cordis offérimus,
pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa,
† et, Spíritus operánte virtúte,
domínica caritáte conéxa;
pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto; †

In missa vigiliæ paschalis et in qua baptisma celebratur:

† et domínica caritáte conéxa;
pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro novis præsértim his fíliis
quos ex aqua et Spíritu sancto regeneráre dignátus es; †

pro frátribus nostris,
qui nos in spe advéntus regni tui ac fidúcia præcessérunt,
ut ómnium nómina scripta téneas in libro vivéntium,
et omnes invénias in Christo Iesu Dómino nostro.

Iungit manus.

89 Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

CP In quo tibi Deo Patri omnipoténti 214/g
CC est honor et glória,
magnificéntia et potéstas,
cum Spíritu sancto a sǽculis et nunc et semper,
et in ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

In quo ti-bi De- o Pa-tri om-ni-po-tén-ti est ho-nor et gló-ri-a, ma-gni-fi-cén-ti-a et po-té-stas, cum Spí-ri-tu san-cto a sǽ-cu-lis et nunc et sem-per, et in óm-ni-a sǽ-cu-la sæ-cu-ló-rum. ℟ A- men.

PREX EUCHARISTICA VI in cantu

Prí-di- e e-nim quam pro nostra om-ni- úmque sa-lú-te

pa-te-ré-tur, discúm-bens in mé-di- o di- sci- pu- ló- rum

su- ó- rum, et ac- cí-pi- ens pa- nem, e- le- vá- vit

ó-cu- los ad cæ- los, ad te De- um Pa- trem su- um

om- ni- po- tén- tem, ti- bi grá- ti- as a- gens, be-ne- dí-xit,

fre- git, de- dít- que di- scí- pu- lis su- is, di-cens ad e- os:

AC-CI-PI- TE ET MANDU- CA- TE EX HOC OMNES:

HOC EST E-NIM COR- PUS ME- UM, QUOD PRO

VO- BIS TRA- DE- TUR.

Sí- mi- li mo- do, postquam ce- ná- tum est, ac-cí-pi- ens

cá- li-cem, e-le-vá-vit ó- cu-los ad cæ- los, ad te De- um

Patrem su- um omni-po-téntem, i-tem ti-bi grá- ti- as agens,

bene-dí-xit, tra-di-dítque discí- pulis su- is, di-cens ad e- os:

AC-CI- PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OM- NES:

HIC EST E-NIM CA-LIX SAN-GUI-NIS ME- I,

NO- VI ET Æ- TER-NI TE-STA- MEN- TI, QUI

PRO VO- BIS ET PRO MUL- TIS EF- FUN-DE- TUR

IN RE- MIS- SI- O- NEM PEC- CA- TO- RUM.

Man- dans quo- que, et di- cens ad e- os:

HÆC QUO-TI-ES-CUM-QUE FE-CE-RI-TIS, IN

ME-AM COM-ME-MO-RA-TI-O-NEM FA-CI-E-TIS:

MOR-TEM ME-AM PRÆ-DI-CA-BI-TIS, RE-SUR-


RE-CTI-O-NEM ME-AM AN-NUN-TI-A-BI-TIS,

AD-VEN-TUM ME-UM SPE-RA-BI-TIS, DO-NEC


I-TE-RUM DE CÆ-LIS VE-NI-AM AD VOS.

My-sté-ri-um fí-de-i.


Acclamationes, infra, p. 543.




I-psí- us præ-cé-ptum est, Dó- mi-ne, quod á-gi-mus,




cu-ius nunc te præ- sén- ti- a po-stu-lá-mus. Da sa-cri- fí-




ci- o au- ctó- rem su- um, ut im-ple- á- tur fi-des re- i



in su-bli- mi-tá- te my- sté- ri- i, ut, si-cut ve-ri-tá-tem




cæ- lé-stis sa-cri- fí- ci- i ex- sé- qui- mur, sic ve- ri- tá- tem





do- mí-ni- ci Cór- po- ris et Sán- gui- nis hau- ri- á- mus.

ACCLAMATIONES POST CONSECRATIONEM




















90 Calice et patena depositis, sacerdos accipit hostiam eamque super patenam vel calicem frangit, et particulam immittit in calicem. Interim cantatur vel dicitur confractorium.


Deinde sacerdos, iunctis manibus, dicit his vel similibus verbis:

Præcéptis salutáribus móniti, 215/a
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:



Extendit manus, et una cum populo pergit:

Pater noster, qui es in cælis,
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.



no- men tu- um; ad- vé- ni- at re-gnum tu- um; fi- at

vo- lún- tas tu- a, si-cut in cæ- lo et in ter- ra.

Pa- nem no- strum co- tidi- á- num da no- bis hó- di- e;

et di- mít te no- bis dé- bi- ta no- stra, si-cut et nos

di- mít- ti- mus de- bi- tó- ri- bus no- stris; et ne nos in-

dúcas in ten-ta-ti- ó-nem; sed lí- be- ra nos a ma- lo.

91 Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis, 215/b
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri,
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

Populus orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum,
et potéstas, et glória
in sǽcula.

Lí-be-ra nos, quǽ-su-mus, Dó-mi-ne, ab óm-ni-bus

ma-lis, da pro-pí-ti-us pa-cem in di-é-bus no-stris,

ut, o-pe mi-se-ri-cór-di-æ tu-æ a-diú-ti, et a

pec-cá-to si-mus sem-per lí-be-ri et ab om-ni per-

tur-ba-ti-ó-ne se-cú-ri, ex-spe-ctán-tes be-á-tam spem

et ad-vén-tum Sal-va-tó-ris no-stri Ie-su Christi.

℟ Qui-a tu-um est regnum, et po-téstas, et gló-ri-a

in sǽ-cu-la.

92 Deinde sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:


Dómine Iesu Christe, qui dixísti apóstolis tuis: 215/c
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis,
ne respícias peccáta nostra, sed fidem Ecclésiæ tuæ,
eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre, custodíre,
et régere dignéris propítius.


Iungit manus.


Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.


Populus respondet:


Amen.
















93 Sacerdos, ad populum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax et communicátio Dómini nostri Iesu Christi 215/d
sit semper vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.





94 Deinde, pro opportunitate, diaconus, vel sacerdos, nisi pax iam data est, subiungit:

Offérte vobis pacem. 215/e



Of- fér-te vo-bis pa-cem.

Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant; sacerdos pacem dat diacono vel ministro.

95 Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, 215/f
qui pro voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu sancto,
per mortem tuam mundum univérsum vivificásti,
líbera me, óbsecro,
per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum
a cunctis iniquitátibus et univérsis malis,
et fac me tuis obœdíre mandátis,
et a te numquam separári permíttas.

vel:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, 215/g
da mihi hoc Corpus Iesu Christi Fílii tui, Dómini mei,
ita súmere,
ut non sit mihi ad iudícium,
sed ad remissiónem ómnium peccatórum meórum.

96 Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, ad populum versus, clara voce dicit:

Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt. 215/h
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Et una cum populo semel subdit:

Dómine, non sum dignus,
ut intres sub tectum meum,
sed tantum dic verbo,
et sanábitur ánima mea.

97 Et sacerdos, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam. 215/i

Et reverenter sumit Corpus Christi.

Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi.

98 Postea accipit patenam vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi. 215/1

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

Eo modo agit et diaconus, si sacram communionem distribuit.

99 Si adsint sub utraque specie communicandi, servetur ritus suo loco descriptus.

100 Dum sacerdos sumit Corpus Christi, incipit transitorium seu cantus ad communionem.

101 Distributione communionis expleta, sacerdos vel diaconus purificat patenam super calicem et ipsum calicem.

102 Tunc sacerdos ad sedem redire potest. Pro opportunitate sacrum silentium, per aliquod temporis spatium, servari, vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

103 Deinde, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant, nisi silentium iam præcesserit.

Deinde sacerdos, manibus extensis, dicit **orationem post communionem.**

Populus in fine acclamat:

Amen.


104 Sequuntur, si habendæ sint, breves annuntiationes ad populum.


105 Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum. 216/a

Populus respondet:


Et cum spíritu tuo. Kýrie eléison, Kýrie eléison, Kýrie eléison.





vel, in tono sollemniori:






Sacerdos benedicit populum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus, 216/b
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

Populus respondet:

Amen.






Quibusdam diebus vel occasionibus, huic formulæ benedictionis substituitur, iuxta rubricas, alia formula benedictionis sollemnior (cf. pp. 559-572).

106 Deinde diaconus, vel ipse sacerdos, manibus iunctis, ad populum versus dicit:

Procedámus cum pace. 216/c

Populus respondet:

In nómine Christi.



107 Deinde sacerdos altare osculo de more veneratur, ut initio. Facta denique debita reverentia cum ministris, recedit.

108 Si qua actio liturgica immediate sequatur, ritus dimissionis omittuntur vel transferuntur.

ORDO MISSAE SINE POPULO

RITUS INITIALES 217

1 Sacerdos, facta cum ministro debita reverentia, signat se, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

Minister respondet:

Amen.

2 Tunc sacerdos, ad ministrum conversus et manus extendens, eum salutat, dicens:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Adhiberi possunt etiam aliæ formulæ salutationis, quæ in ordinario inveniuntur.

3 Postea sacerdos et minister faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et tibi, frater,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper vírginem,
omnes ángelos et sanctos,
et te, frater, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis ómnibus peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Minister respondet:

Amen.

4 Tunc sacerdos ascendit ad altare, illud veneratur osculo, et accedit ad missale in sinistro latere altaris collocatum, et legit cantus ad ingressam.

5 Deinde, quando præscribitur, sacerdos et minister simul dicunt hymnum Glória in excélsis Deo.

6 Quo finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et, facta aliqua pausa silentii, extendit manus et dicit **orationem super populum**; qua expleta, minister acclamat:

Amen.

LITURGIA VERBI 218

7 Tunc minister, benedictionem petens, vel ipse sacerdos legit primam lectionem, psalmum et, si habenda est, secundam lectionem necnon alterum cantum.

8 Deinde sacerdos, inclinatus, secreto dicit:

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

9 Postea, iunctis manibus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos:

Léctio sancti evangélii secúndum N.,
et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Minister acclamat:

Glória tibi, Dómine.

Deinde sacerdos evangelium legit. Quo finito, librum osculatur, nihil dicens.

Minister autem acclamat:

Laus tibi, Christe.

Dicitur antiphona post evangelium.

10 Postea fieri potest oratio universalis seu oratio fidelium, in qua ipse sacerdos etiam intentiones profert, ministro respondente.

Oratio ad complendam liturgiam verbi numquam omittenda est.

11 Minister corporale, purificatorium et calicem super altare deponit, nisi iam initio missæ ibidem sint posita. Sacerdos ad medium altaris accedit et, pro opportunitate, pacem dat ministro.

12 Tunc minister affert patenam cum pane, quam sacerdos accipit et aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens:

Súscipe, clementíssime Pater, hunc panem,
ut fiat Unigéniti tui Corpus.

Deponit deinde patenam cum pane super corporale.

Alteram formulam sacerdos adhibere potest, ut in ordinario.

13 Postea sacerdos infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens:

De látere Christi exívit sanguis et aqua páriter.

14 Postea accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, dicens:

Súscipe, clementíssime Pater, hunc cálicem,
vinum aqua mixtum,
ut fiat Unigéniti tui Sanguis.

Deinde calicem super corporale deponit.

Alteram formulam sacerdos adhibere potest, ut in ordinario.

15 Postea sacerdos, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto
suscipiámur a te, Dómine;
et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

16 Quando dicendum est, sacerdos et minister simul dicunt symbolum.

17 Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit **orationem super oblata**; qua finita, minister acclamat:

Amen.

18 Tunc sacerdos dicit Precem eucharisticam, iuxta normas, quæ in singulis Precibus eucharisticis continentur.

19 Post doxologiam in fine Precis eucharisticæ, confractorio dicto, sacerdos frangit hostiam et particulam immittit in calicem. Deinde sacerdos, iunctis manibus, dicit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Extendit manus et, una cum ministro, pergit:

Pater noster, qui es in cælis;
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

20 Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri,
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

Minister orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum, et potéstas, et glória in sǽcula.

21 Tunc sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:

Dómine Iesu Christe, qui dixísti apóstolis tuis:
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis,
ne respícias peccáta nostra, sed fidem Ecclésiæ tuæ,
eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre, custodíre,
et régere dignéris propítius.

Iungit manus.

Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Minister respondet:

Amen.

22 Sacerdos, ad ministrum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax et communicátio Dómini nostri Iesu Christi
sit semper vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Et sacerdos, pro opportunitate, pacem dat ministro, nisi iam data est.

23 Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui pro voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu sancto,
per mortem tuam mundum univérsum vivificásti,
líbera me, óbsecro,
per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum
a cunctis iniquitátibus et univérsis malis,
et fac me tuis obœdíre mandátis,
et a te numquam separári permíttas.

vel:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
da mihi hoc Corpus Iesu Christi Fílii tui, Dómini mei,
ita súmere,
ut non sit mihi ad iudícium,
sed ad remissiónem ómnium peccatórum meórum.

24 Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, ad ministrum versus, clara voce dicit:

Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Et una cum ministro semel subdit:

Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum,
sed tantum dic verbo,
et sanábitur ánima mea.

Si minister non est communicandus, sacerdos, accepta hostia, et stans ad altare conversus, statim dicit: Dómine, non sum dignus, etc.

25 Et deinde, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.

Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi.

26 Quo facto, sacerdos dicit transitorium.

27 Postea accipit patenam, accedit ad ministrum, si communicandus est, et hostiam parum elevatam ei ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Minister respondet:

Amen.

Et communicatur.

28 Deinde sacerdos purificat patenam super calicem et ipsum calicem. Calix, patena, corporale et purificatorium a ministro ad abacum deferuntur, vel super altare relinquuntur.

29 Sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.

30 Postea sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et facta aliqua pausa silentii, nisi iam præcesserit, extendit manus et dicit **orationem post communionem.**

Minister in fine acclamat:

Amen.

RITUS CONCLUSIONIS 221

31 Deinde sacerdos, versus ad ministrum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo. Kýrie eléison, Kýrie eléison, Kýrie eléison.

Et sacerdos benedicit ministrum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

Minister respondet:

Amen.

32 Denique sacerdos altare osculo veneratur et, facta cum ministro debita reverentia, recedit.

BENEDICTIONES SOLLEMNES

Benedictiones sequentes adhiberi possunt ad libitum sacerdotis, in fine celebrationis missæ vel liturgiæ verbi, vel horarum, vel sacramentorum.

Diaconus, vel, eo deficiente, ipse sacerdos, dicit invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliis verbis expressum.

Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem, omnibus respondentibus: Amen.

I IN CELEBRATIONIBUS DE TEMPORE

222 1 IN ADVENTU

Omnípotens et mísericors Deus, cuius Unigéniti advéntum
et prætéritum créditis et futúrum exspectátis,
eiúsdem advéntus vos illustratióne sanctíficet,
et sua benedictióne lárgiter locuplétet.
℟ Amen.

In præséntis vitæ stádio reddat in fide vos stábiles,
spe gaudéntes,
in caritáte iúgiter efficáces.
℟ Amen.

Ut, qui de advéntu Redemptóris nostri secúndum carnem
devóta mente lætámini,
in secúndo, cum in sua vénerit maiestáte,
vitæ prǽmiis ditémini sempitérnæ.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Deus infinítæ bonitátis,
qui incarnatióne Fílii sui mundi ténebras effugávit,
et eius gloriósa nativitáte
hanc noctem (diem) sacratíssimam illustrávit,
éffuget a vobis ténebras vitiórum,
et irrádiet corda vestra luce virtútum.
℟ Amen.

Quique eius salutíferæ nativitátis gáudium magnum
pastóribus ab ángelo vóluit nuntiári,
ipse gáudio suo répleat mentes vestras,
et vos evangélii sui núntios effíciat operósos.
℟ Amen.

Et, qui per eius incarnatiónem terréna cæléstibus sociávit,
dono vos suæ pacis et bonæ répleat voluntátis,
et vos fáciat Ecclésiæ consórtes esse cæléstis.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Deus, fons et orígo totíus benedictiónis,
grátiam vobis cum ubertáte concédat,
suæ largitátem benedictiónis infúndat,
atque per totum annum vos salvos incolumésque custódiat.
℟ Amen.

Consérvet fídei vobis integritátem,
tríbuat spei longanimitátem,
perseverántem det usque ad finem cum patiéntia caritátem.
℟ Amen.

Dies et actus vestros in sua pace dispónat,
preces hic et ubíque semper exáudiat,
et ad vitam ætérnam felíciter vos perdúcat.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

225 4 IN EPIPHANIA DOMINI

Deus, qui vos de ténebris vocávit in admirábile lumen suum,
suam vobis benedictiónem benígnus infúndat,
et corda vestra fide, spe et caritáte stabíliat.
℟ Amen.

Et quia Christum sequímini confidénter,
qui hódie appáruit lux in ténebris divína relúcens,
fáciat et vos lucem esse frátribus salutárem.
℟ Amen.

Quátenus, peregrinatióne perácta,
perveniátis ad eum, quem magi stella prævia quæsiérunt,
et gáudio magno, lucem de luce,
Christum Dóminum felíciter invenérunt.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

226 5 DE PASSIONE DOMINI

Deus, Pater misericordiárum, qui Unigéniti sui passióne
tríbuit vobis caritátis exémplum,
præstet, ut per Dei hominúmque servítium
percipiátis suæ benedictiónis ineffábilem largitátem.
℟ Amen.

Ut ab eo vitæ munus obtineátis ætérnæ,
per cuius temporálem mortem
ætérnam vos créditis superáre.
℟ Amen.

Quátenus, cuius humilitátis sequímini documénta,
eius resurrectiónis possideátis beáta consórtia.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

227 6 IN VIGILIA PASCHALI ET DIE PASCHÆ

Deus vos omnípotens benedícat,
hodiérna interveniénte sollemnitáte pascháli,
et ab omni miserátus defendat incursióne peccáti.
℟ Amen.

Et qui ad ætérnam vitam
in Unigéniti sui resurrectióne vos réparat,
vos præmiis immortalitátis adímpleat.
℟ Amen.

Et qui explétis passiónis domínicæ diébus
paschális festi gáudia celebrátis,
ad ea festa, quæ lætítiis peragúntur ætérnis,
ipso opitulánte, exsultántibus ánimis veniátis.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

228 7 TEMPORE PASCHALI

Deus, qui per sui resurrectiónem Unigéniti gloriósam,
dignátus est vobis bonum redemptiónis
adoptionísque conférre,
sua benedictióne vos tríbuat congaudére.
℟ Amen.

Et quo rediménte percepístis donum perpétuæ libertátis,
eo largiénte hereditátis ætérnæ consórtes éffici valeátis.
℟ Amen.

Et cui resurrexístis in baptísmate iam credéndo,
adiúngi mereámini in pátria cælésti nunc recte vivéndo.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

229 8 IN ASCENSIONE DOMINI

Deus vos omnípotens benedícat,
cuius Unigénitus hodiérna die cælórum alta penetrávit,
et vobis, ubi est ipse, ascendéndi áditum reserávit.

℟ Amen.

Concédat vero ut, sicut Christus Dóminus ac redémptor
visus est discípulis maniféstus,
ita vobis in iudícium véniens appáreat pro æternitáte placátus.

℟ Amen.

Et qui eum consedére Patri in sua créditis maiestáte,
ipsum usque in finem sǽculi permanére vobíscum
secúndum eius promissiónem valeátis felíciter experíri.

℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟ Amen.

230 9 DE SPIRITU SANCTO

Deus, Pater lúminum,
qui (hodiérna die) discipulórum mentes
Spíritus Paráclìti infusióne dignátus est illustráre,
sua vos fáciat benedictióne gaudére,
et perpétuo donis eiúsdem Spíritus abundáre.

℟ Amen.

Ignis ille, qui super discípulos mirándus appáruit,
corda vestra ab omni malo poténter expúrget,
et sui lúminis claritáte perlústret.

℟ Amen.

Quique dignátus est in unius fídei confessióne
diversitátem adunáre linguárum,
in eádem fide perseveráre vos fáciat,
et per illam a spe ad spéciem perveníre concédat.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

231 10 PER ANNUM I

Benedictio aaronitica: Num 6, 24-26

Benedícat vobis Dóminus, et custódiat vos.
℟ Amen.

Illúminet fáciem suam super vos, et misereátur vestri.
℟ Amen.

Convértat vultum suum ad vos, et donet vobis suam pacem.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

232 11 PER ANNUM II (Phil 4, 7)

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,
custódiat corda vestra et intellegéntias vestras
in sciéntia et caritáte Dei,
et Fílii sui, Dómini nostri Iesu Christi.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

233 12 PER ANNUM III

Omnípotens Deus sua vos cleméntia benedícat,
et sensum in vobis sapiéntiæ salutáris infúndat.
℟ Amen.

Fídei documéntis vos semper enútriat,
et in sanctis opéribus, ut perseverétis, effíciat.
℟ Amen.

Gressus vestros ad se sine cessatióne convértat,
et viam vobis pacis et caritátis osténdat.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

234 13 PER ANNUM IV

Deus totíus consolatiónis dies vestros in sua pace dispónat,
et suæ vobis benedictiónis dona concédat.
℟ Amen.

Ab omni semper perturbatióne vos líberet,
et corda vestra in suo magis amóre confírmet.
℟ Amen.

Quátenus dívites spei, fídei caritatísque munéribus,
et præséntem vitam efficáces in ópere transigátis
et possítis ad ætérnam perveníre felíces.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Omnípotens Deus cuncta a vobis advérsa semper exclúdat,
et suæ super vos benedictiónis dona propitiátus infúndat.
℟ Amen.

Corda vestra effíciat divínis inténta libénter elóquiis,
ut repléri possint gáudiis sempitérnis.
℟ Amen.

Quátenus quæ bona sunt et recta intellégere valeátis,
et, viam mandatórum Dei sine intermissióne curréntes,
cívium supernórum fíeri mereámini coherédes.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

II IN CELEBRATIONIBUS DE SANCTIS

236 15 DE BEATA MARIA VIRGINE

Deus, qui per beátæ Maríæ vírginis partum
genus humánum sua vóluit benignitáte redímere,
sua vos dignétur benedictióne ditáre.
℟ Amen.

Eiúsque semper et ubíque patrocínia sentiátis,
per quam auctórem vitæ suscípere meruístis.
℟ Amen.

Et qui ad eius celebrándam sollemnitátem
hodiérna die devótis méntibus convenístis,
spiritálium gaudiórum præmiorúmque cæléstium
vobíscum múnera reportétis.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

237 16 DE SANCTIS PETRO ET PAULO

Benedícat vos omnípotens Deus,
qui in beáti Petri confessióne vos salubérrima stabilívit,
et per eam in Ecclésiæ fídei soliditáte fundávit.
℟ Amen.

Et quos beáti Pauli indeféssa prædicatióne perdócuit,
Christo fratres lucrifácere suo ínstruat semper exémplo.
℟ Amen.

Ut Petrus clave, Paulus verbo,
ope intercessiónis utérque
in illam pátriam nos æmuléntur indúcere,
ad quam meruérunt illi, alter cruce, alter gládio,
felíciter perveníre.

℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟ Amen.

238 17 DE APOSTOLIS

Deus, qui vos in apostólicis tríbuit consístere fundaméntis,
benedícere vos dignétur,
beatórum apostolórum N. et N. (beáti apóstoli N.)
méritis intercedéntibus gloriósis.

℟ Amen.

Et apostólicis præsídiis vos pro cunctis testes fáciat veritátis,
qui vos eórum munerári documéntis vóluit et exémplis.

℟ Amen.

Ut eórum intercessióne ad ætérnæ pátriæ hereditátem
perveníre possítis,
per quorum doctrínam firmitátem fídei possidétis.

℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟ Amen.

Deus, glória et exsultátio sempitérna sanctórum,
benedícat vos benedictióne perpétua,
qui vobis hodiérna tríbuit celebráre sollémnia.

℟ Amen.

Eórum intercessióne malis præséntibus liberáti,
et exémplis sanctæ conversatiónis instrúcti,
inveniámini in Dei fratrúmque servítio semper inténti.

℟ Amen.

Quátenus cum iis ómnibus
valeátis illíus pátriæ possidére vos gáudia,
in qua fílios suos cívibus coniúnctos esse supérnis
in pace perpétua sancta lætátur Ecclésia.

℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟ Amen.

III ALIÆ BENEDICTIONES

240 19 IN DEDICATIONE ECCLESIÆ

Deus, cæli et terræ dóminus atque rector,
qui ad huius domus dedicatiónem (dedicatiónis memóriam)
vos hódie congregávit,
ipse vos cæléstí benedictióne fáciat abundáre.
℟ Amen.

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum sancti Spíritus non indígnum,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in suo Fílio congregári.
℟ Amen.

Quátenus, felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum sanctis ómnibus possidére.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Benedícat vos Deus totíus consolatiónis,
qui hóminem ineffábili bonitáte creávit,
et in resurrectióne Unigéniti sui
spem credéntibus resurgéndi concéssit.
℟ Amen.

Nobis, qui vívimus, véniam tríbuat pro peccátis,
et ómnibus defúnctis locum concédat lucis et pacis.
℟ Amen.

Ut omnes cum Christo vivámus sine fine felíciter,
quem resurrexísse a mórtuis veráciter confitémur.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

PROPRIUM SANCTORUM

1 Gradus celebrationum, nempe sollemnitas, festum aut memoria singulis diebus indicatur. Quando nulla adest indicatio, agitur de memoria ad libitum.

2 Pro singulis sollemnitatibus et festis integra missa propria ponitur, quæ proinde dicitur prouti iacet.

3 Ad memorias quod attinet, hæc serventur:

a) Textus proprii, qui nonnullis diebus apponuntur, semper adhibeantur.

b) Quoties remittitur ad aliquod commune definitum, textus aptiores seligantur, iuxta principia, quæ initio communium exponuntur.

c) Si vero ad plura communia remittitur, unum vel aliud adhiberi potest, attenta utilitate pastorali, et facta semper facultate textus e pluribus missis eiusdem communis inter se commutandi. Ex. gr., si quis sanctus simul est martyr et episcopus, adhiberi poterit aut commune martyrum aut commune pastorum (pro episcopis).

d) Insuper, præter communia, quæ peculiarem notam sanctitatis illustrant (ex. gr. martyrum, virginum, pastorum, etc.), semper adhiberi possunt etiam communia sanctorum et sanctarum, quæ de sanctitate in genere agunt.

e) Orationes ad complendam liturgiam verbi, super oblata, post communionem et præfationes, nisi sint propriæ, sumuntur aut e communi aut e currenti tempore liturgico.

4 Missæ quæ in hoc proprio habentur, exceptis tamen missis de mysteriis vitæ Domini et beatæ Mariæ virginis necnon missis de quibusdam sanctis, pro quibus peculiaris prævidetur missa votiva, dicuntur etiam ut votivæ. In orationibus præfationibusque, hoc in casu, omittuntur verba quæ innuant diem natalem, vel sollemnitatem vel festum, et eis substituitur verbum memória vel commemorátio.

5 Tempore paschali in fine cantuum addatur unum Allelúia.

Die 2 ianuarii

242 Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 242/2

Deus, qui Ecclésiam tuam
beatórum Basilíi et Gregórii exémplis et doctrínis
dignátus es illustráre,
concéde, quǽsumus,
ut veritátem tuam in humilitáte discámus,
et eam in caritáte fidéliter operémur.
Per Dóminum.

Die 7 ianuarii

243 S. Raimundi de Penyafort, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 243/2

Deus, qui beátum Raimúndum presbýterum
insígnis in peccatóres misericórdiæ virtúte ditásti,
eius pro nobis patrocínio largíre cleménter,
ut, a peccáti servitúte solúti,
quæ tibi sunt plácita líberis méntibus exsequámur.
Per Dóminum.

Die 13 ianuarii

244 S. Hilarii, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 244/2

Omnípotens Pater, qui beátum Hilárium,
divinitátis Fílii tui propugnatórem exímium,
nostræ huic Ecclésiæ mira sollicitúdine adésse fecísti,
concéde propítius,
ut, eius doctrína et protectióne gaudéntes,
in cognitióne et amóre Christi Dómini
sine intermissióne profícere valeámus.
Qui tecum vivit.

Die 17 ianuarii

245 S. Antonii, abbatis

Memoria

INGRESSA Mt 19, 21 245/1

Si vis perféctus esse, vade,
vende, quæ habes, et da paupéribus;
et veni, séquere me, dicit Dómini.

SUPER POPULUM 245/2

Deus, qui beáto António abbáti tribuísti
mira tibi in desérto conversatióne servíre,
eius nobis interventióne miserátus inténde,
ut, abnegántes nosmetípsos,
te iúgiter super ómnia diligámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 16, 24 245/3

Si quis vult post me veníre,
ábneget semetípsum
et tollat crucem suam et sequátur me,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 245/4

Deus, in te sperántium fortitúdo,
qui beátum Antónium toto orbe fecísti
luce fídei et óperum sanctitáte conspícuum,
concéde propítius,
ut, qui eiúsdem festum ánnua devotióne venerámur,
ipsíus semper méritis et précibus adiuvémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 245/5

Accépta tibi sint, Dómine, quǽsumus,
nostræ múnera servitútis,
altári tuo pro beáti Antónii commemoratióne propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites conversémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 245/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et tibi in festivitáte sancti abbátis Antónii
sacrifícium laudis immoláre,
qui, tuo veheménter inflammátus amóre,
evangélicam admonitiónem studiósus hilarísque suscépit.

Quicquid enim possidébat, tua grátia concitánte, distríbuens,
pura sequéndum sibi Christum mente propósuit;
sed et, fragilitátem córporis ánimi vigóre transcéndens,
aspérrimam erémi solitúdinem robústus habitátor elégit.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris, quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 12, 26 245/7

Si quis mihi minístrat, me sequátur,
et ubi sum ego, illic et miníster meus erit,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Mt 19, 27-29 245/8

Amen dico vobis quod vos, qui reliquístis ómnia,
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

POST COMMUNIONEM 245/9

Sacraméntis tuis, Dómine, salúbriter enutrítos,
cunctas nos semper inimíci fac insídias superáre,
qui beáto António dedísti
contra potestátes tenebrárum claras reférre victórias.
Per Christum.

Die 18 ianuarii

246 S. Fabiani, papæ et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro papa (p. 834).

Die 19 ianuarii

247 S. Bassiani, episcopi

De communi pastorum: pro episcopo (pp. 838-841).

Die 20 ianuarii

248 S. Sebastiani, martyris

Memoria

INGRESSA 248/1

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem,
et a verbis impiórum non tímuit;
fundátus enim erat supra firmam petram.

SUPER POPULUM 248/2

Deus, cuius benignitáte martyr tuus Sebastiánus
passiónibus Christi communicávit in gáudio,
Spíritum tuum nobis largíre in córdibus habitántem,
ut, pro Fílii tui nómine contémpti,
in eius glóriæ revelatióne lætémur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Rom 8, 38-39 248/3

Neque mors neque vita
neque ália quǽlibet creatúra
póterit nos separáre a caritáte Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 248/4

Deus, a quo constántiam fides et virtútem sumit infírmitas,
tríbue nobis, mártyris Sebastiáni exémplis et précibus,
in Unigéniti tui passióne consórtium,
ut cum eo apud te perféctum
resurrectiónis gáudium consequámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 248/5

Præséntia múnera, quǽsumus, Dómine,
ita seréna réspice pietáte,
ut benedictióne sancti Spíritus perfundántur,
et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam operéntur,
qua sanctus martyr Sebastiánus
ómnia córporis torménta devícit.
Per Christum.

PRÆFATIO

248/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam in nos dilectiónem manifestávit in finem,
cum ánimam suam pro nobis póneret rediméndis,
maiorémque nullam caritátem esse monstrávit,
quam eius qui vitam pro te fratribúsque profúnderet.

Cuius beátus martyr Sebastiánus factus in veritáte discípulus,
suprémum coram homínibus hoc testimónium amóris exhíbuit.

Tanto ígitur tuæ benignitátis múnere lætátur Ecclésia,
suámque laudis vocem choris coniúngit angélicis,
qui maiestátis tuæ glóriam sine fine proclámant:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24

248/7

Si quis vult post me veníre,
ábneget semetípsum
et tollat crucem suam et sequátur me,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM

248/8

Sanguis sanctórum mártyrum
pro Christo effúsus est in terris;
ídeo adépti sunt prǽmia sempitérna.

POST COMMUNIONEM

248/9

Deus, qui crucis mystérium
in sancto mártyre tuo Sebastiáno
mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per eúndem Christum.

Die 21 ianuarii

249 S. Agnetis, virginis et martyris

Memoria

INGRESSA 249/1

Tertiodécimo ætátis suæ anno
mortem pérdidit, et vitam invénit,
quia vitæ solum diléxit auctórem.
Infántia computabátur in annis,
sed erat senéctus mentis imménsa.

SUPER POPULUM 249/2

Deus, qui ut humánum genus
ad confessiónem tui nóminis provocáres,
perspícuum in Agnéte vírgine martýrium præbuísti,
præsta, quǽsumus,
ut Ecclésia tua pro te nulla métuat sustinére,
et cæléstis prǽmii glóriam consequátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Gal 2, 19b-20 249/3

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.
In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 249/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas,
concéde propítius,
ut, qui beátæ Agnétis mártyris tuæ natalícia celebrámus,
eius in fide constántiam imitémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 249/5

Clementíssime Deus,
múnera hæc tua benedictióne perfúnde,
et in fide nos bráchii tui potestáte confírma,
quam beáta Agnes effúso sánguine proclamávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 249/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
recenséntes diem beátæ Agnétis martýrio consecrátum.

Hæc enim ætérni Regis est hódie sociáta consórtio,
et, pretiósam mortem pro Christi confessióne suscípiens,
simul est ipsíus facta confórmis,
ut sempiternitáti eius iungerétur et glóriæ.

Cum hac ígitur fámula tua
et cum ómnibus agmínibus angelórum
hymnum laudis tibi cánimus,
festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORUM Ct 8, 6 249/7

Pone me ut signáculum super cor tuum,
ut signáculum super bráchium tuum,
quia fortis est ut mors diléctio,
dura sicut inférnus æmulátio,
lámpades eius lámpades ignis
atque flammæ divínæ.

TRANSITORIUM 249/8

Cum cœperis quærere, Christus adest.
Non potest deésse quæréntibus se,
qui palam factus est non quæréntibus.
Christus est enim cáritas.

POST COMMUNIONEM 249/9

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster,
te súpplices exorámus,
ut, qui hæc in beátæ Agnétis commemoratióne percépimus,
eius semper et fortitúdinem imitémur
et castimóniam prosequámur.
Per Christum.

Die 22 ianuarii

250 S. Vincentii, diaconi et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825).

SUPER POPULUM 250/2

Omnípotens sempitérne Deus,
tuum in nobis Spíritum cleménter infúnde,
ut corda nostra ea dilectióne válida potiántur,
qua sanctus martyr Vincéntius
ómnia córporis torménta devícit.
Per Dóminum.

Die 23 ianuarii

251 Ss. Babilæ episcopi et Trium Puerorum, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 24 ianuarii

252 S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 252/2

Deus, qui ad animárum salútem
beátum Francíscum epíscopum
ómnibus ómnia factum esse voluísti,
concéde propítius,
ut eius æmulémur mansuetúdinem caritátis,
et in fratrum servítio illam iúgiter ostendámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 252/4

Fac nos, Dómine,
providéntiæ tuæ consília sedulitáte prósequi studiósa,
et, beáti Francísci epíscopi exémplis et monitiónibus erudítos,
infiníta semper tua dilectióne confídere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 252/5

Per hanc, Dómine, quam tibi offérimus hóstiam salutárem,
cor nostrum divíno illo sancti Spíritus igne succénde,
quo mitíssimum beáti Francísci ánimum
mirabíliter inflammásti.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 252/9

Concéde, quǽsumus, Dómine,
per sacraménta quæ súmpsimus,
ut, beáti Francísci caritátem in terris
et mansuetúdinem imitántes,
glóriam quoque consequámur in cælis.
Per Christum.

Die 25 ianuarii

253 IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI

Festum

INGRESSA 2 Tim 1, 12; 4, 8 253/1

Scio cui crédidi,
et certus sum quia potens est
depósitum meum serváre in illum diem, iustus iudex.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 253/2

Deus, qui univérsum mundum
beáti Pauli apóstoli prædicatióne docuísti,
da nobis, quǽsumus,
ut, cuius conversiónem hódie celebrámus,
per eius ad te exémpla gradiéntes,
tuæ mundo perhibeámus testimónium veritátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Gal 1, 11-12 253/3

Evangélium quod evangelizátum est a me
non est secúndum hóminem.
Neque enim ego ab hómine accépi illud,
sed per revelatiónem Iesu Christi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 253/4

Deus omnípotens atque clemens,
qui virtútem et misericórdiam tuam magnam
in peccatórum conversióne maniféstas,
quǽsumus, ut illa ad te grátia nos convértat,
quæ beátum apóstolum Paulum
de persecutóre vas electiónis effécit.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 253/5

Devóte nos, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
illa Spíritus sanctus fídei luce perfúndat,
qua beátum Paulum apóstolum
ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 253/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, in apóstolo tuo Paulo grátiæ tuæ magnália
mirabíliter ostensúrus,
ipsum in beneplácito tuo ex matris útero segregásti,
ut Fílium tuum in se reveláret et evangelizáret in géntibus.

Nam, qui blasphémus prius et persecútor exstíterat,
tam fidélem se præbuit in ministério constitútus,
ut omnem in illo patiéntiam Christus Iesus exprómeret,
quátenus eos, qui in se créderent, ad vitam informáret ætérnam.

Insígne ígitur in salútem géntium vas electiónis efféctus,
ad tuam ipse misericórdiam nos éxcitat prædicándam,
quam læti cum cælítibus collaudámus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Gal 2, 20b 253/7

In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

TRANSISTORIUM Col 2, 6-7 253/8

Sicut accepístis Christum Iesum Dóminum,
in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso
et confirmáti fide sicut didicístis,
abundántes in gratiárum actióne.

POST COMMUNIONEM 253/9

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
illum in nobis fóveant caritátis ardórem,
quo beátus apóstolus Paulus veheménter accénsus
ómnium sollicitúdinem Ecclesiárum perférre non désiit.
Per Christum.

Die 26 ianuarii

254 Ss. Timothei et Titi, episcoporum

Memoria

INGRESSA 1 Tim 6, 11-12 254/1

Tu, homo Dei, sectáre iustítiam, pietátem, fidem,
caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem.
Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

SUPER POPULUM 254/2

Deus, qui beátos Timótheum et Titum
apostólicis virtútibus decorásti,
utriúsque nobis pretiósa intercessióne concéde,
ut, in hoc sǽculo iuste et pie vivéntes,
ad cæléstem mereámur pátriam perveníre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Tim 4, 2 254/3

Prǽdica verbum, insta opportúne, importúne,
árgue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 254/4

Qui beátos Timótheum et Titum, Dómine,
in tua dignátus es Ecclésia suscitáre,
ut verbum salútis tuæ efficáciter prædicárent,
pastóres, quǽsumus, semper éxcita,
qui mundum permóveant, ædíficent, consoléntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 254/5

Deus, qui puri sinceríque cordis sacrifício delectáris,
nos tales éffice, beatórum Timóthei ac Titi
intercedénte suffrágio,
ut acceptábilis tibi fiat, quam exhibémus, oblátio.
Per Christum.

PRÆFATIO 254/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens atque clemens.

Qui, secúndum ineffábile grátiæ tuæ æternúmque propósitum,
quam nobis infiníta donásti in Christo misericórdiæ largitáte,
vocatióne tua sancta in libertátem nos vivíficam transtulísti.
Hoc autem inscrutábile sapiéntiæ tuum pietatísque consílium
ipsíus Salvatóris nostri evangélium patefécit,
in quo beáti Timótheus et Titus
prædicatóres pósiti sunt et apóstoli gentiúmque magístri.
Cum his ígitur fámulis tuis coniúngimur,
quos hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum ac sanctorúm sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Tit 2, 12-13 254/7

Fratres, iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem et advéntum Dómini.

TRANSITORIUM 1 Tim 3, 13 254/8

Qui bene ministráverint,
gradum sibi bonum acquírent et multam fidúciam in fide,
quæ est in Christo Iesu.

POST COMMUNIONEM 254/9

Verbo tuo, Dómine, ac salutári pane satiátis,
illam tríbue nobis, quǽsumus, caritátem,
quæ de fide non ficta ac puro corde procédit.
Per Christum.

Die 27 ianuarii

255 S. Angelæ Merici, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro educatoribus (p. 872).

SUPER POPULUM 255/2

Pietáti tuæ, quǽsumus, Dómine,
nos beáta virgo Angela commendáre non désinat,
ut, eius caritátis et prudéntiæ documénta sectántes,
tuam valeámus doctrínam méntibus custodíre
et móribus profitéri.
Per Dóminum.

Die 28 ianuarii

256 S. Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

Cantus sumuntur de communi doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855), vel pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 256/2

Deus, fons lucis et grátiæ,
qui beátum Thomam sapiéntiæ tuæ charísmate
mirabíliter illustrásti,
Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, largíre doctóribus,
sincére Verbum tuum dilígere et assídue contemplári,
ut ad ædificatiónem córporis Christi
tuam, sicut ille, conspícuam tradant fidéliter veritátem.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 256/4

Deus, qui beátum Thomam lúmine fecísti sanctitátis insígnem
ac sacræ eruditióne doctrínæ,
da nobis, quǽsumus,
et quæ dócuit mente conspícere
et quæ gessit imitatióne complére.
Per Christum.

SUPER OBLATA 256/5

Passiónis Fílii tui, Dómine, memóriam recenséntes,
quǽsumus, ut, quæ tibi múnera
beátus Thomas egrégie dócuit esse reddénda,
in eius celebratióne nunc obláta,
sacrifícium tibi fiant in pignus salútis accéptum.
Per Christum.

PRÆFATIO 256/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui cathólicæ veritátis doctórem
beátum Thomam mirabíliter suscitásti.

Divítias enim ipse honorésque relínquens,
illǽsum cor suum tui Verbi lúmini reserávit,
ut, quod erat amánter et assídue contemplátus,
illud ácie singulári tráderet et claritáte conspícua.

Nihil idem christiánæ sapiéntiæ stúdio præoptávit,
nihil est illa perféctius aut iucúndius arbitrátus,
quam præcípuum vitæ suæ sic fecit offícium,
ut omnis eius sermo ipsam tantúmmodo loquerétur.

Christum autem solum veheménti amóre quæsívit,
pro quo die noctúque vígilans laborávit,
eiúsque mystérii miras rationes pia consideratióne detéxit,
neque ullam, præter ipsum, mercédem dénique concupívit.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

POST COMMUNIONEM 256/9

Cæléstí alimónia refécti,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, sicut beátus Thomas mercédem præter Christum
non áliam expetívit,
ita et nos in eius tantum quiescámus amóre.
Qui vivit.

Die 31 ianuarii

257 S. Ioannis Bosco, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro educatoribus (p. 872).

SUPER POPULUM 257/2

Deus, qui beátum Ioánnem presbýterum
patrem et magístrum adulescéntium excitásti,
concéde, quǽsumus, ut, eódem caritátis igne succénsi,
ánimas quǽrere tibíque soli servíre cupiámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 257/4

Te súpplices, Deus omnípotens, exorámus,
ut beáti Ioánnis exémpla nos róborent
et suffrágia gloriósa,
quátenus proximórum cotidiáno servítio
sédula nos mente humilíque dedámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 257/5

Accépta tibi sit, Dómine,
in sancti Ioánnis commemoratióne
sacrátæ plebis oblátio,
et concéde propítius,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
in glóriæ tuæ laudem tota mentis intentióne vivámus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 257/9

Tríbuat nobis, omnípotens Deus,
reféctio sancta subsídium,
ut, exémplo beáti Ioánnis veheménter admóti,
et fraternitátis dilectiónem et lumen veritátis
corde perhibeámus et ópere.
Per Christum.

FEBRUARIUS

Die 2 februarii

258 IN PRÆSENTATIONE DOMINI

Festum

De benedictione et processione candelarum

Forma prior: Processio

Hora competenti fit collecta in ecclesia minore vel in alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit. Fideles tenent in manibus candelas non accensas.

Accedit sacerdos cum ministris, indutus paramentis albis sicut ad missam; sed pro casula sacerdos sumere potest pluviale, quod dimittit expleta processione.

Dum accenduntur candelæ, cantatur

ANTIPHONA 258/A

Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum, allelúia.

Sacerdos populum de more salutat, ac deinde fit brevis monitio, qua fideles ad celebrandum ritum huius festi actuose et conscie invitantur, his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, ante dies quadragínta 258/B
celebrávimus cum gáudio festum nativitátis Dómini.

Hódie vero occúrrit dies ille beátus,
quo Iesus a María et Ioseph præsentátus est in templo,
extérius quidem legem adímplens,
rerum veritáte autem occúrrens pópulo suo credénti.

Spíritu sancto impúlsi,
in templum venérunt beáti illi senes,
et cognovérunt Dóminum eódem Spíritu illumináti,
et conféssi sunt eum in exsultatióne.

Ita et nos, congregáti in unum per Spíritum sanctum,
procedámus ad domum Dei óbviam Christo.
Inveniémus eum et cognoscémus in fractióne panis,
donec véniat manoféstus in glória.

Post monitionem sacerdos benedicit candelas, iunctis manibus dicens:

Orémus. 258/C

Deus, omnis lúminis fons et orígo,
qui iusto Simeóni lumen ad revelatiónem géntium
hódie demonstrásti,
te súpplices deprecámur,
ut hos céreos sanctificáre tua ✠ benedictióne dignéris,
tuæ plebis vota suscípiens,
quæ ad tui nóminis laudem eos gestatúra concúrrit,
quátenus per virtútum sémitam
ad lucem indeficiéntem perveníre mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

vel: 258/D

Deus, lumen verum, ætérnæ lucis propagátor et auctor,
córdibus infúnde fidélium perpétui lúminis claritátem,
ut, quicúmque in templo sancto tuo
splendóre præséntium lúminum adornántur,
ad lumen glóriæ tuæ felíciter váleant perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

Et aspergit candelas aqua benedicta, nihil dicens.

Tunc sacerdos accipit ipse candelam sibi præparatam et incipit processio, clamante sacerdote:

Procedámus in pace ad occurréndum Dómino.

Postea inchoatur processio hoc ordine.

Posito in turibulum incenso, præcedit turiferarius cum turibulo fumigante: tum crucifer ferens crucem, medius inter duos acolythos, candelabra gestantes cum candelis accensis (quod servatur in omnibus processionibus); deinde sequitur clerus per ordinem: postremo dignior sacerdos, et omnes quidem cum candelis accensis.

In processione cantatur antiphona quæ sequitur cum cantico, vel alius cantus aptus:

ANTIPHONA Lc 2, 32 258/E

Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel.

CANTICUM Lc 2, 29-31 258/F

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine,
secúndum verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Quod parásti ante fáciem ómnium populórum.

Pro opportunitate cantari possunt antiphonæ quæ sequuntur:

ANTIPHONA I 258/G

Virgo Dei génetrix, quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.
Vera fides Géniti purgávit crímina mundi,
et tibi virgínitas invioláta manet.

ANTIPHONA II 258/H

Beáta progénies, unde Christus natus est:
quam gloriósa est Virgo,
quæ cæli regem génuit!

ANTIPHONA III Ap 4, 11 258/I

Dignus es, Dómine et Deus noster,
accípere glóriam et honórem.

ANTIPHONA IV 258/J

Laudábilis Virgo,
quæ meruísti portáre in tuo útero
Salvatórem mundi.

ANTIPHONA V 258/L

María virgo semper lætáre,
quæ tantam grátiam meruísti:
cæli et terræ Creatórem de tuo útero generáre.

ANTIPHONA VI 258/M

Virgo Verbum concépit,
virgo permánsit,
Virgo génuit regem ómnium regum.

ANTIPHONA VII Cf. Lc 1, 45 258/N

Beáta es, María, quæ credidísti:
perficiéntur in te, quæ dicta sunt a Dómino.

ANTIPHONA VIII 258/O

O Virgo vírginum, quómodo fiet istud?
Quia nec primam te símilem visa es,
nec habére sequéntem.
Fíliæ Ierúsalem, quid me admirámini?
Divínum est mystérium hoc, quod cérnitis.

ANTIPHONA IX 258/P

In flore mater, in partu virgo:
gaude et lætáre, Virgo mater Dómini.

ANTIPHONA X Cf. Lc 1, 48 258/Q

Beátam me dicent generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

ANTIPHONA XI Cf. Lc 2, 51 258/R

María autem conservábat ómnia verba hæc,
cónferens in corde suo.

ANTIPHONA XII Cf. Lc 1, 28. 42 258/S

Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum:
benedícta tu inter mulíeres.

ANTIPHONA XIII Cf. Lc 11, 27 258/T

Beátus ille venter, qui te portávit, Christe,
et beáta úbera, quæ te lactavérunt,
Dóminum et Salvatórem mundi,
qui pro salúte géneris humáni
carnem assúmere dignátus es.

ANTIPHONA XIV 258/U

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te gloríficant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

ANTIPHONA XV 258/V

Nésciens Mater virgo virum péperit sine dolóre
Salvatórem sæculórum;
ipsum regem angelórum sola Virgo lactitábat,
úbera de cælo plena.

ANTIPHONA XVI 258/W

Virgo hódie fidélis,
etsi Verbum génuit incarnátum,
virgo mansit et post partum.
Quam laudántes, omnes dícimus:
Benedícta tu in muliéribus.

ANTIPHONA XVII 258/X

Gaudeámus omnes fidéles:
Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie procéssit proles,
et magnífici gérminis persevérat pudor virginitátis.

ANTIPHONA XVIII 258/Y

O admirábile commércium!
Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens,
de Vírgine nasci dignátus est,
et, procédens homo sine sémine,
largítus est nobis suam deitátem.

ANTIPHONA XIX 258/Z

Sub tuam misericórdiam confúgimus, Dei Génetrix,
nostram deprecatiónem ne indúcas in tentatiónem,
sed de perículo líbera nos, sola casta et benedícta.

ANTIPHONA XX 258/a

Sub tuam protectiónem confúgimus,
ubi infírmi suscepérunt virtútem;
et propter hoc tibi psállimus, Dei Génetrix vera.

ANTIPHONA XXI Cf. Lc 2, 26 258/b

Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto
non visúrum se mortem,
nisi prius vidéret Christum Dómini.

In gremio ecclesiæ canitur duodecies Kýrie eléison.

Deinde in ingressu chori dicitur 258/c

Senex púerum portábat,
puer autem senem regébat.
Quem Virgo concépit,
et post partum virgo permánsit:
ipsum, quem génuit, adorávit.
Glória... Sicut erat... Senex...

Sacerdos, cum ad altare pervenerit, illud veneratur et, pro opportunitate, incensat. Deinde pergit ad sedem, ubi, deposito pluviali, si illud adhibuit in processione, et assumpta planeta, post cantatum hymnum Glória in excélsis, dicit de more orationem super populum. Missa prosequitur modo consueto.

Forma altera: Introitus sollemnis

Fideles congregantur in ecclesia, candelas in manibus tenentes. Sacerdos, indutus sacris vestibus coloris albi, cum ministris et aliqua deputatione fidelium accedit ad locum aptum, vel ante portam vel in ipsa ecclesia, ubi saltem magna pars fidelium ritum commode participare possit.

Cum sacerdos ad locum pro benedictione candelarum statutum pervenerit, accenduntur candelæ, dum canitur antiphona Ecce Dóminus noster, vel alius cantus aptus.

Deinde sacerdos, post salutationem et monitionem, benedicit candelas, ut supra; et fit processio ad altare cum cantu. Ad missam ea servantur quæ supra indicantur.

AD MISSAM

INGRESSA 258/1

In Patre manet ætérnitas,
non périit de matre virgínitas.
Invisíbilis non dedignátus est carnem assúmere,
natus non relíquit impérium.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 258/2

Dignáre plebem tuam, Dómine, quǽsumus, erudíre,
et, quæ extrínsecus ánnua nos tríbuis devotióne venerári,
intérius ássequi grátiæ tuæ luce concéde.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 258/3

Et nos cum Simeóne clamémus: Tibi, Dómine,
qui a Patre lucis exísti,
ut nobis esses lumen et vita,
glória sit et honor et potéstas,
quia erga mundum pérditum misericórdia motus
factus es homo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 258/4

Omnípotens sempitérne Deus,
maiestátem tuam súpplices exorámus,
ut, sicut Unigénitus tuus hódie
cum nostræ carnis substántia præsentátur in templo,
ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 258/5

Gratum tibi sit, Dómine, quǽsumus,
exsultántis Ecclésiæ munus oblátum,
qui Unigénitum tuum in carne nostra apparére voluísti,
et tibi pro sǽculi vita immaculátum Agnum offérri.
Qui vivit.

PRÆFATIO 258/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia per incarnáti Verbi tui mystérium
nova mentis nostræ óculis lux tuæ claritátis infúlsit,
et coætérnus hódie in templo tuus Fílius præsentátus
glória Israel et lumen géntium a Spíritu declarátur.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORUM Ps 47, 10-11 258/7

Recogitámus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum, Deus,
sic et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua.

TRANSITORIUM Lc 2, 29-31 258/8

Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace,
quia vidérunt óculi mei salutáre tuum,
quod parásti ante fáciem ómnium populórum.

POST COMMUNIONEM 258/9

Per hæc sancta quæ súmpsimus, Dómine,
pérfice in nobis grátiam tuam,
qui exspectatiónem Simeónis implésti,
ut, sicut ille mortem non vidit
nisi prius Christum suscípere mererétur,
ita et nos, in occúrsum tui Fílii procedéntes,
vitam obtineámus ætérnam.
Per eúndem Christum.

Die 3 februarii

259 S. Blasii, episcopi et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

260 S. Ansgarii, episcopi

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 260/2

Deus, qui ad multas illuminándas gentes
beátum Ansgárium epíscopum míttere voluísti,
ipso pro nobis interveniénte concéde,
ut in tuæ veritátis luce iúgiter ambulémus.
Per Dóminum.

Die 5 februarii

261 S. Agathæ, virginis et martyris

Memoria

De communi virginis et martyris (p. 828).

SUPER POPULUM 261/2

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine,
beáta Agatha virgo et martyr implóret,
quæ semper éxstitit tibi grata
et virtúte passiónis et mérito castitátis.
Per Dóminum.

Die 6 februarii

262 Ss. Pauli Miki et sociorum, martyrum

Memoria

De communi martyrum (pp. 830-833).

SUPER POPULUM 262/2

Deus, ómnium fortitúdo sanctórum,
qui beátos mártyres Paulum eiúsque sócios
per crucem ad vitam vocáre dignátus es,
præsta, quǽsumus,
ut fidem, quam sincéris méntibus profitémur,
eórum intercessióne usque ad mortem fórtiter teneámus.
Per Dóminum.

Die 7 februarii

263 Ss. Perpetuæ et Felicitatis, martyrum

Memoria

De communi martyrum (pp. 830-833), vel sanctarum mulierum (p. 882).

SUPER POPULUM 263/2

Deus, cuius urgénte caritáte
beátæ mártyres Perpétua et Felícitas
torméntum mortis, contémpto persecutóre, vicérunt,
da nobis, quǽsumus, eárum précibus miserátus,
ut in tua semper dilectióne crescámus.
Per Dóminum.

Die 8 februarii

264 S. Hieronymi Emiliani

Memoria

De communi sanctorum: pro educatoribus (p. 872).

SUPER POPULUM 264/2

Deus, Pater misericordiárum,
qui beátum Hierónymum
adiutórem et patrem órphanis providísti,
eiúsdem concéde suffrágio,
ut spíritum adoptiónis,
quo fílii tui nominámur et sumus,
fidéliter observémus.
Per Dóminum.

Die 10 februarii

265 S. Scholasticæ, virginis

Memoria

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 265/2

Beátæ Scholásticæ vírginis memóriam recoléntes,
quǽsumus, Dómine,
ut eius exémplo caritáte tibi puríssima serviámus,
et felíces obtineámus tuæ dilectiónis efféctus.
Per Dóminum.

Die 11 februarii

266 Beatæ Mariæ Virginis de Lourdes

De communi Beatæ Mariæ Virginis (pp. 806-811).

SUPER POPULUM 266/2

Concéde, miséricors Deus,
fragilitáti nostræ iuge præsídium,
ut, qui immaculátæ Dei Genetrícis memóriam celebrámus,
intercessiónis eius auxílio
a nostris iniquitátibus resurgámus.
Per Dóminum.

Die 14 februarii

267 SS. CYRILLI, MONACHI ET METHODII, EPISCOPI

Festum

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847).

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 267/2

Deus, qui per beátos fratres Cyríllum et Methódium
Slavóniæ géntibus illuxísti,
da córdibus nostris tuæ doctrínæ verba percípere,
nosque pérfice pópulum
in vera fide et recta confessióne concórdem.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 267/4

Da nos, Dómine,
sanctórum tuórum Cyrílli et Methódii intercessióne muníri,
qui doctrína fídei et sanctitátis exémplis
multos pópulos imbuérunt,
ut et nos sancte semper ministérium nostrum
ac fidéliter impleámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 267/5

Preces nostras, quǽsumus, Dómine,
et tuórum oblatiónes intuére fidélium,
ut tibi gratæ sint in festivitáte sanctórum,
et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 267/9

Qui de uno pane manducávimus
et unum facti sumus in Christo,
quǽsumus, Dómine,
ut in hac fácias nos unitáte felíciter permanére,
quam beáti Cyríllus ac Methódius
zelo ferventíssimo prædicárunt.
Per Christum.

Die 17 februarii

268 Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 268/2

Beatórum Fratrum, omnípotens Deus,
pietátem nobis benígnus infúnde,
qua et Fílii tui Genetrícem sunt devotíssime veneráti
et tuum ad te pópulum provexérunt.
Per Dóminum.

Die 18 februarii

269 S. Patricii, episcopi

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel pro episcopis (pp. 838-841).

Die 19 februarii

270 S. Turibii de Mogrovejo, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 21 februarii

271 S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 271/2

Concéde nos, quǽsumus, omnípotens Deus,
beáti Petri epíscopi mónita et exémpla sectári,
ut, Christo nihil præponéntes
et Ecclésiæ tuæ servítio semper inténti,
ad ætérnæ lucis gáudia perducámur.
Per eúndem Dóminum.

Die 22 februarii

272 CATHEDRÆ S. PETRI, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Lc 22, 32 272/1

Dicit Dóminus Simóni Petro:
Ego rogávi pro te ut non defíciat fides tua.
Et tu, aliquándo convérsus, confírma fratres tuos.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 272/2

Deus, qui apóstolo tuo Petro
claves regni cælórum singulári consílio tradidísti,
da Ecclésiæ tuæ, toto orbe diffúsæ,
eius semper magistério gubernári,
per quem in Christo fídei sumpsit exórdium.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Mt 16, 18; Io 21, 16 272/3

Priúsquam te vocárem de mari, Simon, cognóvi te;
et, ántequam confiteréris nomen meum,
oves meas trádidi tibi;
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 272/4

Quas preces effúndimus, Dómine,
beátus pro nobis apóstolus Petrus fáciat gratióres,
suísque iúgiter apud te méritis intercédat,
ut una constánter fide et caritáte coniúncta
inveniátur Ecclésia.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 272/5

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
preces et hóstias benígnus admítte,
ut beáto Petro pastóre
ad hereditátem pervéniat sempitérnam,
quo docénte integritátem valet fídei custodíre.
Per Christum.

PRÆFATIO 272/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sanctis tuis laudáre mirábilem,
per quos potíssimum Unigéniti tui sacrum corpus exórnas,
et Ecclésiæ tuæ fundaménta constítuis.

Ipsam enim, in patriárchis et prophétis
sapiénter antíquo fœdere præparátam,
novíssimis tempóribus in apóstolis præcípue condidísti.
Sed et beátum Petrum ex illis es dignátus elígere,
qui, Christi tui divinitátis confessióne conspícuus,
cæléstis superædificándæ domus ab ipso petra fíeri mererétur.

Qui étiam illum totíus tui gregis
sic præsulem custodémque fecísti,
ut fratres quoque suos valéret iúgiter confirmáre,
et, a Fílio tuo regni clávibus insignítus,
quicquid ipse statuísset in terris,
servatúrum te, Pater, sciret in cælis.

Pro cuius honóre et glória singulári,
maiestáti tuæ hæc festa persólvimus,
et choris angélicis sociámur, sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Io 21, 15. 17 272/7

Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Dómine, tu ómnia scis, tu cognóscis quia amo te.
Pasce oves meas.

TRANSITORIUM Cf. Mt 16, 16. 18 272/8

Dixit Petrus ad Iesum:
Tu es Christus, Fílius Dei vivi.
Respóndit Iesus: Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

POST COMMUNIONEM 272/9

Deus, qui nos, festivitátem beáti Petri apóstoli celebrántes,
Christi córporis et sánguinis communióne vegetásti,
præsta, quǽsumus, ut hoc redemptiónis commércium
sit sacraméntum nobis unitátis et pacis.
Per eúndem Christum.

Hoc festum, si tempore Quadragesimæ occurrit, die 18 ianuarii celebratur.

Die 23 februarii

273 S. Polycarpi, episcopi et martyris

Memoria

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 273/2

Deus univérsæ creatúræ,
qui beátum Polycárpum epíscopum
in número mártyrum dignátus es aggregáre,
hanc nobis grátiam eius intercessióne concéde,
ut, cum illo partem cálicis Christi capiéntes,
in vitam resurgámus ætérnam.
Per eúndem Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 273/4

Deus, cuius grátia beátum Polycárpum in sacerdótium elégit,
doctrína erúdiit, poténtia confirmávit,
da nobis ex eius imitatióne fratres nostros móribus edocére
et verbo ac passiónibus confirmáre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 273/5

Præsénti sacrifício, Dómine, corda nostra purífica,
et, cum beáto Polycárpo mártyre atque pontífice sociátos,
tamquam accéptum nos holocáustum assúme placátus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 273/9

Deus, Pater omnípotens,
da nos esse in tribulatióne patiéntes,
et ad resurrectiónem immortalis vitæ
partem in cálice Christi tui cum beáto cápere Polycárpo,
ut te laudémus et glorificémus,
per ipsum Iesum pontíficem sempitérnum.
Qui vivit.

Die 19 martii

274 S. IOSEPH, SPONSI BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

INGRESSA Mt 25, 21 274/1

Euge, serve bone et fidélis;
intra in gáudium Dómini tui.

SUPER POPULUM 274/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut humánæ salútis veneránda mystéria,
cuius primórdia beáti Ioseph fidéli custódiæ commisísti,
Ecclésia tua, ipso intercedénte, iúgiter servet impléndа.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Prov 2, 7-8 274/3

Thesaurizábit Dóminus rectóribus sollértiam,
et clípeus erit gradiéntibus simplíciter,
servans sémitas iustítiæ et vias sanctórum custódiens.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 274/4

Sanctíssimæ Genetrícis tuæ Sponsi,
quǽsumus, Dómine, méritis adiuvémur,
ut, quod possibílitas nostra non óbtinet,
eius nobis intercessióne donétur.
Qui vivis.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 274/5

Hæc offeréntes múnera, Dómine, súpplices exorámus,
ut, sicut beátus Ioseph Unigénito tuo,
nato de María vírgine,
pia devotióne desérviit,
ita et nos mundo corde
tuis mereámur altáribus propinquáre.
Per Christum.

PRÆFATIO 274/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sollemnitáte beáti Ioseph benedícere, prædicáre,
debitísque magnificáre præcóniis.
Qui et vir iustus a te Deíparæ vírgini sponsus est datus,
et fidélis servus ac prudens
super domum Christi tui est próvide constitútus,
ut ipsum Unigénitum tuum,
sancti Spíritus obumbratióne concéptum,
patérna vice ac pietáte sédula custodíret.

Eius ígitur múnerum et virtútum fastígia recoléntes,
hymnum maiestáti tuæ cum exsultatióne concínimus,
choris sociáti angelórum sanctorúmque dicéntes:

vel: 274/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Agnoscéntes ad magnum pietátis tuæ pertinuísse consílium,
ut sancto Ioseph, viro iusto fidéque sanctíssimo,
custodiéndam integritátem Deíparæ vírginis commendáres,
et Unigénitum tuum pervígili tuéndum protectióne commítteres.

Per quem te laudat omnis a te cóndita creatúra,
et hymnum maiestáti tuæ chori íntonant angelórum,
quibus et nos adiúngimur, sine fine clamántes:

CONFRACTORUM Eccli 2, 18-19 274/7

Qui timent Dóminum non erunt incredíbiles verbo illíus;
et qui díligunt illum conservábunt viam illíus.
Qui timent Dóminum,
inquírent quæ beneplácita sunt ei;
et qui díligunt eum,
replebúntur lege ipsíus.

TRANSITORIUM 2 Sam 7, 29 274/8

Dignáre, Dómine Deus, benedícere dómui servi tui,
ut sit in sempitérnum coram te.

POST COMMUNIONEM 274/9

**Famíliam tuam, Dómine,
quam de beáti Ioseph sollemnitáte lætántem
ex huius altáris alimónia satiásti,
perpétua protectióne defénde,
et tua in ea propitiátus dona custódi.
Per Christum.**

Si sollemnitas S. Ioseph occurrit in sabbato « in traditione symboli », in hebdomada authentica, vel in octava Paschæ transferenda erit in feriam II post dominicam II Paschæ, servato ritu paschali. Dicitur autem missa etiam si sollemnitas venerit in feria VI hebdomadæ Quadragesimæ.

Die 25 martii

275 IN ANNUNTIATIONE DOMINI

Sollemnitas

INGRESSA 275/1

Virgo Dei génetrix, quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.
Vera fides Géniti purgávit crímina mundi,
et tibi virgínitas invioláta manet.

SUPER POPULUM 275/2

Deus, qui Verbum tuum in útero Maríæ vírginis
veritátem carnis humánæ suscípere voluísti,
concéde, quǽsumus,
ut, qui Redemptórem nostrum Deum et hóminem confitémur,
ipsíus étiam divínæ natúræ mereámur esse confórmes.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 1, 45 275/3

Beáta es, María, quæ credidísti:
perficiéntur in te, quæ dicta sunt a Dómino.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 275/4

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine,
méntibus nostris infúnde,
ut qui, ángelo nuntiánte,
Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus,
per passiónem eius et crucem
ad resurrectiónis glóriam perducámur.
Per eúndem Christum.

Dicitur Credo. Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

SUPER OBLATA 275/5

Ecclésiæ tuæ munus, omnípotens Deus, dignáre suscípere,
ut, quæ in Unigéniti tui incarnatióne
primórdia sua constáre cognóscit,
ipsíus gáudeat hac sollemnitáte celebráre mystéria.
Per Christum.

PRÆFATIO 275/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quem propter hómines nascitúrum,
Spíritus sancti obumbránte virtúte,
a cælésti núntio Virgo fidénter audívit
et immaculátis se viscéribus gestatúram,
ut et promissiónes fíliis Israel véritas consummáret
et géntium exspectátio patéret ineffabíliter adimplénda.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Hebr 10, 5.7 275/7

Dóminus ingrédiens mundum dixit:
Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 10 275/8

In hoc est cáritas,
non quasi nos dilexérimus Deum,
sed quóniam ipse diléxit nos
et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

POST COMMUNIONEM 275/9

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine,
veræ fídei sacraménta confírma,
ut, qui concéptum de Vírgine
Deum verum et hóminem confitémur,
per eius salutíferæ resurrectiónis poténtiam
ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam.
Per Christum.

Si sollemnitas Annuntiationis Domini occurrit in sabbato « in traditione symboli », in hebdomada authentica, vel in octava Paschæ, transferenda erit in feriam II post dominicam II Paschæ, servato ritu paschali. Dicitur autem missa etiam si sollemnitas venerit in feria VI hebdomadæ Quadragesimæ.

APRILIS

Die 2 aprilis

276 S. Francisci de Paola, eremitæ

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 276/2

Deus, humílium celsitúdo,
qui beátum Francíscum sanctórum tuórum glória sublimásti,
eius tríbue nobis exémplis et méritis roborári,
ut promíssa humílibus prǽmia consequámur.
Per Dóminum.

Die 4 aprilis

277 S. Isidori, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

Die 5 aprilis

278 S. Vincentii Ferrer, presbyteri

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel pro presbytero (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 278/2

Deus, qui beátum Vincéntium presbýterum
minístrum prædicatiónis evangélicæ suscitásti,
præsta, quǽsumus,
ut, quem ventúrum iúdicem nuntiávit in terris,
beáti regnántem videámus in cælis.
Qui tecum vivit.

Die 6 aprilis

279 S. Petri de Verona, presbyteri et martyris

Memoria

INGRESSA 279/1

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem,
et a verbis impiórum non tímuit;
fundátus enim erat supra firmam petram.

SUPER POPULUM 279/2

**Præsta, quǽsumus, Deus omnípotens atque clemens,
ut beáti Petri mártyris tui fidem
cóngrua devotióne sectémur,
qui pro illa dilatánda
martýrii palmam méruit obtinére.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Rom 8, 38-39 279/3

Neque mors neque vita
neque ália quǽlibet creatúra
póterit nos separáre a caritáte Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 279/4

**Preces, quas tibi, Dómine, perhibémus,
intercedénte beáto Petro mártyre tuo,
cleménter inténde,
et púgiles fídei sub tua protectióne custódi.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 279/5

**Oblátis munéribus, Dómine, te supplíciter obsecrámus,
ut beátum Petrum mártyrem intercessórem habére
apud tuam cleméntiam sentiámus,
quem, tua grátia largiénte,
minístrum suscípere merúimus salútis ætérnæ.
Per Christum.**

PRÆFATIO 279/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
diémque natalícium beáti Petri sacerdótis et mártyris
omni devotióne venerári.

Qui tui nóminis ita devótus éxstitit prædicátor,
et hæreticórum dógmatum oppugnátor intrépidus,
ut fidem non dubitáverit sui sánguinis effusióne firmáre.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24 279/7

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam et sequátur me,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 279/8

Sanguis sanctórum mártyrum
pro Christo effúsus est in terris;
ídeo adépti sunt prǽmia sempitérna.

POST COMMUNIONEM 279/9

Fidéles tuos, Dómine, custódiant
sacraménta quæ súmpsimus,
et, beáto pro nobis Petro mártyre suffragánte,
álacres in evangélii confessióne confírment.
Per Christum.

Die 7 aprilis

280 S. Ioannis Baptistæ de la Salle, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro educatoribus (p. 872).

SUPER POPULUM 280/2

Deus, qui beátum Ioánnem Baptístam
ad iuventútem christiánis instituéndam móribus elegísti,
hómines dignáre in Ecclésia próvidus suscitáre,
qui tanto se múneri toto corde devóveant.
Per Dóminum.

Die 8 aprilis

281 S. Franciscæ Romanæ, religiosæ

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 281/2

Deus, qui nobis in beáta Francísca dedísti
singuláre coniugális et monásticæ conversatiónis exémplar,
fac nos tibi studiósa perseverántia deservíre
et in ómnibus vitæ adiúnctis te séqui,
ut te præmium obtineámus in cælis.
Per Dóminum.

Die 9 aprilis

282 S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 282/2

Deus, qui Ecclésiam tuam per beátum Cyríllum epíscopum
ad mystéria salútis profúndius attingénda
mirabíliter adduxísti,
da nobis, eius intercessióne,
tanta Fílium tuum claritáte lucis agnóscere,
ut vitam per ipsum abundántius habeámus.
Qui tecum vivit.

Die 11 aprilis

283 S. Stanislai, episcopi et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 283/2

Deus, pro cuius honóre beátus epíscopus Stanisláus
gládiis persecutórum occúbuit,
præsta, quǽsumus,
ut fortes in fide usque ad mortem perseveráre valeámus.
Per Dóminum.

Die 12 aprilis

284 S. Zenonis de Verona, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 13 aprilis

285 S. Martini I, papæ et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro papa (p. 834).

Die 18 aprilis

286 S. Galdini, episcopi

Memoria

INGRESSA 286/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 286/2

Deus, qui beáto Galdíno huius plebis pastóri
tantam fídei constántiam contulísti,
ut peregrinári pótius elígeret,
quam hóstibus unitátis ecclesiásticæ consentíre,
concéde nobis, ut, in sinceritáte fídei constántes,
ipsum óperum gréssibus imitémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 286/3

Sancti tui benedícant tibi,
glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 286/4

Omnípotens et miséricors Deus,
qui beátum Galdínum huius Ecclésiæ tuæ pastórem
óperum misericórdiæ grátia decorásti,
da, quǽsumus, ut, eius exémplis
egéntium necessitátibus succurréntes,
eiúsdem intercessiónibus tuam misericórdiam consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 286/5

Devotiónis múnera, Dómine, nobis provéniant ad salútem,
quæ in beáti Galdíni epíscopi nostri celebratióne festíva
nómini tuo reverénter offérimus.
Per Christum.

PRÆFATIO 286/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Hæc enim tibi fidélis atque grata commúnitas,
quæ memóriam beáti Galdíni mediolanénsis antístitis
cum suo célebrat lætánter epíscopo,
novus est pópulus tuus Spíritus sancti munéribus exornátus.
Per ipsam fílii tui, quos miséricors elegísti,
in prædicatióne evangélii congregántur,
suǽque fraternitátis in cena Dómini cópulant caritátem,
signum ómnibus dilectiónis et unitátis efficti.
Unde sincéra te gaudent exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Mt 10, 32 286/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est.

TRANSITORIUM Cf. Is 61, 10; 12, 6 286/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 286/9

Córporis et sánguinis Christi participatióne,
quæ in beáti Galdíni commemoratióne percépimus,
a cunctis, quǽsumus, Dómine, fídei adversitátibus muniámur,
et expiáti sórdibus vitiórum ipsíus virtútibus informémur.
Per eúndem Christum.

Die 21 aprilis

287 S. Anselmi, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 287/2

Deus, qui beáto Ansélmo epíscopo
alta dedísti sapiéntiæ tuæ quǽrere eadémque docére,
da nostro fidem tuam intelléctui subveníre,
ut cordi dulce sápiant, quæ nobis credénda mandásti.
Per Dóminum.

Die 23 aprilis

288 S. Georgii, martyris

De communi martyrum (pp. 820-825).

Die 24 aprilis

289 S. Fidelis de Sigmaringen, presbyteri et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843).

Die 25 aprilis

290 S. MARCI, EVANGELISTÆ

Festum

INGRESSA Mc 16, 15 290/1

Eúntes in mundum univérsum
prædicáte evangélium omni creatúræ, dicit Dóminus.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 290/2

Deus, qui beátum Marcum evangelístam tuum
evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti,
tríbue, quǽsumus, eius nos ita eruditióne profícere,
ut vestígia Christi fidéliter consectámur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 1 Th 2, 2b 290/3

Fidúciam habúimus in Deo nostro
loqui ad vos evangélium Dei in multa sollicitúdine.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 290/4

Deus, qui nos ánnua beáti Marci evangelístæ tui
commemoratióne lætíficas,
pietátis tuæ largitáte concéde,
ut, cuius præcláræ victóriæ triúmphum
pio amóre venerámur in terris,
societátis eius lætítiam consequámur in cælis.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 290/5

Glóriam beáti Marci venerántes,
tibi, Dómine, hóstias laudis offérimus,
teque supplíciter deprecámur,
ut evangélica prædicátio in Ecclésia tua iúgiter persevéret.
Per Christum.

PRÆFATIO 290/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius cæléstia nobis et veneránda mystéria
per hóminum quoque scriptúras dedísti próvide cognoscénda,
qui Spíritus sancti probaréntur lúmine collustráti.

Illíus enim verba vitæ atque gesta salútis
ita lítteris non transitúris Ecclésiæ tradidérunt,
ut semen ipsæ fíerent in sǽcula copiósum
quod in grátiæ fructus et glóriæ germináret.

His ígitur documéntis evangélicis perfruéntes,
choris nos lætánter angelórum sanctorúmque coniúngimus,
et una cum eis voce unáque tibi laude clamámus:

CONFRACTORIUM 2 Tm 1, 8 290/7

Collabóra evangélio secúndum virtútem Dei,
qui nos salvos fecit et vocávit vocatióne sancta,
secúndum propósitum suum et grátiam,
quæ data est nobis in Christo Iesu.

TRANSITORIUM Mt 28, 20 290/8

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 290/9

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, quod de sancto altári tuo percépimus,
nos sine fine sanctíficet,
et in fide evangélii fortes semper effíciat,
quod beátus Marcus scriptis ac sermónibus prædicávit.
Per Christum.

Die 27 aprilis

291 Bb. Catharinæ et Iulianæ, virginum

Memoria

INGRESSA Gal 2, 19b-20 291/1

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.
In fide vivo Fílii Dei,
qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

SUPER POPULUM 291/2

Deus, qui ad restaurándam et augéndam
in mundo grátiam Salvatóris
per beátas Catharínam et Iuliánam
novam monásticæ vitæ família statuísti,
quæ spíritu singuláriter et doctrína
beáti patris Ambrósii foverétur,
Ecclésiæ nostræ eárum intercessióne concéde,
ut fide flóreat et conversatiónis sanctimónia renovétur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 291/3

Omnia habémus in Christo.
Si vulnus curáre desíderas,
médicus est;
si fébribus æstuas,
fons est refrigérii;
si cibum quæris,
est ipse aliméntum.
Omnia Christus est nobis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 291/4

Hanc tuam, Deus, famíliam benígnus exáudi,
nostrísque précibus,
una cum méritis beatárum vírginum
Catharínæ et Iuliánæ concéde,
ut fidéli tibi deditióne cordis
et sincéra voluntátis obœdiéntia serviámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 291/5

Múnera, Pater, huius Ecclésiæ tuæ,
in memória beatárum Catharínæ et Iuliánæ congregátæ,
placátus assúme,
nobísque præsta, propter hoc salútis sacrifícium,
ut illas imitémur assídue
et tuæ contemplatiónis stúdio
et sollícita communióne cum frátribus.
Per Christum.

PRÆFATIO 291/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, páuperum et humílium magnitúdo,
beatárum nos Catharínæ et Iuliánæ celebritáte lætíficas,
in quibus et innocéntiæ claritátem
et dilectiónis ardórem enitére dedísti.

Tibi enim hæ se vírgines devovérunt,
et indissolúbili caritátis vínculo consecrárunt,
hoc præclárum munus Christi sponsálium requiréntes,
sánguinem eius et consórtium passiónis.

Et ídeo cum illis et cunctis ángelis
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Ct 8, 6 291/7

Pone me ut signáculum super cor tuum,
ut signáculum super bráchium tuum,
quia fortis est ut mors diléctio,
dura sicut inférnus æmulátio;
lámpades eius lámpades ignis
atque flammæ divínæ.

TRANSITORIUM 291/8

Cum cœperis quærere, Christus adest.
Non potest deésse quæréntibus se,
qui palam factus est non quæréntibus.
Christus est enim cáritas.

POST COMMUNIONEM 291/9

Qui nos Christi tui, Pater,
córpore et sánguine renovásti,
cui se beátæ Catharína et Iuliána conformárunt,
ut eius passiónis testes fíerent et amóris,
conversatiónem nostram da verum esse validúmque
operósæ caritátis indícium.
Per eúndem Christum.

Die 28 aprilis

292 S. Petri Chanel, presbyteri et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro missionariis (pp. 844-847).

Die 29 aprilis

293 S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRGINIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Festum

INGRESSA 293/1

Hæc est virgo sápiens
et una de número prudéntum,
quæ óbviam Christo cum lámpade exívit accénsa.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 293/2

Deus, qui beátam Catharínam
in contemplatióne domínicæ passiónis
et in Ecclésiæ tuæ servítio divíno amóre flagráre fecísti,
ipsíus intercessióne concéde,
ut pópulus tuus, Christi mystério sociátus,
in eius glóriæ revelatióne semper exsúltet.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 26, 8 293/3

De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 293/4

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui beátæ Catharínæ vírginis et doctóris natalícia celebrámus,
et eius doctrínæ dápibus nutriámur
et tantæ virtútis proficiámus exémplo.
Per Christum.

SUPER OBLATA 293/5

Súscipe, Dómine, quam in beátæ Catharínæ commemoratióne
offérimus hóstiam salutárem,
ut, illíus mónitis erudíti,
tibi vero Deo fervéntius grátias ágere valeámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 293/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in beátæ vírginis et doctóris Catharínæ memória prædicáre,
cui vitæ tuæ dedísti inscrutabília nosse mystéria
et in Ecclésiam tuam ingénti semper amóre fervére.

Ipsa enim est te in assíduis oratiónibus contempláta,
et ad unitátem sæpe ex discórdiis restituéndam animósa clamávit.

Sed et obœ́diens semper humilísque Christi Ecclésiæ supplicávit,
ut, sui memor offícii, sponsa semper illi fidélis exsísteret,
sine ruga tibi vel mácula in fine sǽculi proferénda.

Et ídeo cum illa et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Cant 5, 2 293/7

Aperi mihi, soror mea, regni mei cohéres effécta;
amíca mea, quæ cognovísti meæ veritátis arcána;
Spíritus mei dono ditáta,
effusióne sánguinis mei ab omni labe purgáta.

TRANSITORIUM 1 Io 1, 7 293/8

Si in luce ambulémus, sicut Deus est in luce,
communiónem habémus ad ínvicem,
et sanguis Iesu Fílii eius
mundat nos ab omni peccáto.

POST COMMUNIONEM 293/9

Æternitátem nobis, Dómine, cónferat,
qua pasti sumus, mensa cæléstis,
quæ beátæ Catharínæ vitam étiam áluit temporálem.
Per Christum.

Die 30 aprilis

294 S. Ioseph Benedicti Cottolengo, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

295 S. Pii V, papæ

De communi pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 295/2

Deus, qui in Ecclésia tua beátum Pium papam
ad cæléstem veritátem tuéndam
ac te dígnius coléndum próvidus excitásti,
da nobis, ipso intercedénte,
vívida fide iúgiter conversári,
ac fructuósa caritáte mysteriórum tuórum esse partícipes.
Per Dóminum.

Die 1 maii

296 S. Ioseph, opificis

INGRESSA Col 3, 23-24 296/1

Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini
sicut Dómino et non homínibus,
sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis.
Dómino Christo servíte.

SUPER POPULUM 296/2

Rerum cónditor, Deus,
qui legem labóris humáno géneri statuísti,
concéde propítius,
ut sancti Ioseph exémplo et patrocínio
ópera perficiámus quæ prǽcipis,
et quæ promíttis prǽmia consequámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Sap 10, 17 296/3

Réddidit sanctis Deus mercédem labórum suórum
et dedúxit illos in via mirábili
et fuit illis in velaménto diéi
et in luce stellárum per noctem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 296/4

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui beáti Ioseph indústriam et labórem imitámur in terris,
copiósam in cælis mercédem
ipsíus attingámus auxílio.
Per Christum.

SUPER OBLATA 296/5

Quas tibi, Dómine, de opéribus mánuum nostrárum
hóstias immolámus,
sancti Ioseph interveniénte suffrágio,
pignus nobis fácias unitátis et pacis.
Per Christum.

PRÆFATIO 296/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui beátum Ioseph Fílii tui nutrícium próvidus elegísti,
ut eum áleret et patérno fovéret afféctu,
nobísque indústrii et salutíferi præbéret exémpla labóris.

Ipse namque, nobilíssima génitus stirpe davídica,
panem in sudóre vultus non dubitávit exquírere,
et in Iesu ac Maríæ consuetúdine præcellénti
artem suam mirabílibus virtútibus ornátus exércuit.

Quin et labórem tanta glória collustrávit,
ut Unigénitus tuus, Dóminus noster,
fabri fílius non erubésceret appellári.

Et ídeo cum illo et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tibi laudis cánticum intonámus,
una voce clamántes:

CONFRACTORIUM 2 Sam 7, 28-29a 296/7

Dómine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera:
cum ergo locútus sis ad servum tuum bona hæc,
dignáre ígitur benedícere dómui servi tui,
ut sit in sempitérnum coram te.

TRANSITORIUM Cf. Mt 6, 26. 30 296/8

Pater cæléstis, qui pascis volatília cæli,
et fenum agri vestis,
cotidiánum et supersubstantiálem panem
cunctis largíre homínibus.

POST COMMUNIONEM 296/9

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus,
ut, exémplo beáti Ioseph
tuæ geréntes in córdibus nostris testimónia caritátis,
perpétuæ pacis fructu iúgiter perfruámur.
Per Christum.

Die 2 maii

297 S. Athanasii, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 297/2

Deus, qui per beátum Athanásium pontíficem atque doctórem
ariánas hǽreses strénue profligári
divinǽque Unitátis ac Trinitátis mystérium
clárius innotéscere voluísti,
concéde propítius,
ut eius intercessióne errórum ténebras devitémus,
et ad ætérnam tui lúminis valeámus pertíngere veritátem.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 297/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátum Athanásium epíscopum
divinitátis Fílii tui propugnatórem exímium suscitásti,
concéde propítius,
ut, eius doctrína et protectióne salúbriter perfruéntes,
in tui cognitióne et amóre sine intermissióne crescámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 297/5

Réspice, Dómine, múnera
quæ tibi in commemoratióne sancti Athanásii perhibémus,
eiúsque fidem profiténtibus illibátam
tuæ profíciat ad salútem testificátio veritátis.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 297/9

Prosit ita nobis, Dómine, Unigéniti tui vera divínitas,
quam cum beáto Athanásio fírmiter confitémur,
ut hoc sacraménto vivíficet nos semper et múniat.
Per Christum.

Die 3 maii

298 SS. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM

Festum

INGRESSA Io 14, 9-10 298/1

Tanto témpore vobíscum sum,
et non cognovístis me, Philíppe?
Qui vidit me, vidit Patrem.
Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 298/2

Deus, qui nos ánnua apostolórum Philíppi et Iacóbi
festivitáte lætíficas,
da nobis ipsórum précibus
in Unigéniti tui passióne et resurrectióne consórtium,
ut ad perpétuam tui visiónem perveníre mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 298/3

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta,
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 298/4

Prótegat nos, omnípotens Deus, atque custódiat
beatórum apostolórum tuórum Philíppi et Iacóbi
intercéssio gloriósa,
ut parátam in domo tua mansiónem
hereditáte perpétua consequámur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 298/5

Dignáre, Dómine, múnera benígnus excípere,
quæ pro apostolórum Philíppi et Iacóbi festivitáte deférimus,
et sincéram nobis religiónem mundámque largíre.
Per Christum.

PRÆFATIO 298/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in beatórum Philíppi et Iacóbi festivitáte laudáre,
qui Christi discípuli tuæ sunt grátia vocatiónis elécti,
et eius sic vitam sunt alácriter prosecúti,
ut te Patrem nostrum volúerint in veritáte cognóscere.

Sed et in fide ex Magístri resurrectióne firmáti,
certi sunt et íntegri testes salútis effécti.

Quin étiam cœtus noster, in tuam hic glóriam congregátus,
eórum núntio gaudet se redemptiónis esse partícipem,
quam imménsa pietáte humáno géneri præstitísti.

Cum his ígitur fámulis tuis coniúngimur,
quos hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 14, 8-9 298/7

Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis.
Philíppe, qui vidit me, vidit Patrem.

TRANSITORIUM Io 14, 23 298/8

Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus
et mansiónem apud eum faciémus.

POST COMMUNIONEM 298/9

Purífica, quǽsumus, Dómine, mentes nostras
per hæc sancta quæ súmpsimus,
ut, cum apóstolis Philíppo et Iacóbo te in Fílio contemplántes,
vitam habére mereámur ætérnam.
Per Christum.

Die 8 maii

299 S. Victoris, martyris

Memoria

INGRESSA 299/1

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem,
et a verbis impiórum non tímuit;
fundátus enim erat supra firmam petram.

SUPER POPULUM 299/2

Deus, cuius benignitáte martyr tuus Victor
passiónibus Christi communicávit in gáudio,
Spíritum tuum nobis largíre in córdibus habitántem,
ut, pro Fílii tui nómine contémpti,
in eius glóriæ revelatióne lætémur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Rom 8, 38-39 299/3

Neque mors neque vita
neque ália quælibet creatúra
póterit nos separáre a caritáte Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 299/4

Deus, a quo constántiam fides et virtútem sumit infírmitas,
tríbue nobis, mártyris Victóris exémplis et précibus,
in Unigéniti tui passióne consórtium,
ut cum eo apud te perféctum
resurrectiónis gáudium consequámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 299/5

Præséntia múnera, quæsumus, Dómine,
ita seréna réspice pietáte,
ut benedictióne sancti Spíritus perfundántur,
et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam operéntur,
qua sanctus martyr Victor ómnia córporis torménta devícit.
Per Christum.

PRÆFATIO 299/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam in nos dilectiónem manifestávit in finem,
cum ánimam suam pro nobis póneret rediméndis,
maiorémque nullam caritátem esse monstrávit,
quam eius qui vitam pro te fratribúsque profúnderet.

Cuius beátus martyr Victor factus in veritáte discípulus,
suprémum coram homínibus hoc testimónium amóris exhíbuit.

Tanto ígitur tuæ benignitátis múnere lætátur Ecclésia,
suámque laudis vocem choris coniúngit angélicis,
qui maiestátis tuæ glóriam sine fine proclámant:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24 299/7

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 299/8

Sanguis sanctórum mártyrum
pro Christo effúsus est in terris;
ídeo adépti sunt prǽmia sempitérna.

POST COMMUNIONEM 299/9

Deus, qui crucis mystérium
in sancto mártyre tuo Victóre mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per eúndem Christum.

Die 12 maii

300 Ss. Nerei et Achillei, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 12 maii

301 S. Pancratii, martyris

De communi martyrum (pp. 820-825).

Die 14 maii

302 S. MATTHIÆ, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Io 15, 16 302/1

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 302/2

Deus, qui beátum Matthíam apostolórum collégio sociásti,
eius nobis interventióne concéde,
ut, dilectiónis tuæ sorte gaudéntes,
cum eléctis numerári mereámur in cælis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 302/3

Pater, qui voluísti Fílium tuum a mórtuis suscitátum
prius apóstolis fíeri maniféstum,
fac ut eius testes simus usque ad últimum terræ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 302/4

Deus, qui, ruína proditóris expléta,
ne apostolórum númerus perfectióne caréret,
beáti Matthíæ electióne supplésti,
præsta, quǽsumus, ut eius méritis protegámur,
in cuius festivitáte ánnua devotióne lætámur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 302/5

Qui sacrifícia, Dómine, tibi laudis immolámus,
quǽsumus, ut, beáti apóstoli tui Matthíæ sollémnia recoléntes,
in electórum sorte cum ipso
purificátis mereámur méntibus inveníri.
Per Christum.

PRÆFATIO 302/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, ut sacrátus apostolórum númerus complerétur,
beátum respexísti Matthíam singulári dilectiónis intúitu,
Christi Fílii tui mystérii et conversatiónis expértum.

Unde vox eius est loquélæ téstium áddita ceterórum,
ut eúndem Christum vere surrexísse géntibus ómnibus nuntiáret,
ac cælórum regnum esse hómini reserátum.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 12 302/7

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem,
sicut diléxi vos, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Ef 2, 19-20 302/8

Iam non sumus extránei et ádvenæ,
sed concíves sanctórum et doméstici Dei,
superædificáti super fundaméntum apostolórum et prophetárum,
ipso summo anguléri lápide Christo Iesu.

POST COMMUNIONEM 302/9

Famíliam tuam, Dómine, divínis ne cesses replére munéribus,
ut, beáto Matthía intercedénte pro nobis,
in partem sortis sanctórum in lúmine nos dignéris accípere.
Per Christum.

Die 18 maii

303 S. Ioannis I, papæ et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro papa (p. 834).

304 Ss. Bartholomeæ Capitanio et Vincentiæ Gerosa, virginum

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869), vel pro sanctis mulieribus (p. 882).

Die 20 maii

305 S. Bernardini Senensis, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel pro missionariis (pp. 844-847).

SUPER POPULUM 305/2

Deus, qui beáto Bernardíno presbýtero
sancti nóminis Iesu amórem exímium tribuísti,
eius méritis precibúsque concéde,
ut spíritus nos semper tuæ dilectiónis accéndat.
Per Dóminum.

Die 23 maii

306 S. Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De communi doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855), vel pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

307 S. Mariæ Magdalenæ de' Pazzi, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Die 24 maii

308 S. Gregorii VII, papæ

De communi pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 308/2

Da Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
spíritum fortitúdinis zelúmque iustítiæ,
quibus beátum Gregórium papam claréscere voluísti,
ut, iniquitátem réprobans,
quæcúmque recta sunt líbera exérceat caritáte.
Per Dóminum.

Die 25 maii

309 S. Dionysii, episcopi

Memoria

INGRESSA 309/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 309/2

Deus, qui nos beáti Dionýsii
confessióne gloriósa præcíngis et prótegis,
da nobis eius imitatióne profícere
et incessánter oratióne fulcíri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 309/3

Sancti tui benedícant tibi,
glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 309/4

Sancti Dionýsii, Dómine, conféssio recensíta
cónferat nobis piæ devotiónis augméntum,
quia in nómine tuo persevérans
mirífice méruit honorári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 309/5

Hóstias, Dómine,
pro commemoratióne beáti Dionýsii
sacerdótis tui et confessóris offérimus,
quem a Christi córporis unitáte nulla tentátio separávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 309/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et confessiónem beáti sacerdótis tui Dionýsii
memorábilem non tacére.

Qui nec hæréticis blandiméntis
nec sui status pótuit diversitátibus immutári,
sed, in utróque discrímine veritátis assértor,
in Christo Fílio tuo fidem sincéra mente servávit.

Et ídeo débitum exhibémus pietátis obséquium,
quia poténtiam tuam, Dómine,
cuius grátia ipse talis exsístit,
in eius festíva memória prædicámus.

Et ídeo ipsi cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 10, 32 309/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est.

TRANSITORIUM 309/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 309/9

Quǽsumus, Dómine,
beáto pontífice Dionýsio suffragánte,
ut mystéria sacrosáncta, quæ súmpsimus,
actu veráciter subsequámur et sensu.
Per Christum.

Die 26 maii

310 S. Philippi Neri, presbyteri

Memoria

INGRESSA Cf. Rom 5, 5; 8, 11 310/1
Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per inhabitántem Spíritum eius in nobis.

SUPER POPULUM 310/2
Deus, qui fidéles tibi servos
sanctitátis sublimáre glória non desístis,
concéde propítius, ut illo nos igne Spíritus sanctus inflámmet,
quo beáti Philíppi cor mirabíliter penetrávit.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Cor 13, 11 310/3
Fratres, gaudéte, perfécti estóte,
exhortámini ínvicem, idem sápite, pacem habéte,
et Deus dilectiónis et pacis erit vobíscum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 310/4
Deus, qui beáto Philíppo dedísti
magna tibi lætítia et caritáte servíre,
ardórem in corda nostra, quǽsumus,
tuæ dilectiónis effúnde,
ut céleri gressu iúgiter ad pátriam festinémus ætérnam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 310/5
Hóstiam tibi laudis dum offérimus, te, Dómine, deprecámur,
ut, beáti Philíppi fidéliter exémpla sectántes,
ad tui nóminis glóriam proximíque servítium hílares operémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 310/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui lúcidum nobis in beáto Philíppo
imitándum exémplar osténdis,
et in Christi sequéla ad fervórem nos pérmoves excitándum.

Illuc enim clarum eius testimónium nos ínvitat,
ut te semper in lætítia diligámus,
et in ægrótis serviámus frátribus et egénis.

Quin est et illíus nobis conversátio documéntum,
ut illa nos tibi simplicitáte spíritus hæreámus,
qua vitæ sacrifícium novérimus tibi placére præ céteris.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 310/7

Fratres, sit nobis cor unum in Deo et ánima una.
Auctor pacis, rex ætérne,
ab omni malo tu nos defénde.

TRANSITORIUM Ps 83, 3b 310/8

Cor meum et caro mea
exsultavérunt in Deum vivum.

POST COMMUNIONEM 310/9

Cæléstibus, Dómine, mystériis recreáti,
quǽsumus, ut, beáti Philíppi exémpla iúgiter æmulántes,
semper éadem, quibus veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Die 27 maii

311 S. Augustini Cantuariensis, episcopi

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel pro episcopis (pp. 838-841).

Die 29 maii

312 Ss. Vigilii episcopi, et Sisinii, Martyrii et Alexandri martyrum

Memoria

INGRESSA Cf. Ap 12, 11 312/1

Isti sunt sancti,
qui vicérunt propter sánguinem Agni,
et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem;
proptérea cum Christo regnant in ætérnum.

SUPER POPULUM 312/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui in tuórum córdibus sanctórum
flammas tuæ dilectiónis accéndis,
da, ut exémplis Vigílii epíscopi,
martyrúmque Sisínii, Martýrii et Alexándri,
usque ad caritátis vérticem ambulémus,
qua vitæ quoque dispéndium libénter offértur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 312/3

Vos estis vasa sancta Dómino,
auro fulgénte ante Dóminum,
quia sponte obtulístis
Dómino Deo ánimas vestras
in ætérnum et in sæculum sæculi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 312/4

Fratérna nos, Dómine, sanctórum tuórum
Vigílii, Sisínii, Martýrii et Alexándri coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 312/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, illo nos igne tuæ dilectiónis accéndant,
quo sancti Vigílius, Sisínius, Martýrius et Alexánder
torménta suórum córporum univérsa vicérunt.
Per Christum.

PRÆFATIO 312/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim in altitúdine cæli ille victor est Agnus,
qui triúmphi sui facit mártyres esse consórtes.
In virtúte nempe sánguinis eius suum Vigílius, Sisínius,
Martýrius et Alexánder testimónium reddidérunt,
et, per multas tribulatiónes ad mortem usque dedúcti,
nunc in tui conspéctu throni pérmanent stolis amícti,
quas fórtiter prœliántes in Agni sánguine dealbárunt.

Tuque omnem lácrimam, Deus, ab óculis eórum abstérgis,
eórum tu sitim ad aquas vitæ incessánter extínguis;
tu tríbuis illis ut in nómine tuo Christíque Dómini
et civitátis tuæ novæ Ierúsalem gloriéntur.

Quorum vócibus laudis nostras quoque
cum exsultatióne coniúngimus,
tibi cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Lc 22, 28-30 312/7

Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis;
et ego dispóno vobis regnum, dicit Dóminus,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.

TRANSITORIUM 312/8

Isti sunt, qui propter sacrum martýrium
facti sunt perfécti et fidéles amíci Christi.
Opórtet nos mundum contémnere,
ut possímus sequi Christum Dóminum,
ne perdámus vitam perpétuam
propter vanam huius mundi glóriam.

POST COMMUNIONEM 312/9

Unius panis alimónia refécti, Dómine,
in festivitáte beatórum tuórum
Vigílii, Sisínii, Martýrii et Alexándri
supplíciter deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ ambuláre concédas.
Per Christum.

Die 31 maii

313 IN VISITATIONE B. MARIÆ VIRGINIS

Festum

INGRESSA Cf. Lc 1, 43 313/1

Vidésne Elísabeth cum Dei genetríce María disputántem:
Quid ad me venísti, mater Dómini mei?
Si enim scirem, in tuum venírem occúrsum.
Tu enim regnatórem portas, et ego prophétam;
tu legem dantem, et ego legem accipiéntem;
tu Verbum, et ego vocem proclamántis advéntum Salvatóris.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 313/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátam vírginem Maríam, Fílium tuum gestántem,
ad visitándam Elísabeth inspirásti,
præsta, quǽsumus, ut, afflánti Spirítui humíliter obsequéntes,
cum ipsa te semper magnificáre possímus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Lc 1, 45-46 313/3

Beáta quæ crédidit,
quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino.
Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum meum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 313/4

**Deus, qui virginálem aulam beátæ Maríæ,
in qua habitáres, elígere voluísti,
da, quǽsumus,
ut, eius nos defensióne muníti,
visitatiónis mystérii iucúndis frúctibus potiámur.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 313/5

**Maiestáti tuæ, Dómine,
hoc nostrum gratum sit sacrifícium salutáre,
sicut beatíssimæ Unigéniti tui Matris
habuísti acceptábilem caritátem.
Per Christum.**

PRÆFATIO 313/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, prophéticis Elísabeth verbis Spíritu movénte prolátis,
fastígium nobis sanctæ Maríæ vírginis maniféstas.

Beáta enim ob fidem in promíssam salútem
ipsa mérito salutátur,
et in caritátis servítio
mater Dómini a matre præcursóris agnóscitur.

Unde Deíparæ vírginis cántico cum exsultatióne coniúngimur,
tuámque magnificámus humíliter maiestátem,
cum angelórum sanctorúmque turmis sine cessatióne clamántes:

CONFRACTORIUM Ioel 2, 27 313/7

In médio Israel ego sum,
et ego Dóminus Deus vester et non est ámplius;
et non confundétur pópulus meus in ætérnum.

TRANSITORIUM Lc 1, 48b-49 313/8

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius.

POST COMMUNIONEM 313/9

Magníficet te, Deus, Ecclésia tua,
qui tuis fecísti magna fidélibus,
et, quem laténtem beátus Ioánnes cum exsultatióne præsénsit,
eúndem semper spiritum viventem
cum lætítia in hoc percípiat sacraménto.
Per Christum.

IUNIUS

Die 1 iunii

314 ## S. Iustini, martyris

Memoria

INGRESSA Cf. Ps 118, 85. 46 314/1

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes,
sed non sicut lex tua Dómine;
ego autem loquébar de testimóniis in conspéctu regum,
et non confundébar.

SUPER POPULUM 314/2

Deus, qui per stultítiam crucis
eminéntem Iesu Christi sciéntiam
beátum Iustínum mártyrem mirabíliter docuísti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut, errórum circumventióne depúlsa,
firmitátem fídei consequámur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Act 20, 21. 24 314/3

Testíficans fidem in Dóminum nostrum Iesum,
nihil véreor;
nec fácio ánimam meam pretiósam mihi,
dúmmodo consúmmem cursum meum
et ministérium, quod accépi,
testificári evangélium grátiæ Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 314/4

Deus, qui beátum mártyrem Iustínum
ad tui cognitiónem inter falláces doctrínas hóminum perduxísti,
ipso intercedénte, quǽsumus, concéde propítius,
ut inter sǽculi huius erróres
in fídei constánter integritáte perstémus
Per Christum.

SUPER OBLATA 314/5

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quæ beátus Iustínus strénua virtúte defféndit.
Per Christum.

PRÆFATIO 314/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui Ecclésiæ tuæ inítiis mártyrem Iustínum mirabíliter elegísti,
ut prophetárum mystéria et apostolórum doctrínam
Iudǽis Gentibúsque scriptis explanáret atque defénderet,
ac fidem tuam coram princípibus propugnáret.
Cui pro fidéli ministério concessísti,
ut sánguinem fúnderet coram multis téstibus te confessus,
et inter mártyrum exércitus candidátos
a Christo glóriæ corónam recíperet in ætérnum.
Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Cor 2, 7 314/7

Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est,
quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram.

TRANSITORIUM 1 Cor 2, 2 314/8

Non iudicávi scire me áliquid inter vos
nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum.

POST COMMUNIONEM 314/9

Cælésti alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, sicut beátus martyr Iustínus veritátem tuam
usque ad mortem retínuit et cruóre signávit,
sic et nos ab ea numquam tua grátia recedámus.
Per Christum.

Die 2 iunii

315 Ss. Marcellini et Petri, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 3 iunii

316 Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum

Memoria

De communi martyrum (pp. 830-833).

SUPER POPULUM 316/2

Deus, qui sánguinem mártyrum
semen christianórum esse fecísti,
concéde propítius, ut ager Ecclésiæ tuæ,
qui est beatórum Cároli eiúsque sociórum cruóre rigátus,
in amplam tibi messem iúgiter fecundétur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 316/4

Ecclésia tua, Dómine, novórum sánguine mártyrum irroráta,
lætióre in dies gérmine renascátur,
ac sua semper gáudeat libertáte,
ut assídua pro salúte géntium testis evangélii persevéret.
Per Christum.

SUPER OBLATA 316/5

Hóstias tibi, Dómine, offérimus, supplíciter exorántes,
ut, sicut beátis martýribus magis mori quam peccáre tribuísti,
ita nos fácias altári tuo tibi soli déditos ministráre.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 316/9

Divína, Dómine, qui súmpsimus sacraménta,
sanctórum mártyrum tuórum victóriam recoléntes,
quǽsumus, ut, quæ ipsis ad perferénda supplícia contulérunt,
ea nobis inter advérsa præbeant fídei caritatísque constántiam.
Per Christum.

Die 5 iunii

317 S. Bonifatii, episcopi et martyris

Memoria

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro missionariis (pp. 844-847).

Die 6 iunii

318 S. Norberti, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

319 S. Gerardi de Monza

De communi sanctorum (pp. 860-864).

Die 9 iunii

320 S. Ephræm, diaconi et Ecclesiæ doctoris

De communi doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 320/2

Córdibus nostris, quǽsumus, Dómine,
Spíritum sanctum benígnus infúnde,
cuius afflátu beátus Ephræm diáconus
in tuis decantándis mystériis exsultávit.
Per Dóminum.

Die 11 iunii

321 S. BARNABÆ, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Cf. Act 11, 24 321/1

Beátus iste sanctus,
qui annumerári méruit inter apóstolos:
erat enim vir bonus,
et plenus Spíritu sancto et fide.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 321/2

Deus, qui beátum Bárnabam, plenum fide et Spíritu sancto,
segregári ad conversiónem géntium præcepísti,
concéde, ut evangélium Christi,
quod ipse strénue prædicávit,
ore ubíque et ópere fidéliter nuntiétur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 321/3

Pater, qui voluísti Fílium tuum a mórtuis suscitátum
prius apóstolis fíeri manLiféstum,
fac ut eius testes simus usque ad últimum terræ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 321/4

Deus, qui beátum Bárnabam
in prædicatióne tuis apóstolis sociásti,
tríbue, quǽsumus, ad eius nos perveníre consórtium,
cuius celebrámus præsénti festivitáte triúmphum.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 321/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
et illo nos igne tuæ dilectiónis accénde,
quo beátus Bárnabas lumen evangélii géntibus apportávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 321/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ex cœtu férvida in Christum sinceritáte credéntium
Bárnabam arcána tui voce Spíritus elegísti,
atque Paulo et apostolórum dignátus es aggregáre collégio.

Sed et illum ad ministérium misísti evangélicæ veritátis,
ut étiam géntibus salus prædicarétur et vita.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Act 2, 42 321/7

Erant discípuli perseverántes in doctrína apostolórum
et communicatióne, in fractióne panis et oratiónibus.

TRANSITORIUM Io 15, 15 321/8

Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid facit dóminus eius;
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

POST COMMUNIONEM 321/9

Ætérnæ pignus vitæ capiéntes,
te, Dómine, humíliter implorámus,
ut, quod pro beáti Bárnabæ apóstoli memória
in imágine gérimus sacraménti,
manifésta in cælis perceptióne sumámus.
Per Christum.

Die 13 iunii

322 S. Antonii de Padova, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Die 18 iunii

323 S. Romualdi abbatis

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 323/2

Deus, qui per beátum Romuáldum
in Ecclésia tua vitam eremíticam renovásti,
concéde, ut, nosmetípsos abnegántes
et Christum sédulo prosequéntes,
felíciter ad cæléstia regna mereámur ascéndere.
Per eúndem Dóminum.

Die 19 iunii

324 SS. PROTASII ET GERVASII, MARTYRUM

Festum

INGRESSA Cf. Ap 12, 11 324/1

Isti sunt sancti,
qui vicérunt propter sánguinem Agni,
et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem;
proptérea cum Christo regnant in ætérnum.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 324/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat,
quæ de beatórum mártyrum tuórum Protásii et Gervásii
glorificatióne procédit,
quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 324/3

Vos estis vasa sancta Dómino
auro fulgénte ante Dóminum,
quia sponte obtulístis Dómino Deo ánimas vestras
in ætérnum et in sǽculum sǽculi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 324/4

Fratérna nos, Dómine,
mártyrum tuórum Protásii et Gervásii coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 324/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, illo nos igne tuæ dilectiónis accéndant,
quo sancti Protásius et Gervásius
torménta suórum córporum univérsa vicérunt.
Per Christum.

PRÆFATIO 324/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui martýribus tuis, pro tui nóminis amóre certántibus,
virtútem fídei et mirándæ constántiæ contulísti.

Inter quos et pios fratres Protásium et Gervásium
aggregáre dignátus es,
qui vexíllo cælésti signáti
apóstoli sumpsérunt arma victrícia,
et a mundánis néxibus absolúti
líberi et expedíti Christum Dóminum sunt secúti.
Pro quorum triúmphis fecundíssima mater hæc lætátur Ecclésia,
quæ per beátum Ambrósium tales méruit fílios reperíre,
qui signa sibi virtútum gloriámque procúrant.

Proptérea his beátis, quos cólimus,
una voce sociámur,
cum cælítibus ómnibus
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Lc 22, 28-30 324/7

Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis;
et ego dispóno vobis regnum, dicit Dóminus,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.

TRANSITORIUM 324/8

Isti sunt, qui propter sacrum martýrium
facti sunt perfécti et fidéles amíci Christi.
Opórtet nos mundum contémnere,
ut possímus sequi Christum Dóminum,
ne perdámus vitam perpétuam
propter vanam huius mundi glóriam.

POST COMMUNIONEM 324/9

**Unius panis alimónia refécti, Dómine,
in festivitáte beatórum mártyrum Protásii et Gervásii
supplíciter deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ ambuláre concédas.
Per Christum.**

Die 21 iunii

325 S. Aloisii Gonzaga, religiosi

Memoria

INGRESSA Cf. Ps 23, 4.3 325/1

Innocens mánibus et mundo corde
ascéndet in montem Dómini,
et stabit in loco sancto eius.

SUPER POPULUM 325/2

**Deus, cæléstium auctor donórum,
qui in beáto Aloísio miram vitæ innocéntiam
cum pæniténtia sociásti,
eius méritis et intercessióne concéde,
ut, innocéntem non secúti,
pæniténtem fidéliter imitémur.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 40, 13; 83, 11 325/3

Me propter innocéntiam suscepísti, Dómine,
et statuísti me in conspéctu tuo in ætérnum.
Elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 325/4

Deus, qui beátum Aloísium tanto incendísti caritátis ardóre,
ut témpora multa in brevi consummátus explevérit,
da, quǽsumus, ut, eius exémplo incitáti
et oratióne suffúlti,
céleri virtútum increménto
mérita in nobis glóriæ augeámus ætérnæ.
Per Christum.

SUPER OBLATA 325/5

Cæléstí convívio fac nos, Dómine,
exémplo sancti Aloísii,
nuptiáli veste semper indútos accúmbere,
ut ex huius participatióne mystérii
grátia tua dívites éffici mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 325/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.
Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.
Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.
Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 19, 27-29 325/7

Amen dico vobis
quod vos, qui reliquístis ómnia
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis
et vitam ætérnam possidébitis.

TRANSITORIUM Ps 77, 24-25 325/8

Panem cæli dedit eis Dóminus;
panem angelórum manducávit homo.

POST COMMUNIONEM 325/9

Angelórum esca nutrítos
da nos, Dómine, pura tibi conversatióne servíre,
et eius, quem hódie celebrámus, exémplo,
in gratiárum semper actióne manére.
Per Christum.

Die 22 iunii

326 S. Paulini Nolani, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 326/2

Deus, qui beátum Paulínum epíscopum
paupertátis amóre et pastoráli sollicitúdine
claréscere voluísti,
concéde propítius, ut, cuius mérita celebrámus,
caritátis fidéliter imitémur exémpla.
Per Dóminum.

327 Ss. Ioannis Fisher episcopi et Thomæ More, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 24 iunii

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ

Sollemnitas

328 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere diei 23 iunii.

INGRESSA Cf. Lc 1, 15. 14 328/1

Hic erit magnus coram Dómino,
et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ,
et multi in nativitáte eius gaudébunt.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 328/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut família tua per viam salútis incédat,
et, beáti Ioánnis præcursóris hortaménta sectándo,
ad Christum, quem prædíxit, secúra pervéniat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Mal 3, 23a-24 328/3

Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam,
et convértet cor patrum ad fílios
et cor filiórum ad patres eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 328/4

Præcursóris tui Ioánnis Baptístæ
nos, quǽsumus, Dómine, intercéssio sancta comméndet,
ut et spiritálibus mereámur eius prædicatiónibus erudíri
et eo quo prǽcipis, ipso adiuvánte,
nostra possit perveníre fragílitas.
Qui vivis.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 328/5

Múnera pópuli tui, Dómine, propitiátus inténde,
in beáti Ioánnis Baptístæ sollemnitáte deláta,
ut, quæ mystério gérimus,
débitæ servitútis actióne sectémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 328/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in festívo Ioánnis Baptístæ natalício prædicáre,
quod miránda quoque tuæ poténtiæ prodígia collustrárunt.

Génitor enim, cum dubitávit nascitúrum,
sermónis amísit offícium,
eóque nascénte celsas tibi laudes ore prophético decantávit.

Sed et matrem senem sterilémque
tantis Spíritus tui munéribus decorásti,
ut visitántem Matrem Unigéniti tui incunctánter agnóverit,
illámque pro fidéi mérito sit proféssa beátam,
ac sénserit in grémio felix púerum gáudio gestiéntem.

Qua ígitur lætítia fuit a te natívitas eius ornáta,
glóriam nos étiam tuæ cánimus maiestáti,
cum angelórum choris sanctorúmque clamántes:

CONFRACTORIUM Lc 1, 68 328/7

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ.

TRANSITORIUM Lc 1, 74-76 328/8

Serviámus illi in sanctitáte et iustítia
ómnibus diébus nostris.
Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis:
præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius.

POST COMMUNIONEM 328/9

Sacris dápibus satiátos,
beáti Ioánnis Baptístæ nos, Dómine,
præclára comitétur orátio,
et, quem Agnum nostra ablatúrum crímina nuntiávit,
ipsum Fílium tuum poscat nobis fore placátum.
Qui vivit.

329 IN DIE

INGRESSA Cf. Io 1, 6-7; Lc 1, 7 329/1

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes;
hic venit, ut testimónium perhibéret de lúmine,
paráre Dómino plebem perféctam.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 329/2

Deus, qui beátum Ioánnem Baptístam tua providéntia destinásti,
ut perféctam plebem Christo Dómino præparáret,
da, quǽsumus, ut família tua, huius intercessióne præcónis,
et a peccátis ómnibus exuátur
et eum, quem prophetávit, invéniat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Mal 3, 23a-24 329/3

Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam,
et convértet cor patrum ad fílios
et cor filiórum ad patres eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 329/4

Omnípotens sempitérne Deus, te súpplices exorámus,
ut córdibus nostris des illam sequi
tuárum rectitúdinem semitárum,
quam beáti Ioánnis Baptístæ vox clamántis edócuit.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 329/5

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus,
illíus nativitátem honóre débito celebrántes,
qui Salvatórem mundi et cécinit affutúrum
et adésse monstrávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 329/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in hodiérnæ die festivitátis excólere,
quam beáti Baptístæ Ioánnis fecísti nativitáte præcláram.

Qui et, ántequam conciperétur, a te nomen accépit
et est a te Spíritu sancto, priúsquam nascerétur, implétus.

Unde vocem matris Christi nondum éditus sentíre proméruit,
et adhuc clausus útero advéntum Salvatóris
prophética exsultatióne gestívit.

Ipsum enim habitúrus erat Dóminus præcursórem,
quem inter natos mulíerum erat máximum vocatúrus.

De donis ergo tanto prophétæ copiósius attribútis
láudibus te magnis gratulánter extóllimus,
hymnúmque tibi glóriæ cum cælítibus intonámus:

CONFRACTORIUM Cf. Io 1, 29 329/7

Ioánnes respíciens Iesum ambulántem, dicit:
Ecce Agnus Dei.

TRANSITORIUM Lc 1, 78 329/8

Per víscera misericórdiæ Dei nostri
visitábit nos óriens ex alto.

POST COMMUNIONEM 329/9

Cæléstis Agni convívio refécti, te, Dómine, deprecámur,
ut Ecclésia tua,
sumens de beáti Ioánnis Baptístæ generatióne lætítiam,
quem ille prænuntiávit ventúrum,
suæ regeneratiónis cognóscat auctórem.
Qui vivit.

Die 26 iunii

330 S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 330/2

Deus, qui beátum Cyríllum epíscopum
assertórem invíctum divínæ maternitátis
beatíssimæ Maríæ vírginis effecísti,
concéde, ut, qui vere eam Dei crédimus Genetrícem,
per incarnatiónem Fílii tui
eiúsdem Vírginis intercessióne salvémur.
Qui tecum vivit.

Die 27 iunii

331 S. Arialdi, diaconi et martyris

Memoria

INGRESSA 331/1

Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem,
et a verbis impiórum non tímuit;
fundátus enim erat supra firmam petram.

SUPER POPULUM 331/2

Deus, qui beátum Ariáldum sacerdotális sanctimóniæ
propugnatórem strénuum usque ad effusiónem sánguinis tribuísti,
da pastóres Ecclésiæ tuæ castis móribus
integritátem fídei custodíre,
omniúmque semper præfulgére nitóre virtútum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Rom 8, 38-39 331/3

Neque mors neque vita
neque ália quælibet creatúra
póterit nos separáre a caritáte Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 331/4

Adsit nobis, quǽsumus, Dómine,
beáti mártyris tui Ariáldi intercéssio gloriósa,
ut, eius exémplo et méritis roboráti,
contémptis terrénis cupiditátibus,
tantum cæléstia cupiámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 331/5

Omnípotens ætérne Deus,
tuórum levitárum heréditas martyrúmque coróna,
múnera benígnus intuére,
quæ in beáti diáconi et mártyris tui Ariáldi
celebratióne deférimus,
nobísque concéde,
ut immaculátum exhibeámus ministérium,
tuæ puríssimam immolántes hóstiam maiestáti.
Per Christum.

PRÆFATIO 331/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, levítæ et mártyris tui Ariáldi
memóriam providénter instáurans,
novis nos exémplis ad certándum bonum certámen fídei roborásti.

Magna enim virtúte athléta Christi fortíssimus
magístrum secútus Ambrósium
et in apostólicæ fídei petra fundátus,
Fílii tui minístros ad decus castimóniæ revocávit.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24 331/7

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 331/8

Sanguis sanctórum mártyrum
pro Christo effúsus est in terris;
ídeo adépti sunt prǽmia sempitérna.

POST COMMUNIONEM 331/9

Angélica esca, quam hódie beátum Ariáldum commemorántes
in exsultatióne percépimus,
cordis in nobis puritátem corporísque confírma,
ut ad cæléstis Agni dapes perveniámus ætérnas.
Qui vivit.

Die 28 iunii

332 S. Irenæi, episcopi et martyris

Memoria

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 332/2

Deus, qui beáto Irenǽo epíscopo tribuísti,
ut veritátem doctrínæ ac pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret,
concéde, quǽsumus, eius intercessióne,
ut nos fide et caritáte renovémur,
ad unitátem concordiámque fovéndam semper inténti.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 332/4

Deus, qui beátum Irenǽum ad pascéndum pópulum tuum
Spíritu veritátis et dilectiónis implésti,
præsta ut, cuius festivitátem ágimus venerándo,
eius imitatióne proficiámus et intercessióne iuvémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 332/5

Glóriam tibi, Dómine, cónferat sacrifícium,
quod in natáli beáti Irenǽi tibi lætánter offérimus,
et prǽbeat nobis dilígere veritátem,
ut et inviolátam Ecclésiæ fidem
et unitátem stábilem teneámus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 332/9

Per hæc sacra mystéria, quǽsumus, Dómine,
da nobis fídei miserátus augméntum,
ut, quæ sanctum Irenǽum epíscopum
usque ad mortem reténta gloríficat,
nos étiam iustíficet eam veráciter persequéntes.
Per Christum.

Die 29 iunii

SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM

Sollemnitas

333 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere diei 28 iunii.

INGRESSA 333/1

Petrus apóstolus et Paulus doctor géntium
ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 333/2

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster,
beatórum apostolórum Petri et Pauli
intercessiónibus sublevári,
ut, per quos Ecclésiæ tuæ supérni múneris rudiménta donásti,
per eos subsídia perpétuæ salútis impéndas.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Mt 16, 18; Io 21, 16 333/3

Priúsquam te vocárem de mari, Simon, cognóvi te,
et, ántequam confiteréris nomen meum,
oves meas trádidi tibi;
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 333/4

Famíliam tuam, Dómine, propítius intuére,
et apostólicis defénde præsídiis,
ut eórum précibus gubernétur,
quibus nítitur te constituénte princípibus.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 333/5

Múnera, Dómine, tuis altáribus adhibémus,
de beatórum apostolórum Petri et Pauli
sollemnitátibus gloriántes,
ut quantum de nostro mérito formidámus,
tantum gloriémur de tua benignitáte salvándi.
Per Christum.

PRÆFATIO 333/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia nos beáti apóstoli Petrus et Paulus
tua dispositióne lætíficant:
hic princeps fídei confiténdæ,
ille intellegéndæ clarus assértor;
hic relíquiis Israel instítuens Ecclésiam primitívam,
ille magíster et doctor géntium vocandárum.

Sic, divérso consílio unam Christi famíliam congregántes,
par mundo venerábile, una coróna sociávit.

Et ídeo cum sanctis et ángelis univérsis te collaudámus,
sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 16 333/7

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat.

TRANSITORIUM Io 21, 15. 17 333/8

Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Dómine, tu ómnia scis, tu cognóscis quia amo te.
Pasce oves meas.

POST COMMUNIONEM 333/9

Fidéles tuos, Dómine,
cæléstibus corróbora sacraméntis,
quos apostolórum doctrína veráciter illustrásti.
Per Christum.

334 IN DIE

INGRESSA 334/1

Isti sunt qui, vivéntes in carne,
plantavérunt Ecclésiam sánguine suo:
cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 334/2

Deus, qui huius diéi venerándam sanctámque lætítiam
in apostolórum Petri et Pauli sollemnitáte donásti,
da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus serváre præcéptum,
per quos Fílii tui religiónis sumpsit exórdium.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Act 5, 41 334/3

Tradidérunt ánimas pro nómine Dómini nostri Iesu Christi;
ibant gaudéntes,
quóniam digni hábiti sunt contuméliam pati.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 334/4

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti apóstoli tui Petri
fide et nómine consecrásti,
quique beátum illi Paulum
ad prædicándam géntibus glóriam tuam
sociáre dignátus es,
concéde, ut omnes, qui de eórum sollemnitáte congáudent,
spiritáli remuneratióne diténtur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 334/5

Hóstiam, Dómine, quam tuo sacrándam nómini perhibémus,
apostólica prosequátur orátio,
nosque tibi reddat in sacrifício celebrándo devótos.
Per Christum.

PRÆFATIO 334/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Sed et te hódie gloriósius prædicáre,
cum Petrum et Paulum apóstolos celebráre gaudémus.

Quos ita eléctio tua consecráre dignáta est,
ut beáti Petri sæculárem piscándi artem
in divínum dogma convérteret,
sanctúmque Paulum,
quem persecutórem prius metuébat Ecclésia,
nunc cæléstium mandatórum ipsa lætétur habére doctórem.

Alteri namque claves tradidísti cæléstis impérii,
álteri ad vocándas gentes divínæ legis sciéntiam contulísti.

Utrúmque autem fecísti in apostolórum prænitére collégio,
testémque Christi fide ac dilectióne mirábilem
fulgéntis glóriæ præcinxísti in æternitáte coróna.

Quaprópter, de prærogatívis eórum et méritis gratulántes,
te bonórum largitórem ómnium venerámur in gáudio,
et cum ángelis et sanctis te laudámus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 6, 68-69 334/7

Dómine, ad quem íbimus?
Verba vitæ ætérnæ habes;
et nos credídimus et cognóvimus
quia tu es Sanctus Dei.

TRANSITORIUM Mt 16, 16. 18 334/8

Dixit Petrus ad Iesum:
Tu es Christus, Fílius Dei vivi.
Respóndit Iesus: Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

POST COMMUNIONEM 334/9

Da nobis, Dómine, hoc sacraménto reféctis,
ita in Ecclésia conversári,
ut, perseverántes in fractióne panis apostolorúmque doctrína,
cor unum simus et ánima una, tua caritáte firmáti.
Per Christum.

Die 30 iunii

335 Ss. Protomartyrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ

De communi martyrum (pp. 830-833).

SUPER POPULUM 335/2

Deus, qui Románæ Ecclésiæ copiósa primórdia
mártyrum sánguine consecrásti,
concéde, quǽsumus,
ut firma virtúte de tanti agóne certáminis solidémur,
et clara semper victória gaudeámus.
Per Dóminum.

Sabbato post dominicam secundam post Pentecosten

336 Immaculati cordis Beatæ Mariæ Virginis

INGRESSA Ps 12, 6b 336/1

Exsultábit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

SUPER POPULUM 336/2

Deus, qui cor beátæ Maríæ vírginis
dignum sancti Spíritus habitáculum præparásti,
eiúsdem Vírginis nobis intercessióne concéde,
ut inveníri tuæ templum glóriæ mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 2, 19 336/3

María conservábat ómnia verba hæc
cónferens in corde suo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 336/4

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine,
preces propitiátus exáudi,
et illo nos igne Spíritus sanctus inflámmet,
quo cor beatíssimæ Deíparæ vírginis succéndere voluísti,
ut pro tuæ maiestátis honóre hominúmque salúte flagráret.
Per Christum.

SUPER OBLATA 336/5

Preces, Dómine, tuórum réspice oblationésque fidélium
in beátæ Maríæ Dei genetrícis commemoratióne delátas,
ut tibi gratæ sint, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium.
Per Christum.

PRÆFATIO 336/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui in cruce pósitus,
tamquam hereditário múnere prosecútus,
diléctum discípulum vicárium pro se matri fílium
cleménter attríbuit,
in hoc pótius salúti nostræ cónsulens,
quam subsídio Genetrícis.

Figúram namque Ioánnes géneris præbet humáni,
universórum mater fit in ipso María,
ut ubérior divínæ pietátis grátia redúndet in nobis,
qui inexháustas eius cordis divítias scire merúimus et vidére.

Et ídeo ipsi Vírgini cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 1, 28. 42 336/7

Confirmátum est cor vírginis Maríæ,
ángelo Dómini dicénte ad eam:
Ave, grátia plena, Dóminus tecum;
benedícta tu inter mulíeres,
et benedíctus fructus ventris tui.

TRANSITORIUM Cf. Io 19, 26-27 336/8

Dilécto discípulo Dóminus
matrem comméndat, dicens:
Ioánnes, ecce mater tua; múlier, en fílius tuus.

POST COMMUNIONEM 336/9

Redemptiónis ætérnæ partícipes effécti,
te, Dómine, deprecámur,
ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam celebrámus,
et de grátiæ tuæ plenitúdine gloriémur
et salvatiónis contínuum sentiámus augméntum.
Per Christum.

Die 3 iulii

337 S. THOMÆ, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Ps 117, 28. 21 337/1

Deus meus es tu, et confitébor tibi,
Deus meus, et exaltábo te;
confitébor tibi, quóniam exaudísti me
et factus es mihi in salútem.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 337/2

Da nobis, omnípotens Deus,
festivitáte beáti Thomæ apóstoli gloriári,
ut eius semper et patrocíniis sublevémur
et vitam credéntes habeámus in nómine Iesu,
quem ipse Dóminum confidénter agnóvit.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Io 14, 5-6 337/3

Dicit Thomas: Dómine, nescímus quo vadis;
quómodo póssumus viam scire?
Dicit ei Iesus: Ego sum via et véritas et vita.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 337/4

Adiuvet famíliam tuam venerándus Thomas apóstolus,
tibi, Dómine, supplicándo,
et pius semper intervéntor exsístat,
qui tui nóminis éxstitit prædicátor.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 337/5

Débitum tibi, Dómine, nostræ réddimus servitútis,
supplíciter exorántes,
ut in nobis tua múnera tueáris,
qui in confessióne beáti Thomæ apóstoli
laudis tibi hóstias immolámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 337/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui prius suis osténsus apóstolis Thomam sivit abésse,
ut póstmodum, infidelitátis detérsa calígine,
credéntium fidem eius palpátio roboráret.

Hic enim discípulus, cum verum Magístri corpus agnóvit,
et Deum esse crédidit Dominúmque conféssus est,
et eius veræ resurrectiónis probátus testis evásit.

Et ídeo cum illo et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM 1 Io 1, 1. 3 337/7

Quod vídimus óculis nostris,
et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ,
quod vídimus et audívimus, annuntiámus et vobis.

TRANSITORIUM Cf. Io 20, 27 337/8

Mitte manum tuam, et cognósce loca clavórum,
et noli esse incrédulus, sed fidélis.

POST COMMUNIONEM 337/9

Deus, cuius Unigéniti corpus
in hoc veráciter suscépimus sacraménto,
præsta, quǽsumus, ut, quem fide cum apóstolo Thoma
Dóminum nostrum Deúmque cognóscimus,
ipsum ópere quoque profiteámur et vita.
Qui vivit.

Die 4 iulii

338 S. Elisabeth Lusitaniæ

De communi sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

SUPER POPULUM 338/2

Deus, auctor pacis et caritátis amátor,
qui beátam Elísabeth
mira dissidéntes componéndi grátia decorásti,
da nos, eius intercessióne,
pacis ópera sédulos exercére,
ut fílii Dei possímus veráciter nominári.
Per Dóminum.

Die 5 iulii

339 S. Antonii Mariæ Zaccaria, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro educatoribus (p. 872) vel pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 339/2

Da nobis, Dómine,
ut supereminéntem Iesu Christi sciéntiam
spíritu Pauli apóstoli prosequámur,
qua beátus Antónius María excelléntius
verbum salútis in Ecclésia tua iúgiter prædicávit.
Per Dóminum.

Die 6 iulii

340 S. Mariæ Goretti, virginis et martyris

De communi virginis et martyris (p. 828).

SUPER POPULUM 340/2

Deus, innocéntiæ auctor et castitátis amátor,
qui fámulæ tuæ Maríæ
iuveníli ætáte martýrii grátiam contulísti,
da nobis in mandátis tuis, quǽsumus,
eius intercessióne constántiam,
qui robur certánti vírgini coronámque dedísti.
Per Dóminum.

Die 11 iulii

341 S. BENEDICTI, ABBATIS

Festum

Cantus sumuntur de communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 341/2

Deus, qui beátum Benedíctum abbátem
præclárum constituísti in schola tui servítii præceptórem,
tríbue, quǽsumus,
ut, nihil amóri tuo fidéliter præponéntes,
viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 341/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beáti Benedícti abbátis doctrína
nobis humilitátis sémitas ostendísti,
da, quǽsumus,
ut, præcláris eius méritis roboráti,
per illas lætis méntibus iúgiter gradiámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 341/5

Hæc sancta réspice, Dómine,
quæ in beáti Benedícti celebritáte deférimus,
nosque, veráciter eius exémplis te quæréntes,
tua grátia sic confírma,
ut unitátis in tuo servítio pacísque múnera consequámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 341/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui beátum Benedíctum tantis munéribus tui Spíritus exornásti,
ut, parens imménsæ iustórum súbolis constitútus,
tui fratrúmque dilectiónis agnoscátur
in Ecclésia magíster exímius.

Quin et légifer ómnibus tam lúcidæ discretiónis enítuit,
ut per ducátum evangélii Christi erudíerit pópulos ad salútem,
ac multárum quoque géntium pater venerándus exsístat.

Quaprópter, de ipsíus insígni splendóre gaudéntes,
te mérito cum ómnibus cælítibus collaudámus,
et adiúncti choris angélicis sine fine concínimus:

POST COMMUNIONEM 341/9

Accépto pígnore salútis ætérnæ,
te, Dómine, supplíciter deprecámur,
ut, beáti Benedícti mónitis obsequéntes,
tuo fidéliter serviámus óperi,
fratrésque caritáte férvida diligámus.
Per Christum.

Die 12 iulii

342 Ss. Naboris et Felicis, martyrum

Memoria

INGRESSA Cf. Ap 12, 11 342/1

Isti sunt sancti,
qui vicérunt propter sánguinem Agni,
et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem;
proptérea cum Christo regnant in ætérnum.

SUPER POPULUM 342/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui in tuórum córdibus sanctórum
flammas tuæ dilectiónis accéndis,
da, ut exémplis mártyrum tuórum Náboris et Felícis
usque ad caritátis vérticem ambulémus,
qua vitæ quoque dispéndium libénter offértur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 342/3

Vos estis vasa sancta Dómino,
auro fulgénte ante Dóminum,
quia sponte obtulístis
Dómino Deo ánimas vestras
in ætérnum et in sǽculum sǽculi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 342/4

Fratérna nos, Dómine,
mártyrum tuórum Náboris et Felícis coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ prǽbeat increménta virtútum
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 342/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, illo nos igne tuæ dilectiónis accéndant,
quo sancti Nabor et Felix
torménta suórum córporum univérsa vicérunt.
Per Christum.

PRÆFATIO 342/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim in altitúdine cæli ille victor est Agnus,
qui triúmphi sui facit mártyres esse consórtes.

In virtúte nempe sánguinis eius
suum Nabor et Felix testimónium reddidérunt,
et, per multas tribulatiónes ad mortem usque dedúcti,
nunc in tui conspéctu throni pérmanent stolis amícti,
quas fórtiter prœliántes in Agni sánguine dealbárunt.

Tuque omnem lácrimam, Deus, ab óculis eórum abstérgis,
eórum tu sitim ad aquas vitæ incessánter extínguis;
tu tríbuis illis ut in nómine tuo Christíque Dómini
et civitátis tuæ novæ Ierúsalem gloriéntur.

Quorum vócibus laudis nostras quoque
cum exsultatióne coniúngimus,
tibi cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Lc 22, 28-30 342/7

Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis;
et ego dispóno vobis regnum, dicit Dóminus,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.

TRANSITORIUM 342/8

Isti sunt, qui propter sacrum martýrium
facti sunt perfécti et fidéles amíci Christi.
Opórtet nos mundum contémnere,
ut possímus sequi Christum Dóminum,
ne perdámus vitam perpétuam
propter vanam huius mundi glóriam.

POST COMMUNIONEM 342/9

Unius panis alimónia refécti, Dómine,
in festivitáte beatórum mártyrum Náboris et Felícis
supplíciter deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ ambuláre concédas.
Per Christum.

Die 13 iulii

343 S. Henrici

De communi sanctorum (pp. 860-864).

SUPER POPULUM 343/2

Deus, qui beátum Henrícum, grátiæ tuæ ubertáte præventum,
e terréni cura regíminis ad supérna mirabíliter erexísti,
eius nobis intercessióne largíre,
ut inter mundánas varietátes
puris ad te méntibus festinémus.
Per Dóminum.

Die 14 iulii

344 S. Camilli de Lellis, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

SUPER POPULUM 344/2

Deus, qui beátum Camíllum presbýterum
caritátis in infírmos singulári grátia decorásti,
eius méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde,
ut, tibi in frátribus serviéntes,
ad te secúri ex hoc mundo transíre possímus.
Per Dóminum.

Die 15 iulii

345 S. Bonaventuræ, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 345/2

Deus, cuius grátia beátus Bonaventúra devotiónis ardórem
egrégie cum pia eruditióne coniúnxit,
da nobis eius exémplo te mente pura et inténta requírere,
ac vívida te semper fratrésque dilígere caritáte.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 345/4

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, beáti Bonaventúræ epíscopi natalícia celebrántes,
et ipsíus proficiámus eruditióne præclára
et caritátis ardórem iúgiter æmulémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 345/5

Sancti tui Bonaventúræ epíscopi et doctóris
nobis, Dómine, pia non desit orátio,
quæ et múnera nostra concíliet
et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 345/9

Da, quǽsumus, Dómine,
per hæc sacraménta quæ súmpsimus,
ut beáti Bonaventúræ exémplo lucére semper et ardére valeámus,
eiúsque doctrínæ sensu sic afficiámur intérius,
ut cum eo caritátis tuæ possímus suavitáte repléri.
Per Christum.

Die 16 iulii

346 B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo

De communi Beatæ Mariæ Virginis (pp. 806-811).

Die 17 iulii

347 S. Marcellinæ, virginis

Memoria

INGRESSA Gal 2, 19b-20 347/1

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.
In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

SUPER POPULUM 347/2

Da nobis, Deus, ut, beátæ Marcellínæ prosequéntes exémpla,
vocem Verbi tui fidéliter audiámus,
sed et illud iúgiter meditémur,
eiúsque moméntis ómnibus sperémus advéntum.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 347/3

Omnia habémus in Christo.
Si vulnus curáre desíderas, médicus est;
si fébribus æstuas, fons est refrigérii;
si cibum quæris, est ipse aliméntum.
Omnia Christus est nobis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 347/4

Ecclésiam tuam, Deus, dignáre cum gáudio et láudibus
beatárum vírginum sociáre,
inter quas Marcellínam integritáte venerábilem
hódie præcípue celebrámus,
ita ut in terra spes nostra cæléstibus adhæréscat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 347/5

Réspice, Deus, fidéles tuos astántes altári
in quo cotídie pro redemptióne nostra Christus offértur,
ac, sicut olim cum illo virginitátis Marcellínæ sacrifícium sociásti,
ita nostrum propósitum fidelitátis et amóris adiúnge.
Per Christum.

PRÆFATIO 347/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
beátam Marcellínam,
piam sorórem solaciúmque Ambrósii atque Sátyri,
cum gáudio recoléntes.

Quæ indivíso corde Christum, virginitátis auctórem,
dilígere prudénter elégit,
ut immaculáti Fílii tui ex illibáta Genetríce progéniti
discípula fíeret atque sponsa,
eiúsque laudes in Ecclésia celebráret.

Cum hac ígitur fámula tua coniúngimur,
quam hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cant 8, 6 347/7

Pone me ut signáculum super cor tuum,
ut signáculum super bráchium tuum,
quia fortis est ut mors diléctio,
dura sicut inférnus æmulátio;
lámpades eius lámpades ignis
atque flammæ divínæ.

TRANSITORIUM 347/8

Cum cœperis quærere, Christus adest.
Non potest deésse quæréntibus se,
qui palam factus est non quæréntibus.
Christus est enim cáritas.

POST COMMUNIONEM 347/9

Præsta, Pater, ut Christus teneátur in nobis
tuæ semper vínculis caritátis,
ac nos ómnia habeámus in ipso.
Qui vivit.

Die 21 iulii

348 S. Laurentii de Brindisi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

Die 22 iulii

349 S. Mariæ Magdalenæ

Memoria

INGRESSA Io 20, 17 349/1

Dixit Dóminus Maríæ Magdalénæ:
Vade ad fratres meos et dic eis:
Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum
et Deum meum et Deum vestrum.

SUPER POPULUM 349/2

Deus, cuius Unigénitus Maríæ Magdalénæ ante omnes
gáudium nuntiándum paschále commísit,
eius nobis exémplo et intercessióne concéde
Christum vivéntem iúgiter prædicáre,
ut in glória tua regnántem felíciter videámus.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 349/3

Rédiens a monuménto Dómini,
María Magdaléna nuntiávit discípulis: Quia vidi Dóminum.
Beáta quæ digna fuit vitæ primum ferre núntium resurgéntis!

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 349/4

Beátæ Maríæ Magdalénæ, Dómine,
exémplis iuvémur et précibus,
quæ, Fílii tuæ virtúte a potestáte dæmonum liberáta,
tota mentis intentióne se illi tríbuit cómitem et minístram.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 349/5

Súscipe, Dómine, múnera
in beátæ Maríæ Magdalénæ commemoratióne deláta,
cuius obséquium devótæ caritátis impénsum
Unigénitus Fílius tuus cleménter excépit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 349/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos te, Pater omnípotens, omni témpore confitéri,
et in hac festivitátis die exsultántibus ánimis prædicáre,
qua beátæ Maríæ Magdalénæ glóriam a te præbitam celebrámus.
Huius enim in corde sic ignem posuísti
erga Christum dilectiónis imménsæ,
ut, eius verbo réddita grátiæ libertátis,
ipsum amánter usque ad crucem sit assídue prosecúta.
Quin et Magístrum post mortem tam veheménti quæsívit ardóre,
ut illum, te largiénte, merúerit singuláriter inveníre,
et prima vitæ nóviter restitútum apóstolis nuntiáre.
Cuius confessiónis sonus nostram adhuc pervádit Ecclésiam,
atque in oratióne fidéliter congregátam
et fide poténter auget et spe cónfovet firmióre.
Unde cum ipsa beáta fámula tua
cælórum cívibus in tuam glóriam sociámur,
maiestáti tuæ cum gáudio sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 20, 13 349/7

Ardens est cor meum:
desídero vidére Dóminum meum;
quæro, et non invénio ubi posuérunt eum.

TRANSITORIUM Cf. 2 Cor 5, 14-15 349/8

Cáritas Christi urget nos,
ut et qui vivunt,
iam non sibi vivant,
sed ei, qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit.

POST COMMUNIONEM 349/9

Mysteriórum tuórum, Dómine, sancta percéptio
perseverántem illum nobis infúndat amórem,
quo beáta María Magdaléna
Christo magístro suo indesinénter adhǽsit.
Qui vivit.

Die 23 iulii

350 S. Birgittæ, religiosæ

De communi sanctorum (pp. 874-879).

SUPER POPULUM 350/2

Dómine Deus noster,
qui beátæ Birgíttæ, Fílii tui passiónem meditánti,
secréta cæléstia revelásti,
da nobis fámulis tuis de eius intercessióne sperántibus,
in revelatióne glóriæ tuæ gaudére perénniter.
Per Dóminum.

Die 25 iulii

351 S. IACOBI, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Cf. Mt 4, 18. 21 351/1

Ambulans Iesus iuxta mare Galilǽæ,
vidit Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius,
reficiéntes rétia sua,
et vocávit eos.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 351/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui apostolórum tuórum primítias
beáti Iacóbi sánguine dedicásti,
da, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ
ipsíus confessióne firmári,
et iúgiter patrocíniis confovéri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 351/3

Isti sunt qui, vivéntes in carne,
plantavérunt Ecclésiam sánguine suo.
In omnem terram exívit sonus eórum,
et in fines orbis terræ verba eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 351/4

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, sicut in commemoratióne beáti apóstoli tui Iacóbi
temporáli gratulámur offício,
ita cum ipso in tui vultus delectatióne
perpétuo lætémur aspéctu.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 351/5

Munda nos, Dómine, passiónis Fílii tui baptísmate salutári,
ut in festo sancti Iacóbi,
quem primum inter apóstolos
cálicis eius partícipem esse voluísti,
beneplácita tibi sacrifícia deferámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 351/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Qui beátum Iacóbum ex húmili rétium arte detráxit,
ut salvandórum hóminum ipsum fáceret piscatórem,
et promptum semper ad ómnia fidelémque discípulum
ad passiónem ante céteros gloriámque martýrii destinávit.
Et ídeo cum illo et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Mc 10, 39 351/7

Cálicem, quem ego bibo, bibétis
et baptísmum, quo ego baptízor,
baptizabímini, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Mc 10, 43-44 351/8

Quicúmque volúerit fíeri maior inter vos,
erit vester miníster,
et quicúmque volúerit in vobis primus esse,
erit ómnium servus.

POST COMMUNIONEM 351/9

Inebriátos cálice Fílii tui, Dómine,
fac nos ad ómnia parátos esse pro tuo nómine subeúnda,
ut beáti apóstoli Iacóbi précibus et exémplo
a caritáte tua, quæ est in Christo Iesu,
nihil nos váleat separáre.
Qui vivit.

Die 26 iulii

352 Ss. Ioachim et Annæ, parentum Beatæ Mariæ Virginis

Memoria

INGRESSA 352/1

Laudémus Ióachim et Annam in generatióne sua,
quia benedictiónem ómnium géntium dedit illis Dóminus.

SUPER POPULUM 352/2

Dómine, Deus patrum nostrórum,
qui beátis Ióachim et Annæ hanc grátiam contulísti,
ut Mater ex eis incarnáti tui Fílii nascerétur,
utriúsque précibus concéde,
ut salútem tuo promíssam pópulo consequámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 2, 37-38; 1, 68 352/3

Ioáchim et Anna
Dómino serviébant nocte ac die,
exspectántes redemptiónem Israel;
orábant Deum, ut visitáret plebem suam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 352/4

Preces nostras, Dómine, propitiátus exáudi,
et sicut per beátos Ióachim et Annam
benígne promissiónibus tuis fidélis esse voluísti,
ita nos humíliter supplicántes
dilectiónem tuam concéde iúgiter promeréri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 352/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
múnera nostræ devotiónis, et præsta,
ut eiúsdem benedictiónis,
quam Abrahæ et eius sémini promisísti,
mereámur bonis opéribus esse partícipes.
Per Christum.

PRÆFATIO 352/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Et te in beatórum Ióachim et Annæ glória prædicáre,
et in eórum memória tuæ propósitum dilectiónis excólere,
quo salútem humáno géneri miséricors tribuísti.
Pópulum enim ut tuus esset elegísti múnere singulári,
fœdúsque cum illo artíssimum iam antíquitus pepigísti,
novum cum géntibus feriéndum ac perféctius præfigúrans.
Cum vero beáta advénit témporum plenitúdo,
sanctíssimam prolem his paréntibus Maríam vírginem concessísti,
per quam et Christum donásti nobis pérditis redemptórem.
Cum his ígitur fámulis tuis coniúngimur,
quos hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 55, 3 352/7

Inclináte aurem vestram et veníte ad me;
audíte, ut vivat ánima vestra,
et fériam vobíscum pactum sempitérnum,
misericórdias David fidéles.

TRANSITORIUM Cf. Ps 23, 5 352/8

Accepérunt benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.

POST COMMUNIONEM 352/9

Deus, qui Unigénitum tuum nasci ex homínibus voluísti,
ut hómines ex te mystério renasceréntur exímio,
quǽsumus, ut, quos filiórum pane satiásti,
adoptiónis spíritu tua benignitáte sanctífices.
Per Christum.

Die 28 iulii

353 Ss. Nazarii et Celsi, martyrum

Memoria

INGRESSA Cf. Ap 12, 11 353/1

Isti sunt sancti,
qui vicérunt propter sánguinem Agni,
et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem;
proptérea cum Christo regnant in ætérnum.

SUPER POPULUM 353/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui in tuórum córdibus sanctórum
flammas tuæ dilectiónis accéndis,
da, ut exémplis mártyrum tuórum Nazárii et Celsi
usque ad caritátis vérticem ambulémus,
qua vitæ quoque dispéndium libénter offértur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 353/3

Vos estis vasa sancta Dómino,
auro fulgénte ante Dóminum,
quia sponte obtulístis
Dómino Deo ánimas vestras
in ætérnum et in sǽculum sǽculi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 353/4

Fratérna nos, Dómine,
mártyrum tuórum Nazárii et Celsi coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ prǽbeat increménta virtútum
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 353/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte, illo nos igne tuæ dilectiónis accéndant,
quo sancti Nazárius et Celsus
torménta suórum córporum univérsa vicérunt.
Per Christum.

PRÆFATIO 353/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim in altitúdine cæli ille victor est Agnus,
qui triúmphi sui facit mártyres esse consórtes.

In virtúte nempe sánguinis eius
suum Nazárius et Celsus testimónium reddidérunt,
et, per multas tribulatiónes ad mortem usque dedúcti,
nunc in tui conspéctu throni pérmanent stolis amícti,
quas fórtiter prœliántes in Agni sánguine dealbárunt.

Tuque omnem lácrimam, Deus, ab óculis eórum abstérgis,
eórum tu sitim ad aquas vitæ incessánter extínguis;
tu tríbuis illis ut in nómine tuo Christíque Dómini
et civitátis tuæ novæ Ierúsalem gloriéntur.

Quorum vócibus laudis nostras quoque
cum exsultatióne coniúngimus,
tibi cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Lc 22, 28-30 353/7

Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis;
et ego dispóno vobis regnum, dicit Dóminus,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo.

TRANSITORIUM 353/8

Isti sunt, qui propter sacrum martýrium
facti sunt perfécti et fidéles amíci Christi.
Opórtet nos mundum contémnere,
ut possímus sequi Christum Dóminum,
ne perdámus vitam perpétuam
propter vanam huius mundi glóriam.

POST COMMUNIONEM 353/9

Unícus panis alimónia refécti, Dómine,
in festivitáte beatórum mártyrum Nazárii et Celsi
supplíciter deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ ambuláre concédas.
Per Christum.

Die 29 iulii

354 S. Marthæ

Memoria

INGRESSA Cf. Lc 10, 38 354/1

Intrávit Iesus in quoddam castéllum,
et múlier quædam Martha nómine excépit illum in domum suam.

SUPER POPULUM 354/2

Omnípotens sempitérne Deus,
cuius Fílius in domo beátæ Marthæ dignátus est hospitári,
da, quǽsumus, ut eiúsdem intercessióne,
Christo in frátribus nostris fidéliter ministrántes,
in æde cælésti a te récipi mereámur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Io 11, 21. 25 354/3

Accurrérunt María et Martha ad Iesum,
dicéntes: Dómine, Dómine, si fuísses hic,
Lázarus non esset mórtuus.
Respóndit Iesus: Martha,
si credíderis, vidébis glóriam Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 354/4

Da, quǽsumus, Dómine, tua miseratióne propítius,
ut, qui beátæ Marthæ Fílii tui hóspitæ
festivitáte lætámur,
eius méritis in fide sine cessatióne crescámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 354/5

In beáta Martha te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi gratum éxstitit caritátis obséquium,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

PRÆFATIO 354/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et in beátæ Marthæ festivitáte
regem cælórum Christum dignis láudibus celebráre,
quem suis in ǽdibus hospítio devóta suscépit,
et pietátis obséquiis est sollícita prosecúta.

Unde et quadriduánum fratrem suum Lázarum
ab ínferis obtínuit suscitári,
et inseparabíliter in aula cæléstis impérii
cum eódem hóspite Christo proméruit sociári.

Cum hac ígitur fámula tua coniúngimur,
quam hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 11, 21-22 354/7

Dómine, si fuísses hic,
frater meus non esset mórtuus!
Sed et nunc scio quia, quæcúmque popósceris a Deo,
dabit tibi Deus.

TRANSITORIUM Io 11, 27 354/8

Dixit Martha ad Iesum:
Tu es Christus Fílius Dei,
qui in mundum venísti.

POST COMMUNIONEM 354/9

Córporis et sánguinis Unigéniti tui sacra percéptio,
ab ómnibus nos, Dómine, cadúcis rebus avértat,
ut exémplo beátæ Marthæ
valeámus tui sincéra in terris caritáte profícere
et perpétua in cælis contemplatióne gaudére.
Per Christum.

Die 30 iulii

355 S. Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 355/2

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum epíscopum
Verbi tui incarnáti præcónem egrégium effecísti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut tuæ salútis mystéria
et iúgiter scrutémur in corde
et fidéliter significémus in ópere.
Per Dóminum.

Die 31 iulii

356 S. Ignatii de Loyola, presbyteri

Memoria

INGRESSA Phil 2, 10-11 356/1

In nómine Iesu omne genu flectátur
cæléstium et terréstrium et infernórum
et omnis lingua confiteátur:
Dóminus Iesus Christus!
in glóriam Dei Patris.

SUPER POPULUM 356/2

Deus, qui ad maiórem tui nóminis glóriam propagándam
in Ecclésia tua beátum Ignátium suscitásti,
concéde, ut, eius in terris auxílio et imitatióne certántes,
coronári cum ipso mereámur in cælis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Petr 4, 11 356/3

Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei;
si quis minístrat, tamquam ex virtúte quam largítur Deus,
ut in ómnibus glorificétur Deus per Iesum Christum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 356/4

Deus, qui te glorificántibus prǽmia digna retríbuis,
tuam in eis cleméntiam coronándo,
da nobis, beáti Ignátii mérita gloriósa coléntibus,
ut eius válida apud te patrocínia sentiámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 356/5

Pláceant tibi, Dómine Deus,
oblatiónes in sancti Ignátii celebratióne delátæ,
ut sacrosáncta mystéria nos in veritáte sanctíficent,
in quibus fontem virtútum ómnium statuísti.
Per Christum.

PRÆFATIO 356/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.
Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et cælórum confirmávit habitúros esse thesáurum.
Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 16, 26 356/7

Quid prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur,
ánimæ vero suæ detriméntum patiátur?

TRANSITORIUM Lc 12, 49 356/8

Dicit Dóminus: Ignem veni míttere in terram
et quid volo? Si iam accénsus esset!

POST COMMUNIONEM 356/9

Pane reflécti, Dómine, quem veheménter beátus Ignátius esurívit,
quǽsumus, ut laudis hóstia, quam grati obtúlimus
in eius memória veneránda,
ad laudatiónem maiestátis tuæ nos perdúcat ætérnam.
Per Christum.

AUGUSTUS

Die 1 augusti

357 S. Alfonsi Mariæ de' Liguori, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 357/2

Deus, qui per beátum Alfónsum Maríam
doctórem tuum atque pontíficem,
animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam luce mirábili decorásti,
quǽsumus, ut, eius salutáribus mónitis edócti
exemplísque firmáti,
ad te valeámus felíciter perveníre.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 357/4

Deus, qui in Ecclésia tua
nova semper instáuras exémpla virtútum,
da nobis in animárum zelo
beáti Alfónsi Maríæ epíscopi ita vestígiis adhærére,
ut eius in cælis assequámur et prǽmia.
Per Christum.

SUPER OBLATA 357/5

Cælésti, Dómine, Spíritus igne corda nostra cleménter exúre,
qui beáto Alfónso Maríæ tribuísti
et hæc mystéria sanctíssime celebráre
et iísdem hóstiam tibi seípsum exhibére perféctam.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 357/9

Deus, qui beátum Alfónsum Maríam
fidélem dispensatórem et præcónem tanti mystérii providísti,
concéde, ut amánter illud fidéles tui ac frequénter accípiant,
et, roboráti per viam, te in pátria sine fine colláudent.
Per Christum.

Die 2 augusti

358 S. Eusebii Vercellensis, episcopi

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 358/2

Fac nos, Dómine Deus, in asserénda Fílii tui divinitáte
sancti Eusébii epíscopi constántiam consectári,
ut, fidem quam ipse dócuit observántes,
eiúsdem Fílii tui vitæ mereámur esse partícipes.
Qui tecum vivit.

Die 4 augusti

359 S. Ioannis Mariæ Vianney, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 359/2

Deus, qui sanctum Ioánnem Maríam presbýterum
pastoráli stúdio mirábilem Ecclésiæ præbuísti,
da, quǽsumus, ut eius exémplo et intercessióne
Christo fratres in caritáte lucrémur,
et ætérnam cum eis glóriam cónsequi valeámus.
Per eúndem Dóminum.

Die 5 augusti

360 In Dedicatione basilicæ Sanctæ Mariæ

De communi Beatæ Mariæ Virginis (pp. 806-811).

Die 6 augusti

361 IN TRANSFIGURATIONE DOMINI

Festum

INGRESSA Cf. Mt 17, 5 361/1

In splendénti nube Spíritus sanctus visus est,
patérna vox audíta est:
Hic est Fílius meus diléctus,
in quo mihi bene complácui: ipsum audíte.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 361/2

Deus, qui fídei sacraménta
in Unigéniti tui glorióa transfiguratióne
patrum testimónio roborásti,
et adoptiónem filiórum perféctam mirabíliter præsignásti,
concéde ut, ipsíus dilécti Fílii tui vocem audiéntes,
eiúsdem mereámur éffici coherédes.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 361/3

Præséntis vitæ ergástulo liberáti,
ad te, Dómine,
verum lumen et indeficiéntem claritátem
in perpétuum transferámur,
levantésque óculos nostros néminem videámus,
nisi solum Iesum redemptórem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 361/4

Illúmina, quǽsumus, Pater, pópulum tuum,
et splendóre grátiæ tuæ cor eórum semper accénde,
ut Salvatóris mundi, ætérni lúminis glória famulánte,
manifestáta celébritas
méntibus nostris revelétur semper et crescat.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 361/5

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
gloriósa Unigéniti tui transfiguratióne sanctífica,
nosque a peccatórum máculis
splendóribus ipsíus illustratiónis emúnda.
Qui vivit.

PRÆFATIO 361/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui coram eléctis téstibus suam glóriam revelávit,
et commúnem illam cum céteris córporis formam
máximo splendóre perfúdit,
ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur,
et in totíus Ecclésiæ córpore declaráret impléndum
quod eius mirabíliter præfúlsit in cápite.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 35, 10 361/7

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

TRANSITORIUM 1 Io 3, 2b 361/8

Cum Christus apparúerit, símiles ei érimus,
quóniam vidébimus eum, sícuti est.

POST COMMUNIONEM 361/9

Cæléstia, quǽsumus, Dómine, aliménta quæ súmpsimus,
in eius nos transfórment constánter imáginem,
cuius claritátem gloriósa transfiguratióne manifestáre voluísti.
Qui vivit.

Die 7 augusti

362 S. Caietani, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

363 Ss. Xisti II papæ et sociorum, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 8 augusti

364 S. Dominici, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 364/2

Intercéssio nobis, Pater omnípotens,
beáti Domínici presbýteri cunctárum obtíneat dona virtútum,
ut servórum tuórum númerus augeátur,
et peccatórum, verbum tuum audiéntium,
ad te convérti váleant voluntátes.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 364/4

Adiuvet Ecclésiam tuam, miséricors Deus,
beátus Domínicus méritis et doctrínis,
atque pro nobis efficiátur piíssimus intervéntor,
qui tuæ veritátis exstitit prædicátor exímius.
Per Christum.

SUPER OBLATA 364/5

Preces, quas tibi, Deus, offérimus,
intercedénte beáto Domínico, cleménter inténde,
et huius sacrifícii virtúte
propugnatóres fídei grátiæ tuæ protectióne confírma.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 364/9

Cæléstis, Pater, virtútem sacraménti,
quo in beáti commemoratióne Domínici pasti sumus,
percípiat Ecclésia tua plenæ devotiónis afféctu,
et cuius prædicatióne flóruit, eius intercessióne iuvétur.
Per Christum.

Die 10 augusti

365 S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS

Festum

INGRESSA 365/1

Hic est beátus Lauréntius,
qui pro ope Ecclésiæ semetípsum trádidit;
proptérea méruit martýrii passiónem,
ut lætus ascénderet ad Dóminum Iesum Christum.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 365/2

Deus, cuius caritátis ardóre
beátus Lauréntius servítio cláruit fidélis et martýrio gloriósus,
da nobis, ut fide tibi devóta iúgiter hæreámus,
ac tuæ mundo perhibeámus testimónium caritátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 111, 9 365/3

Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sæculum sæculi,
cornu eius exaltábitur in glória.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 365/4

Deus, a quo constántiam fides et virtútem sumit infírmitas,
tríbue nobis, mártyris Lauréntii exémplis et précibus,
in Unigéniti tui passióne consórtium,
ut cum eo apud te
perféctum resurrectiónis gáudium consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 365/5

Præséntia múnera, quǽsumus, Dómine,
ita seréna réspice pietáte,
ut benedictióne sancti Spíritus perfundántur,
et in nostris córdibus eam dilectiónem válidam operéntur,
qua sanctus martyr Lauréntius
ómnia córporis torménta devícit.
Per Christum.

PRÆFATIO 365/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam in nos dilectiónem manifestávit in finem,
cum ánimam suam pro nobis póneret rediméndis,
maiorémque nullam caritátem esse monstrávit,
quam eius qui vitam pro te fratribúsque profúnderet.

Cuius beátus martyr Lauréntius factus in veritáte discípulus,
suprémum coram homínibus hoc testimónium amóris exhíbuit.

Tanto ígitur tuæ benignitátis múnere lætátur Ecclésia,
suámque laudis vocem choris coniúngit angélicis,
qui maiestátis tuæ glóriam sine fine proclámant:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24 365/7

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 12, 26 365/8

Si quis mihi minístrat, me sequátur,
et ubi sum ego, illic et miníster meus erit,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 365/9

Deus, qui crucis mystérium
in sancto mártyre tuo Lauréntio mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per eúndem Christum.

Die 11 augusti

366 S. Claræ, virginis

Memoria

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 366/2

Deus, qui beátam Claram
ad paupertátis amórem misericórditer adduxísti,
ipsa nobis intercedénte, concéde,
ut, Christum in paupertáte spíritus prosequéntes,
ad tui contemplatiónem mereámur in regno perveníre cælórum.
Per eúndem Dóminum.

Die 13 augusti

367 Ss. Pontiani papæ et Hippolyti presbyteri, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833), vel pastorum (p. 848).

Die 14 augusti

368 S. Simpliciani, episcopi

Memoria

INGRESSA 368/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 368/2

Beáti Simpliciáni Ecclésiæ huius pastóris intercessióne præclára,
fidéles tuos, Dómine, cum suo coniúnctos epíscopo
propítius intuére,
tuǽque in illis serva et confírma multifórmia dona salútis,
ut secúndum consílium tuum
plenitúdinem in Christo sanctitátis obtíneant.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 368/3

Sancti tui benedícant tibi,
glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 368/4

Deus, qui hanc Ecclésiam tuam
beáti Simpliciáni epíscopi ministério decorásti,
da nobis eius semper pérfrui méritis et doctrína,
ut ipsíus quoque valeámus in cælis esse coróna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 368/5

Súscipe, Dómine, huius pópuli múnera supplicántis
pro sancti pontíficis tui Simpliciáni commemoratióne deláta,
et maiestáti tuæ nos ipsos pérfice benígnus accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 368/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Hæc enim tibi fidélis atque grata commúnitas,
quæ memóriam beáti Simpliciáni mediolanénsis antístitis
cum suo célebrat lætánter epíscopo,
novus est pópulus tuus Spíritus sancti munéribus exornátus.

Per ipsam fílii tui, quos misëricors elegísti,
in prædicatióne evangélii congregántur,
suǽque fraternitátis in cena Dómini cópulant caritátem,
signum ómnibus dilectiónis et unitátis effécti.

Unde sincéra te gaudent exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 10, 32 368/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est.

TRANSITORIUM Cf. Is 61, 10; 12, 6 368/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 368/9

Accéptum de altári salutáre tuum, Dómine,
nos in sancti Simpliciáni commemoratióne lætíficet,
qua, de tuis benefíciis sollíciti,
pretiósa fídei nostræ múnera profitémur,
et te in sanctis tuis mirábilem prædicámus.
Per Christum.

Die 15 augusti

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

IN VIGILIA

Hæc missa dicitur vespere diei 14 augusti.

INGRESSA 369/1

Gloriósa dicta sunt de te, María,
quæ hódie exaltáta es super choros angelórum,
et in ætérnum cum Christo triúmphas.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 369/2

Deus, qui húmilem ancíllam tuam sanctam Maríam
ad hanc grátiam evexísti,
ut Unigénitum tuum secúndum carnem virgo genúerit,
et glória super omnes cælórum órdines coronásti,
eius nobis da précibus Christi mystério conformári,
ut ab ipso exaltári in regno lucis mereámur et pacis.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 369/3

Ascéndit Christus super cælos,
et præparávit suæ castíssimæ Matri immortalitátis locum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 369/4

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genetrícis orátio,
quam, etsi pro condicióne carnis migrásse cognóscimus,
in cælésti glória apud te pro nobis intercédere sentiámus.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 369/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, sacrifícium placatiónis et laudis,
quod in sanctæ Dei Genetrícis assumptióne celebrámus,
ut ad véniam nos próvehat obtinéndam,
et in perpétua gratiárum constítuat actióne.
Per Christum.

PRÆFATIO 369/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et in huius diéi veneránda festivitáte gaudére.

In qua sancta Dei Génetrix mortem súbiit temporálem,
nec tamen pótuit mortis néxibus subiacére,
quæ Fílium tuum Dóminum nostrum de se génuit incarnátum.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 369/7

Paradísi porta per Evam cunctis clausa est,
et per Maríam vírginem íterum patefácta est.

TRANSITORIUM 369/8

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te gloríficant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

POST COMMUNIONEM 369/9

Sumptis, Dómine, sacraméntis salutáribus, obsecrámus,
ut, beátæ vírginis Maríæ in cælum assúmptæ
patrocínio roboráti,
ad resurrectiónis glóriam felíciter perducámur.
Per Christum.

IN DIE

INGRESSA 370/1

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes
ob honórem beátæ vírginis Maríæ,
de cuius assumptióne gaudent ángeli,
et colláudant Fílium Dei.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 370/2

Deus omnípotens,
qui tam magna in beáta María vírgine perfecísti,
ut córpore quoque et spíritu
amíctam lúmine ad cæléstia regna transtúleris,
da nobis ad supérna semper inténdere,
eiúsque glóriæ fíeri in æternitáte consórtes.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ap 12, 1 370/3

Signum magnum appáruit in cælo:
múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius,
et super caput eius coróna stellárum duódecim.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 370/4

Da nobis, Dómine,
beátæ Maríæ vírginis precatióne confísis,
de cuius assumptióne concédis
renováta semper exsultatióne lætári,
ut ad eiúsdem felíciter gáudia perveniámus ætérna.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 370/5

Beatíssima, Dómine, intercedénte María,
quam eminénti glória super ángelos assumpsísti,
ascéndat ad te plácita hæc nostræ devotiónis oblátio,
et caritátis igne succénsa
ad te corda nostra semper aspírent.
Per Christum.

PRÆFATIO 370/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quóniam in cælos hódie virgo ipsíus Génetrix est assúmpta,
Ecclésiæ tuæ consummándæ inítium páriter et imágo,
ac pópulo peregrinánti certæ spei et solácii documéntum.

Corruptiónem enim sepúlcri eam vidére mérito noluísti,
quæ Fílium tuum vitæ omnis auctórem
ineffabíliter de se génuit incarnátum.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 44, 10. 14. 16 370/7

Lætáre Virgo, mater Christi,
stans a dextris eius in vestítu deauráto,
circumamícta iucunditáte.

TRANSITORIUM Lc 1, 48-49 370/8

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius.

POST COMMUNIONEM 370/9

Cælésti múnere satiátos, omnípotens Deus,
tua nos protectióne custódi,
ut castimóniam et pacem méntibus nostris atque corpóribus,
intercedénte sancta María, propitiátus indúlgeas,
et, veniénte sponso Fílio tuo,
accénsis lampádibus eius digne præstolémur occúrsum.
Qui vivit.

Die 16 augusti

371 S. Rochi

De communi sanctorum (pp. 860-864).

372 S. Stephani Hungariæ

De communi sanctorum (pp. 860-864).

Die 19 augusti

373 S. Ioannis Eudes, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 373/2

Deus, qui beátum Ioánnem presbýterum
ad annuntiándas investigábiles Christi divítias
mirabíliter elegísti,
da nobis, ut eius exémplis et mónitis
in tua sciéntia crescámus alácriter,
et secúndum evangélii lumen fidéliter conversémur.
Per eúndem Dóminum.

Die 20 augusti

374 S. Bernardi, abbatis et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 374/2

Deus, qui beátum Bernárdum abbátem,
zelo domus tuæ succénsum,
in Ecclésia tua lucére simul et ardére fecísti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut eódem ferveámus spíritu caritátis,
et tamquam lucis fílii iúgiter ambulémus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 374/4

Pérfice, Dómine, pium in nobis sanctæ religiónis afféctum,
et ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem
beátus Bernárdus suis pro nobis méritis et précibus intercédat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 374/5

Maiestáti tuæ, Dómine,
unitátis et pacis offérimus sacraméntum,
sancti Bernárdi abbátis memóriam recoléntes,
qui verbo et ópere Ecclésiæ tuæ concórdiam strénue procurávit.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 374/9

Cibus, quem súmpsimus, Dómine,
in celebratióne beáti Bernárdi,
suum in nobis operétur efféctum,
ut, quo doctor ille suáviter ac veheménter exársit,
Verbi tui incarnáti rapiámur amóre.
Per Christum.

Die 21 augusti

375 S. Pii X, papæ

Memoria

De communi pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 375/2

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem
et univérsa in Christo instauránda,
sanctum Pium papam
cæléstí sapiéntia et apostólica fortitúdine replevísti,
concéde propítius, ut, eius institúta et exémpla sectántes,
prǽmia cum ipso consequámur ætérna.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 375/4

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in beáto Pio
boni pastóris exémplum providére dignátus es,
eius intercessióne concéde propítius,
ut in loco mereámur páscuæ tuæ perpétuo collocári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 375/5

Oblatiónibus nostris, Dómine, pia benignitáte suscéptis,
da nos sancti Pii mónitis sic hærére perpétuo,
ut hæc mystéria sincéris tractémus obséquiis,
et fidéli mente sumámus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 375/9

Sancti Pii papæ, Dómine, memóriam celebrántes,
quǽsumus, ut virtúte mensæ cæléstis
constántes efficiámur in fide,
et in tua simus caritáte concórdes.
Per Christum.

Die 22 augusti

376 Beatæ Mariæ Virginis Reginæ

Memoria

INGRESSA 376/1

Dei Génetrix, quæ archángeli gáudium suscepísti,
et Deum in útero portásti sanctum,
quem vidére ut est non præsúmunt ángeli,
Chérubim et Séraphim incessábili cum voce glorífícant,
quem tu portásti, ipsum deprecáre;
donáre nobis magnam misericórdiam deprecámur.

SUPER POPULUM 376/2

Deus, qui Fílii tui Genetrícem
nostram constituísti matrem atque regínam,
concéde propítius,
ut, ipsíus intercessióne suffúlti,
tuórum in regno cælésti consequámur glóriam filiórum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 2, 19 376/3

María conservábat ómnia verba hæc
cónferens in corde suo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 376/4

Omnípotens ætérne Deus,
qui beátam Maríam vírginem
ita dedísti Regi glóriæ genetrícem,
ut pia nobis mater esset atque regína,
ipsa nobis auxiliánte,
concéde ad regna tui gáudii perveníre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 376/5

Beátæ vírginis Maríæ memóriam recoléntes,
súpplices tibi, Dómine, múnera nostra deférimus,
eius nobis rogántes ut succúrrat humánitas,
qui tibi oblatiónem mundam in cruce trádidit semetípsum.
Qui vivit.

PRÆFATIO 376/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius voluísti Matrem régia muneráre coróna,
ut benignitátem dilectiónis exímiæ
potentióre posset virtúte in fílios exercére.

Quaprópter de singulári eius privilégio gratulámur,
tantóque de concésso nobis múnere te laudámus,
cum cælórum íncolis concórdi voce lætantíque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 1, 45 376/7

Beáta es, María virgo, quia credidísti
quæ dicta sunt tibi a Dómino;
cum Christo regnas in ætérnum.

TRANSITORIUM Cf. Io 19, 26-27 376/8

Diléctο discípulo Dóminus
matrem comméndat, dicens:
Ioánnes, ecce mater tua; múlier, en fílius tuus.

POST COMMUNIONEM 376/9

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ vírginis Maríæ regálem cólimus pietátem,
ætérni convívii cum ipsa mereámur esse partícipes.
Per Christum.

Die 23 augusti

377 S. Rosæ de Lima, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 377/2

Deus, qui beátam Rosam,
igne tuæ dilectiónis ardéntem,
mundum relínquere
ac tibi soli in austeritáte pæniténtiæ vacáre fecísti,
da nobis eius intercessióne,
ut, vias vitæ sectántes in terris,
torrénte deliciárum tuárum perfruámur in cælis.
Per Dóminum.

Die 24 augusti

378 S. BARTHOLOMÆI, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Ps 95, 2b-3a 378/1

Annuntiáte de die in diem salutáre Dei,
annuntiáte inter gentes glóriam eius.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 378/2

Róbora in nobis, Dómine, fidem,
qua Fílio tuo mente sincéra
beátus apóstolus Bartholomǽus adhǽsit,
et Ecclésiæ tuæ ipso deprecánte concéde,
ut salútis éadem fiat cunctis géntibus sacraméntum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Cor 1, 23-24 378/3

Prædicámus Christum crucifíxum,
Iudǽis quidem scándalum,
géntibus autem stultítiam;
ipsis autem vocátis,
Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 378/4

Supplicatiónibus apostólicis beáti Bartholomǽi, Dómine,
Ecclésiæ tuæ commendétur orátio,
cuius magníficis prædicatiónibus erudítur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 378/5

Beáti apóstoli tui Bartholomǽi festivitátem,
Dómine, recenséntes,
quǽsumus, ut eius intercessióne tua capiámus auxília,
in cuius honórem tibi laudis hóstias immolámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 378/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et in huius diéi festivitáte devotiónis nostræ vota persólvere,
in qua beátus tuus Bartholomǽus apóstolus,
gloriósum Fílii tui Dómini nostri suíque Magístri
secútus exémplum,
suum pro eius amóre sánguinem non dubitávit effúndere.

Unde et palmam miríficam de prœ́lio passiónis adéptus,
nobis vincéndi fidúciam concéssit exímiam.

Hinc hódie fidélis per orbem pópulus
te cum exsultatióne concélebrat,
et choris sociátus cæléstibus hymnum cóncinit sine fine:

CONFRACTORIUM Io 15, 13 378/7

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat
pro amícis suis.

TRANSITORIUM Lc 22, 29-30 378/8

Ego dispóno vobis,
sicut dispósuit mihi Pater meus regnum,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 378/9

Súmpsimus, Dómine, pignus salútis ætérnæ,
celebrántes beáti apóstoli tui Bartholomǽi votíva sollémnia,
ut, eius mérita venerántes, supérna cum ipso gáudia consequámur.
Per Christum.

Die 25 augusti

379 S. Ioseph de Calasanz, presbyteri

De communi sanctorum: pro educatoribus (p. 872), vel pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 379/2

Deus, qui beátum Ioseph presbýterum
tanta caritáte et patiéntia decorásti,
ut in púeros erudiéndos omníque virtúte exornándos
constánter incúmberet,
concéde, quǽsumus,
ut, quem sapiéntiæ cólimus præceptórem,
veritátis cooperatórem iúgiter imitémur.
Per Dóminum.

380 S. Ludovici

De communi sanctorum (pp. 860-864).

Die 26 augusti

381 S. Alexandri, martyris

De communi martyrum (pp. 820-825).

Die 27 augusti

382 S. Monicæ

Memoria

De communi sanctorum (pp. 874-879).

SUPER POPULUM 382/2

Deus, mæréntium consolátor,
qui beátæ Mónicæ pias lácrimas
in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti,
da nobis, utriúsque intervéntu, nostra deploráre peccáta,
et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre.
Per Dóminum.

Die 28 augusti

383 S. Augustini, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

INGRESSA Eccli 15, 5 383/1

In médio Ecclésiæ apériet os eius,
et adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus
et stola glóriæ véstiet illum.

SUPER POPULUM 383/2

Deus, mirabílium operátor,
qui beátum Augustínum ad lucem veritátis
per sanctum Ambrósium revocásti,
ut magnus fídei propugnátor exsísteret,
concéde supplícibus,
ut, qui tantum Ecclésiæ doctórem
apud nos unda cælésti gloriámur ablútum,
eiúsdem apud te intercessióne lætémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 383/3

Tu éxcitas, Dómine, ut laudáre te deléctet,
quia fecísti nos ad te,
et inquiétum est cor nostrum,
donec requiéscat in te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 383/4

Innova, quǽsumus, Dómine, in Ecclésia tua
spíritum quo beátum Augustínum epíscopum imbuísti,
ut, eódem nos repléti,
te solum veræ fontem sapiéntiæ sitiámus,
et amóris supérni iúgiter quærámus auctórem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 383/5

Celebrántes, Dómine, nostræ memoriále salútis,
cleméntiam tuam supplíciter exorámus,
ut hoc pietátis sacraméntum
signum unitátis nobis fiat et vínculum caritátis.
Per Christum.

PRÆFATIO 383/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui beátum Augustínum ad te singuláriter convertísti,
ut, grátiæ tuæ præclárus factus testis et cultor,
Ecclésiam tuam mirábili doctrínæ luce perfúnderet.
Cuius quidem cor amóre tui suavíssimo vulnerásti,
ac tanto stúdio replésti tuæ glóriæ comparándæ,
ut créditas oves assídua salubríque præceptióne nutríret.
Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 383/7

Sero te amávi, pulchritúdo tam antíqua et tam nova,
sero te amávi.
Vocásti et clamásti, et rupísti surditátem meam.

TRANSITORIUM 383/8

O véritas, lumen cordis mei,
non tenébræ meæ loquántur mihi;
errávi et recordátus sum tui;
et ecce rédeo ǽstuans et anhélans ad fontem tuum.

POST COMMUNIONEM 383/9

**Sanctíficet nos, Dómine,
mensæ Christi participátio salutáris,
ut, eius membra per grátiam adoptiónis effécti,
simus quod mystério tuæ caritátis accépimus.
Per eúndem Christum.**

Die 29 augusti

384 In passione S. Ioannis Baptistæ

Memoria

INGRESSA Ps 118, 46-47 384/1

Loquar, Dómine, de testimóniis tuis in conspéctu regum
et non confúndar.
Et delectábor in præcéptis tuis,
quæ diléxi.

SUPER POPULUM 384/2

**Deus, qui beátum Ioánnem Baptístam
et nascéntis et moriéntis Fílii tui præcursórem esse voluísti,
concéde, ut sicut ille veritátis et iustítiæ martyr occúbuit,
ita et nos strénue pro tuæ doctrínæ confessióne certémus.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Ps 104, 18a-19 384/3

In ferrum intrávit collum eius,
donec veníret verbum eius,
elóquium Dómini purgáret eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 384/4

Prótegat Ecclésiam tuam, Deus,
beatíssimi præcursóris et mártyris Ioánnis orátio veneránda,
et, cui frequéntiam devotiónis impéndit,
perpétuæ poscat redemptiónis effectum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 384/5

Da nobis, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus,
illam tuárum rectitúdinem semitárum,
quam beátus Ioánnes, vox in desérto clamántis, edócuit,
et fundens sánguinem præclára virtúte signávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 384/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In cuius præcursóre beáto Ioánne
tuam magnificéntiam collaudámus,
quem inter natos mulíerum honóre præcípuo consecrásti.

Qui, cum nascéndo multa gáudia præstitísset,
et nondum éditus exsultásset ad humánæ salútis advéntum,
ipse solus ómnium prophetárum
Agnum redemptiónis osténdit.

Sed et sanctificándis étiam aquæ fluéntis
ipsum baptísmatis lavit auctórem,
et méruit fuso sánguine suprémum illi testimónium perhibére.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 49, 1b. 2ab 384/7

Dóminus ab útero vocávit me,
et pósuit os meum quasi gládium acútum;
in umbra manus suæ protéxit me.

TRANSITORIUM Io 3, 29 384/8

Amícus sponsi, qui stat et audit eum,
gáudio gaudet propter vocem sponsi.
Hoc ergo gáudium implétum est.

POST COMMUNIONEM 384/9

Concéde nobis, Dómine,
sancti Ioánnis Baptístæ natále coléntibus,
ut et salutária sacraménta quæ súmpsimus
significáta venerémur,
et in nobis pótius édita gaudeámus.
Per Christum.

Die 31 augusti

385 Ss. Abundii et Felicis, episcoporum

De communi pastorum (pp. 838-841 vel p. 848).

SEPTEMBER

Die 3 septembris

386 S. Gregorii Magni,
papæ et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro papa (p. 834), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 386/2

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis
et amóre domináris,
intercedénte beáto Gregório,
da spíritum sapiéntiæ
quibus Ecclésiæ régimen concessísti,
ut de sanctárum óvium proféctu
gáudia fiant ætérna pastórum.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 386/4

Deus, qui beátum Gregórium, ad omnem sanctitátem formátum,
in supréma Ecclésiæ sede collocásti,
ut vere magnus exsísteret,
præsta, quǽsumus, ut tanti doctóris ratiónibus erudíti
eiúsdem méritis cæléstem quoque glóriam consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 386/5

Qui redemptiónis sacrifícii dignitátem, Dómine,
verbo dócuit et exémplo,
ipse beátus Gregórius, Ecclésiæ pastor egrégius,
hæc múnera nostra suo fáciat patrocínio gratióra.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 386/9

Quos Christo réficis pane vivo,
eósdem édoce, Dómine, ipso magístro,
ut, qui beáti Gregórii eruditióne lætántur,
tuam discant veritátem,
et eam in caritáte sédula operéntur.
Per eúndem Christum.

Die 8 septembris

387 IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS

Festum

INGRESSA 387/1

Cum iucunditáte nativitátem beátæ Maríæ vírginis celebrémus,
ex qua ortus est sol iustítiæ, Christus Deus noster.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 387/2

Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine,
grátiæ munus impertíre cæléstis,
ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium,
nativitátis eius festívitas pacis tríbuat increméntum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 7, 14; Mt 1, 21 387/3

Ecce Virgo páriet fílium,
qui salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 387/4

Dignáre preces pópuli tui, Dómine, cleménter excípere,
quibus in beátæ vírginis Maríæ intemeráta nativitáte
tuam cleméntiam exorámus,
quia ad tua præcónia recúrrit et laudem
quod illa talis est orta.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 387/5

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas,
ut, qui natus de Vírgine
matris integritátem non mínuit, sed sacrávit,
a nostris nos piáculis éxuens,
oblatiónem nostram tibi reddat accéptam.
Qui vivit.

PRÆFATIO 387/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Diem enim nativitátis claríssimæ recensémus,
quo gloriósa Dei génetrix et intemeráta virgo María,
stella mundo effúlsit admirábilis et corúsca.

Quæ nobis perénnis vitæ iánuam exoptátam,
quam Eva in paradíso cláuserat, reserávit,
nosque per Christum de ténebris
ad lucis antíquæ gáudia revocávit.

Et ídeo ipsi vírgini Maríæ cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 3b 387/7

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus!
Et habitábit cum eis,
et ipsi pópuli eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

TRANSITORIUM 387/8

Beáta progénies, unde Christus natus est:
quam gloriósa est Virgo,
quæ cæli regem génuit!

POST COMMUNIONEM 387/9

Exsúltet Ecclésia tua, Dómine,
quam sacris mystériis refecísti,
de beátæ Maríæ vírginis nativitáte congáudens,
quæ univérso mundo spes fuit et auróra salútis.
Per Christum.

Die 12 septembris

388 S. Nominis B. Mariæ Virginis

Memoria

INGRESSA Cf. Iudt 13, 23. 25 388/1

Benedícta es tu, virgo María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram,
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum.

SUPER POPULUM 388/2

**Fœdus tuum, Dómine, Ecclésia tua,
fidélis tibi virgo et pura, custódiat,
et beátæ Deíparæ conversatiónis exémplo,
cuius nomen hódie sanctíssimum venerátur,
integritátem fídei, spei robur, caritátis servet ardórem.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 388/3

Salve, sancta parens, eníxa puérpera regem,
qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 388/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
fámulos tuos déxtera poténtiæ tuæ a cunctis defénde perículis,
et, beáta semper vírgine intercedénte María,
fac eos præsénti et futúra prosperitáte gaudére.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 388/5

**Laudis tibi, Dómine, dum hóstias offérimus,
de Genetrícis Fílii tui festivitáte lætántes,
præsta, quǽsumus, ut his commérciis sacrosánctis
ad redemptiónis ætérnæ proficiámus augméntum.
Per Christum.**

PRÆFATIO 388/6

**Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.**

Mérito namque optámus
te de ómnium provéctu collaudáre sanctórum,
ac præcípue de beátæ Maríæ vírginis excelléntia prædicáre.

Quæ grátiæ plenitúdine sic est a te singuláriter illustráta,
ut nova facta sit nobis Eva ad mortis intéritum
et ad vitam per Fílium cælésti generatióne reddéndam.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Lc 1, 47 388/7

Magníficat ánima mea Dóminum,
et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo.

TRANSITORIUM Cf. Lc 1, 48. 38 388/8

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.
Ecce ancílla Dómini;
fiat mihi secúndum verbum tuum.

POST COMMUNIONEM 388/9

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ vírginis Maríæ memóriam venerándo recólimus,
ætérni convívii cum ipsa mereámur esse partícipes.
Per Christum.

Die 13 septembris

389 S. Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 389/2

Deus, in te sperántium fortitúdo,
qui beátum Ioánnem Chrysóstomum epíscopum
mira eloquéntia et tribulatiónis experiménto
claréscere voluísti,
da nobis, quǽsumus, ut eius doctrínis erudiámur excélsis,
et invíctæ patiéntiæ roborémur exémplo.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 389/4

Deus, Pater omnípotens, qui per Verbum tuum
omnes hómines dignátus es vera luce donáre,
eiúsque beátum Ioánnem Chrysóstomum
potióre sorte partícipem datorémque fecísti,
concéde nobis ad ætérnam tui contemplatiónem
ipsíus eruditióne profícere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 389/5

Sacrifícium tibi pláceat, Deus, Pater omnípotens,
in commemoratióne beáti Ioánnis libénter exíbitum,
quo monénte, nos étiam totos tibi réddimus collaudántes.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 389/9

Concéde, miséricors Deus,
ut, quæ pro beáti Ioánnis commemoratióne
súmpsimus sacraménta,
nos in tua iúgiter caritáte confírment,
et tuæ fidéles confessóres veritátis effíciant.
Per Christum.

Die 14 septembris

390 IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS

Festum

INGRESSA 390/1

O crux illa magna, fallens gáudia tartarórum,
et resólvens víncula peccatórum!
Gáudeant omnes gentes,
quia rex noster inférnum vicit.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 390/2

Deus, qui Unigéniti tui Dómini nostri
dignátus es nos sánguine redímere pretióso,
concéde propítius,
ut, qui crucem vivíficam devótis méntibus adorámus,
a peccatórum nostrórum néxibus liberémur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 390/3

O crux benedícta, quæ sola fuísti digna
portáre regem cælórum, et Dóminum!

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 390/4

Deus, qui Unigénitum tuum crucem subíre voluísti,
ut salvum fáceret genus humánum,
præsta, quǽsumus,
ut, cuius mystérium in peregrinatióne cognóvimus,
eius redemptiónis prǽmia in pátria consequámur.
Qui vivit.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 390/5

Devótas, Dómine, humilitátis nostræ preces et hóstias
misericórdiæ tuæ præcédat auxílium,
et salútem, quam per Adam in paradíso cláuserat
ligni temeráta præsúmptio,
ligni virtus per fidem rursus apériat.
Per Christum.

PRÆFATIO 390/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius gloriósum vexíllum débitis præcóniis celebrámus,
cum indúctum per lignum vétitum fácinus protoplásti,
illud per idem lignum simúlque delícta nostra delévërit.

Cuius ligni virtútem et illa virga Móysis figurábat,
qua viam in mari salvatiónis apéruit
et hostes stupéndo prodígio submérsit in undas.

In ligno namque crucis Redémptor factus est maledíctum,
ut nos ab inimíci véteris eríperet potestáte
et érutos de mortis império ad vitam transférret ætérnam.

Unde et nos tibi grátias ágimus exsultántes,
et tuas virtútes prædicámus,
cum ángelis sanctísque dicéntes:

CONFRACTORIUM 390/7

Laudámus te, Christe, et hymnum dícimus tibi,
quia per crucem redemísti mundum.

TRANSITORIUM 390/8

Sicut misértus es, Deus, latróni in cruce,
meménto mei, Dómine, in regno tuo.

POST COMMUNIONEM 390/9

Tua sancta refectióne nutríti,
Dómine Iesu Christe, súpplices deprecámur,
ut, quos per lignum crucis vivíficæ redemísti,
ad resurrectiónis glóriam contínua defensióne perdúcas.
Qui vivis.

Die 15 septembris

391 Beatæ Mariæ Virginis perdolentis

Memoria

INGRESSA Lc 2, 34-35 391/1

Dixit Símeon ad Maríam:
Ecce pósitus est hic in ruínam
et resurrectiónem multórum in Israel
et in signum, cui contradicétur;
et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládius.

SUPER POPULUM 391/2

**Deus, qui Fílio tuo in cruce exaltáto
compatiéntem Maríam astáre voluísti,
da Ecclésiæ tuæ,
ut, Christi cum ipsa consors passiónis ef, effécta,
eiúsdem resurrectiónis párticeps esse mereátur.
Qui tecum vivit.**

POST EVANGELIUM 2 Tim 2, 10 391/3

Omnia sustíneo propter eléctos,
ut et ipsi salútem consequántur
quæ est in Christo Iesu cum glória ætérna.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 391/4

**Dómine Iesu Christe,
qui, in patíbulo crucis affíxus,
vicárium pro te fílium Matri tuæ diléctum discípulum tribuísti,
te súpplices exorámus, ut nos quoque per adoptiónis grátiam
inter fílios tantæ matris annúmeres,
ac tibi et eléctis tuis pro æternitáte coniúngas.
Qui vivis.**

SUPER OBLATA 391/5

**Hodiérnæ sollemnitátis múnera,
quibus sacra cumulámus altária,
ita maiestáti tuæ, clementíssime Pater, grata reddántur,
sícuti beátæ Maríæ volúntas, stantis iuxta crucem Iesu,
tibi fuit accépta.
Per Christum.**

PRÆFATIO 391/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius humánitas sacratíssima,
córporis e ligno crucis suspensióne crudéli,
astánte vírgine Matre fero gládio in corde transfíxa,
Adæ pósteros iustæ morti senténtia damnatiónis addíctos
ad ætérnam vitam misericórditer revocávit.

Christus enim, qui ad deléndа peccáta nostra
mortem subíre non tímuit,
sanctam præcípue Genetrícem
vóluit suæ passiónis esse consórtem,
ut divíni fructus sacrifícii abundántius fíliis impetráret.

Unde, tam pium sapiéntiæ tuæ consílium contemplántes,
dulcíssimæ Matris apud te præstolámur auxílium,
et cum ipsa sanctísque omnibus te magnificámus,
sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 391/7

Stabat ante crucem Mater,
spectábat piis óculis Fílii vúlnera,
per quem sciébat ómnibus futúram redemptiónem.

TRANSITORIUM 1 Petr 4, 13 391/8

Communicántes Christi passiónibus gaudéte,
ut et in revelatióne glóriæ eius
gaudeátis exsultántes.

POST COMMUNIONEM 391/9

Sumptis, Dómine, sacraméntis redemptiónis ætérnæ,
súpplices deprecámur,
ut, compassiónem beátæ Maríæ vírginis recoléntes,
ea quæ desunt Christi passiónum
pro Ecclésia adimpleámus in nobis.
Per eúndem Christum.

Die 16 septembris

392 Ss. Cornelii papæ et Cypriani episcopi, martyrum

Memoria

De communi martyrum (pp. 830-833), vel pastorum: pro pluribus pastoribus (pp. 848).

SUPER POPULUM 392/2

Deus, qui pópulo tuo beátos Cornélium et Cypriánum
sédulos pastóres et invíctos mártyres præstitísti,
concéde, ut eórum intercessióne
fide et constántia roborémur,
et pro Ecclésiæ unitáte ópera tribuámus impénse.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 392/4

Grátiam tuam, Dómine, patérna super nos dignatióne multíplica,
et sanctórum tuórum Cornélii et Cypriáni,
quorum celebrámus gloriósa certámina,
tríbue súbsequi in sancta professióne victóriam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 392/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera pópuli tui
pro mártyrum tuórum passiónibus dicáta sanctórum,
et, quæ beátis Cornélio et Cypriáno
in persecutióne fortitúdinem ministrárunt,
nobis quoque prǽbeant inter advérsa constántiam.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 392/9

Per hæc mystéria quæ súmpsimus, Dómine,
súpplices exorámus,
ut, sanctórum exémplo mártyrum tuórum Cornélii et Cypriáni
spíritus tui fortitúdine confirmáti,
evangélicæ veritáti possímus testimónium perhibére.
Per Christum.

Die 17 septembris

393 S. Satyri

Memoria

Cantus sumuntur de communi sanctorum (pp. 860-864).

SUPER POPULUM 393/2

Ecclésiæ tuæ, Deus,
beáti Sátyri memóriam recolénti,
qui frater Ambrósii
párticeps curæ fuit epíscopi atque pastóris,
álacres ad opus evangélii
et christiánæ plebis ædificatiónem concéde minístros.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 393/4

Beáti Sátyri glóriam devóte veneránti,
plebi tuæ, quǽsumus, Dómine,
sacro baptísmati fidelitátem præbe miserátus,
ut, sui abnegatióne et innocéntia intemeráte serváta,
grátiæ tuæ velut signum in mundo, ita váleat exaugéri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 393/5

Fámulos tuos celebrántes, Pater, cæléste mystérium
Ecclésiæ veræ communione
et fídei grátia dona sincéræ,
propter quam beátus tuus Sátyrus labóres ferre non tímuit.
Per Christum.

PRÆFATIO 393/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
tuæ consílium grátiæ celebrántes.

Tu enim beáti Ambrósii cómitem labórum
officiorúmque consórtem
fratrem eius dilectíssimum Sátyrum statuísti.

Qui, recta domum eius dispensatióne gubérnans,
eiúsdem sacerdótium egrégie commendávit,
et in ædificatiónem sanctæ mediolanénsis Ecclésiæ
paupertáte spíritus et castitáte refúlsit.

Et ídeo ipsi cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

POST COMMUNIONEM 393/9

Fílios tuos, Deus, secúros fac atque munítos
divíno fidélium sacraménto,
quod cum præsídium, sicut beátus Sátyrus, simus expérti,
numquam inter mundi scópulos naufrágium faciámus.
Per Christum.

Die 18 septembris

394 S. Eustorgii I, episcopi

Memoria

INGRESSA 394/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 394/2

Beáti Eustórgii Ecclésiæ huius pastóris intercessióne præclára,
fidéles tuos, Dómine, cum suo coniúnctos epíscopo
propítius intuére,
tuǽque in illis serva et confírma multifórmia dona salútis,
ut secúndum consílium tuum
plenitúdinem in Christo sanctitátis obtíneant.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 394/3

Sancti tui benedícant tibi,
glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 394/4

Deus, qui hanc Ecclésiam tuam
beáti Eustórgii epíscopi ministério decorásti,
da nobis eius semper pérfrui méritis et doctrína,
ut ipsíus quoque valeámus in cælis esse coróna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 394/5

Súscipe, Dómine, huius pópuli múnera supplicántis
pro sancti pontíficis tui Eustórgii commemoratióne deláta,
et maiestáti tuæ nos ipsos pérfice benígnus accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 394/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Hæc enim tibi fidélis atque grata commúnitas,
quæ memóriam beáti Eustórgii mediolanénsis antístitis
cum suo célebrat lætánter epíscopo,
novus est pópulus tuus Spíritus sancti munéribus exornátus.

Per ipsam fílii tui, quos miséricors elegísti,
in prædicatióne evangélii congregántur,
suǽque fraternitátis in cena Dómini cópulant caritátem,
signum ómnibus dilectiónis et unitátis efficti.

Unde sincéra te gaudent exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 10, 32 394/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est.

TRANSITORIUM Cf. Is 61, 10; 12, 6 394/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 394/9

Accéptum de altári salutáre tuum, Dómine,
nos in sancti Eustórgii commemoratióne lætíficet,
qua, de tuis benefíciis sollíciti,
pretiósa fídei nostræ múnera profitémur,
et te in sanctis tuis mirábilem prædicámus.
Per Christum.

Die 19 septembris

395 S. Ianuarii, episcopi et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 20 septembris

396 S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 396/2

Deus, qui, ad tuæ fidem Ecclésiæ vindicándam,
beátum Robértum epíscopum
mira eruditióne et virtúte decorásti,
eius intercessióne concéde,
ut pópulus tuus eiúsdem fídei semper integritáte lætétur.
Per Dóminum.

Die 21 septembris

397 S. MATTHÆI, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Festum

INGRESSA Mt 28, 19-20 397/1

Eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos,
et docéntes eos serváre ómnia,
quæcúmque mandávi vobis, dicit Dóminus.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 397/2

Deus, qui ineffábili misericórdia
beátum Matthǽum
ex publicáno apóstolum es dignátus elígere,
da nobis, eius exémplo et intercessióne suffúltis,
ut, te sequéntes, tibi fírmiter adhærére mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 397/3

Scriba velox et legis Dei cæli doctíssimus
parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini,
et fáceret et docéret præcéptum
iuxta manum Dei sui bonam super se.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 397/4

Omnípotens ætérne Deus, qui Ecclésiam tuam,
in tuis fidélibus ubíque polléntem,
apostólicis facis constáre doctrínis,
præsta, quǽsumus,
ut, per quos inítium divínæ cognitiónis accépit,
per eos usque in finem sǽculi
cápiat regni cæléstis augméntum.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 397/5

Memóriam beáti Matthǽi recenséntes,
preces et hóstias tibi, Dómine, deférimus,
supplíciter exorántes,
ut Ecclésiam tuam benígnus aspícias,
cuius fidem apostolórum prædicatiónibus nutrivísti.
Per Christum.

PRÆFATIO 397/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui in Fílio tuo dilectiónem erga hómines revelásti,
et regni tui convívas fecísti misericórditer peccatóres.
Unde et Matthǽus Magístrum gaudens suam excépit in domum,
ac tanto factus est occúrsu mirabílium tuórum præco magníficus.

Cuius voci semper de te loquénti nostram libénter adiúngimus,
et cum cælítibus cunctísque te concínimus creatúris,
tuam adorántes maiestátem et sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 3, 20 397/7

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus.
Si quis audíerit vocem meam et aperúerit iánuam,
introíbo ad illum et cenábo cum illo et ipse mecum.
Matthǽus audívit, et Magístrum suscépit in domum suam.

TRANSITORIUM 397/8

Dómine, venísti ut infírmum sanáres;
áccipe me in domum tuam,
ut vitam semper hábeam.

POST COMMUNIONEM 397/9

Salutáris gáudii partícipes, Dómine,
quo Salvatórem in domo sua convívam sanctus Matthǽus excépit,
da, ut cibo semper reficiámur illíus,
qui non iustos sed peccatóres vocáre venit miséricors ad salútem.
Qui vivit.

Die 22 septembris

398 Ss. Mauritii et sociorum, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 24 septembris

399 S. Theclæ, virginis et martyris

De communi virginis et martyris (p. 828).

Die 25 septembris

400 S. ANATALONIS ET OMNIUM SS. MEDIOLANENSIUM EPISCOPORUM

Festum

INGRESSA 400/1

Elégit vos Dóminus sibi sacerdótes magnos,
et apériens thesáuros suos óptimos
abundáre vos fáciet ómnibus bonis.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 400/2

Beáti Anatalónis
et sanctórum ómnium Ecclésiæ huius pastórum
intercessióne præclára,
fidéles tuos, Dómine, cum suo coniúnctos epíscopo
propítius intuére,
tuǽque in illis serva et confírma multifórmia dona salútis,
ut secúndum consílium tuum
plenitúdinem in Christo sanctitátis obtíneant.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 400/3

Sancti tui benedícant tibi,
glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 400/4

Deus, qui hanc Ecclésiam tuam
beáti Anatalónis et sanctórum pontíficum nostrórum
ministério decorásti,
da nobis eórum semper pérfrui méritis et doctrína,
ut ipsórum quoque valeámus in cælis esse coróna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 400/5

Súscipe, Dómine, pópuli tui múnera supplicántis
pro beáti Anatalónis et sanctórum huius Ecclésiæ pontíficum
commemoratióne deláta,
tuǽque maiestáti nos ipsos pérfice benígnus accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 400/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Hæc enim tibi fidélis atque grata commúnitas,
quæ festivitátem beáti Anatalónis
et sanctórum ómnium mediolanénsium antístitum
cum suo célebrat lætánter epíscopo,
novus est pópulus tuus Spíritus sancti munéribus exornátus.

Per ipsam fílii tui, quos miséricors elegísti,
in prædicatióne evangélii congregántur,
suǽque fraternitátis in cena Dómini cópulant caritátem,
signum ómnibus dilectiónis et unitátis effécti.

Unde sincéra te gaudent exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 10, 32 400/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est.

TRANSITORIUM Cf. Is 61, 10; 12, 6 400/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 400/9

Mensa cæléstis, Dómine,
beáti Anatalónis
et sanctórum Ecclésiæ huius méritis sacerdótum,
supérnas in ómnibus vires firmet et áugeat,
ut et fídei donum íntegrum tueámur
et per osténsum salútis trámitem ambulémus.
Per Christum.

Die 26 septembris

401 Ss. Cosmæ et Damiani, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

Die 27 septembris

402 S. Vincentii de Paul, **presbyteri**

Memoria

INGRESSA Lc 4, 18 402/1

Spíritus Dómini super me;
propter quod unxit me
evangelizáre paupéribus,
misit me dimíttere confráctos in remissióne.

SUPER POPULUM 402/2

Deus, qui ad salútem páuperum et cleri institutiónem
beátum Vincéntium presbýterum
virtútibus apostólicis imbuísti,
præsta, quǽsumus,
ut, eádem spíritus sedulitáte fervéntes,
et amémus quod amávit et quod dócuit operémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Cor 9, 19. 22 402/3

Omnium me servum feci.
Factus sum infírmis infírmus;
ómnibus ómnia factus sum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 402/4

Deus, qui in Ecclésia tua
beátum Vincéntium apostólica dignátus es roboráre virtúte,
præsta, quǽsumus, ut, cuius pia mérita venerámur,
caritátis præcípue instruámur exémplis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 402/5

Deus, qui beáto Vincéntio divína celebránti mystéria
tribuísti quod tractábat imitári,
concéde, ut, huius sacrifícii operánte poténtia,
ipsi quoque in oblatiónem tibi acceptábilem transeámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 402/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui salútem misericórditer paupéribus nuntiávit,
et infirmitáti vóluit usque in finem sic hóminis sociári,
ut símilis nobis humíllime sit factus in ómnibus.

Hoc iter idem abnegatiónis fámulus tuus Vincéntius est aggréssus,
qui páuperum ac doléntium ómnium susceptióne fratérna
testis mundo probatíssimus tuæ in nos enítuit caritátis.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Iob 29, 15-16 402/7

Oculus fuit cæco et pes claudo;
pater erat páuperum
sanctus Vincéntius, dignus discípulus Christi.

TRANSITORIUM Cf. Ps 106, 8-9 402/8

Confiteámur Dómino propter misericórdiam eius
et mirabília eius in fílios hóminum,
quia satiávit ánimam sitiéntem
et ánimam esuriéntem replévit bonis.

POST COMMUNIONEM 402/9

Cæléstibus, Dómine, refécti sacraméntis,
súpplices deprecámur,
ut, ad Fílium tuum evangelizántem paupéribus imitándum,
sicut exémplis beáti Vincéntii provocámur,
ita et patrocíniis adiuvémur.
Per Christum.

Die 28 septembris

403 S. Venceslai, martyris

De communi martyrum (pp. 820-825).

Die 29 septembris

404 SS. MICHAELIS, GABRIELIS ET RAPHAELIS, ARCHANGELORUM

Festum

INGRESSA Tob 12, 6 404/1

Deum benedícite
et illi confitémini coram ómnibus vivéntibus,
quæ fecit nobíscum bona.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 404/2

Deus, qui miro órdine
angelórum ministéria hominúmque dispénsas,
concéde propítius,
ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur,
ab his in terra vita nostra muniátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ap 8, 3-4 404/3

Stetit ángelus iuxta aram templi,
habens turíbulum áureum in manu sua,
et data sunt ei incénsa multa;
et ascéndit fumus arómatum de manu ángeli
in conspéctu Dómini.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 404/4

Perpétuum nobis, Dómine,
tuæ miseratiónis largíre subsídium,
quibus et angélica præstitísti suffrágia non deésse.
Per Christum.

SUPER OBLATA 404/5

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus,
supplíciter deprecántes,
ut eásdem, angélico ministério
in conspéctum tuæ maiestátis allátas,
et placátus accípias
et ad salútem nostram proveníre concédas.
Per Christum.

PRÆFATIO 404/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia tuam convértitur in glóriam speciósam,
quod incorpóreas quoque per Verbum tuum condíderis creatúras,
ut felicíssima sorte tibi regnánti in sede maiestátis assísterent.

Supérbis enim quondam sóciis ad inférni torménta detrúsis,
archangelórum innúmera te cingit angelorúmque coróna,
qui cánticis te laudis sine cessatióne concélebrant,
et nostras ad te déferunt preces ac devotiónis offícia.

Quibus sperámus cum gáudio futúros esse concíves,
et iam in te magnificándo libénter adiúngimur,
hymnum adoratiónis et lætítiæ concinéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 5, 6. 11 404/7

Vidi in médio throni Agnum stantem tamquam occísum,
et audívi vocem angelórum multórum in circúitu throni.

TRANSITORIUM 404/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus adminístrat panem sanctórum
et cálicem vitæ in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 404/9

Pane cælésti refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, ad iter salútis eius fortitúdine roboráti,
sub angelórum tuórum fidéli custódia
secúri progrediámur et líberi.
Per Christum.

Die 30 septembris

405 S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

INGRESSA Ios 1, 8 405/1

Non recédat volúmen legis de ore tuo,
sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus,
ut custódias et fácias iuxta ómnia,
quæ scripta sunt in eo:
tunc óptime díriges viam tuam et tunc prosperáberis.

SUPER POPULUM 405/2

Deus, qui beáto Hierónymo
dulcem et vivum Scriptúræ sacræ es largítus afféctum,
da, ut verbo tuo fidélis pópulus alátur ubérius,
et in eo vitæ fontem ac salútis invéniat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 118, 97. 50 405/3

Quómodo diléxi legem tuam, Dómine;
tota die meditátio mea est.
Hoc me consolátum est in humiliatióne mea,
quia elóquium tuum vivificávit me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 405/4

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris
beátum Hierónymum doctórem máximum providére dignátus es,
præsta, quǽsumus, eius suffrágio meritórum,
ut, quod ore simul et ópere dócuit,
te adiuvánte exercére valeámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 405/5

Tríbue nobis, Dómine, pia te mente precántibus,
ut, verbum tuum exémplo beáti Hierónymi meditáti,
ad salutárem tibi hóstiam offeréndam prómptius accedámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 405/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sapiéntibus consíliis tuis prædicáre mirábilem,
qui verbo tuo nobis voluísti salútis reveláre mystérium.

Sed et beáto Hierónymo
Scripturárum dedísti sic íntima penetráre,
ut ex tanto thesáuro
vétera quasi pater famílias ac nova proférret,
nosque sui stúdii incitáret exémplo,
ut Christum in eis Verbum vivum iúgiter quæterémus.

Unde sincéra te gaudemus exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Ps 118, 57-58 405/7

Pórtio mea Dóminus:
dixi custodíre verba tua.
Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo;
miserére mei secúndum elóquium tuum.

TRANSITORIUM Ier 15, 16 405/8

Invénti sunt sermónes tui, et comédi eos,
et factum est mihi verbum tuum
in gáudium et in lætítiam cordis mei,
quóniam invocátum est nomen tuum super me,
Dómine Deus.

POST COMMUNIONEM 405/9

Sancta tua, quæ súmpsimus, Dómine,
de beáti Hierónymi celebritáte lætántes,
tuórum éxcitent corda fidélium,
ut, sacris inténti doctrínis,
intéllegant quod sequántur,
et sequéndo vitam obtíneant sempitérnam.
Per Christum.

OCTOBER

Die 1 octobris

406 S. Teresiæ a Iesu Infante, virginis

Memoria

INGRESSA Cf. Deut 32, 10-12 406/1

Circumdúxit eam Dóminus et dócuit;
et custodívit quasi pupíllam óculi sui.
Sicut áquila expándit alas suas
et assúmpsit eam, atque portávit in úmeris suis.
Dóminus solus dux eius fuit.

SUPER POPULUM 406/2

Deus, cuius Fílius
nonnísi homínibus parvulórum simplicitáti rédditis
promísit regna cælórum,
da nobis ita vestígia beátæ Terésiæ vírginis
in cordis humilitáte sectári,
ut prǽmia in amœnitáte sempitérna consequámur et gáudia.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 20, 4; Iob 31, 18 406/3

Deus, prævenísti me in dilectióne tua,
quæ ab infántia mea mecum crevit;
et nunc comprehéndere non possum
quid sit profúndum caritátis tuæ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 406/4

Deus, qui regnum tuum humílibus parvulísque dispónis,
fac nos beátæ Terésiæ trámitem prósequi confidénter,
ut eius intercessióne
glória tua nobis revelétur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 406/5

In beáta Terésia te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

PRÆFATIO 406/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, tua revélans humílibus parvulísque mystéria,
Terésiam vírginem tuam voluísti simplicitáte conspícuam,
et ad íntegrum Ecclésiæ déditam devotúmque servítium.

Tuæ namque se omníno proíciens voluntáti,
te dídicit, Dómine, ex tota virtúte dilígere,
tibíque magis in dies caritátis testimónio propinquáre.

Cum hac ígitur fámula tua coniúngimur,
quam hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 406/7

Tibi me servo castam,
et, splendéntem tenens lámpadem,
Sponse, tibi occúrro.

TRANSITORIUM Cf. Ps 30, 20 406/8

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
quam abscondísti timéntibus te.
Ecce ego ad te vénio, dulcíssime Dómine.

POST COMMUNIONEM 406/9

Sacraménta, quæ súmpsimus, Dómine,
illíus in nobis vim amóris accéndant,
quo beáta Terésia se tibi prorsus addíxit,
tuámque cúpiit miseratiónem pro ómnibus impetráre.
Per Christum.

Die 2 octobris

407 Ss. Angelorum Custodum

Memoria

INGRESSA Dan 3, 59 407/1

Benedícite, ángeli Dómini, Dómino,
laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

SUPER POPULUM 407/2

Deus, qui ineffábili providéntia
sanctos ángelos tuos ad nostram dignáris allegáre custódiam,
largíre supplícibus tuis
et eórum semper protectióne deféndi
et ætérna societáte gaudére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 90, 11-12 407/3

Angelis suis mandábit de te,
ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
In mánibus portábunt te,
ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 407/4

Concéde nos, omnípotens Deus,
eórum semper patrocínio confovéri,
quorum custódia régimur ac munímur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 407/5

Súscipe, Dómine, múnera,
quæ pro sanctórum angelórum tuórum veneratióne deférimus,
et concéde propítius,
ut perpétuis eórum præsídiis
a præséntibus perículis liberémur,
et ad vitam felíciter perveniámus ætérnam.
Per Christum.

PRÆFATIO 407/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius admirábilis sapiéntiæ ordo in salúte hóminum procuránda angelórum próvido fidelíque ministério declarátur.

Dum enim splendórem ipsi tuæ glóriæ contemplántur,
et ante te sunt iúgiter in tuis láudibus concinéndis,
vígiles in via vitæ ad regnum nos tuæ lucis addúcunt.

Quorum vócibus nostras étiam iubilatiónis adiúngimus,
et maiestáti tuæ hymnum adoratiónis effúndimus veneránter,
magnificéntiæ ac sanctitáti tuæ sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ex 23, 20-21a 407/7

Ecce ego mittam ángelum meum,
qui præcédat te et custódiat in via
et introdúcat ad locum, quem parávi.
Obsérva eum et audi vocem eius.

TRANSITORIUM 407/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus adminístrat panem sanctórum
et cálicem vitæ in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 407/9

Pane cælésti refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, ad iter salútis eius fortitúdine roboráti,
sub angelórum tuórum fidéli custódia
secúri progrediámur et líberi.
Per Christum.

Die 4 octobris

408 S. FRANCISCI ASSISIENSIS

Festum

INGRESSA 408/1

Vir Dei Francíscus relíquit domum suam,
dimísit hereditátem suam, inops et pauper factus est;
Dóminus autem assúmpsit eum.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 408/2

Deus, qui beáto Francísco
paupertáte et humilitáte Christo configurári mirífice tribuísti,
concéde, ut, per illíus sémitas gradiéntes,
Fílium tuum sequi
et tibi valeámus læta caritáte coniúngi.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 5, 3. 5 408/3

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 408/4

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine,
grátia cæléstis amplíficet,
quam beáti Francísci illumináre voluísti
gloriósis méritis et exémplis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 408/5

Múnera tibi, Dómine, cum supplicatiónibus offeréntes,
quǽsumus, ut ad mystérium crucis celebrándum
conveniénter aptémur,
cui beátus Francíscus tam ardénter adhǽsit.
Per Christum.

PRÆFATIO 408/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui discípulis pro ipsíus amóre cuncta linquéntibus
céntuplum est imménsa benignitáte pollícitus.
Unde magnam beátus Franciscus invénit in paupertáte lætítiam,
et virtútem in simplicitáte te corde ferventíssimo diligéndi.

Sed et libénter pátiens
crucis mystérium est in humilitáte compléxus,
ac sui evangélici thesáurum testimónii Ecclésiæ trádidit univérsæ.

Et ídeo cum illo et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Gal 6, 14. 17 408/7

Mihi absit gloriári
nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi;
ego enim stígmata Iesu in córpore meo porto.

TRANSITORIUM Cf. Mt 19, 27-29 408/8

Amen dico vobis
quod vos, qui reliquístis ómnia,
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis,
et vitam ætérnam possidébitis.

POST COMMUNIONEM 408/9

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
per hæc sancta quæ súmpsimus,
ut, beáti Francísci caritátem zelúmque apostólicum imitántes,
tuæ percipiámus dilectiónis effectus,
et in salútem ómnium effundámus.
Per Christum.

Die 6 octobris

409 S. Brunonis, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 409/2

Deus, qui sanctum Brunónem vocásti
ut tibi in solitúdine deservíret,
eius nobis intercessióne benígnus adésto,
ut inter huius mundi varietátes tibi iúgiter hæreámus.
Per Dóminum.

Die 7 octobris

410 Beatæ Mariæ Virginis a Rosario

Memoria

INGRESSA 410/1

Lætémur omnes in Dómino,
diem festum celebrántes
ob honórem beátæ Maríæ vírginis;
de cuius glória gaudent ángeli,
et colláudant Fílium Dei.

SUPER POPULUM 410/2

Deus, cuius Unigénitus
per vitam, mortem et resurrectiónem suam
nobis salútis ætérnæ prǽmia comparávit,
concéde, quǽsumus, ut, hæc mystéria
sacratíssimo beátæ Maríæ vírginis rosário recoléntes,
et imitémur quod cóntinent et quod promíttunt assequámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 1, 45 410/3

Beáta es María, quæ credidísti:
perficiéntur in te,
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 410/4

Réspice, Dómine, fidéles tuos húmili tibi voce clamántes,
ut, qui Redemptóris nostri mystéria
eiúsque Matris participatiónem meditándo recólimus,
utriúsque pietáte a malis instántibus eruámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 410/5

Fac nos, quǽsumus, Dómine,
his munéribus oblátis conveniénter aptári,
et Unigéniti tui ita celebráre mystéria,
ut eius digni promissiónibus éffici mereámur.
Qui vivit.

PRÆFATIO 410/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in beátæ Maríæ semper vírginis
festíva celebratióne laudáre,
et lætis devotísque magnificáre præcóniis.

Quæ sic ómnibus est a te Unigéniti tui sociáta mystériis,
ut redemptióni nostræ singuláriter ipsa profúerit,
nobísque máxime in salútem semper assístat.

Et ídeo cum illa et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM 410/7

Exaltáta est virgo María super choros angelórum,
et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

TRANSITORIUM Lc 1, 31 410/8

Ecce concípies in útero et páries fílium,
et vocábis nomen eius Iesum.

POST COMMUNIONEM 410/9

Qui mortem et resurrectiónem Fílii tui
hoc in sacraménto, Dómine, nuntiámus,
eius étiam, quǽsumus, efficiámur sócii passiónum,
ut consolatiónis in cælis et glóriæ mereámur esse partícipes.
Per Christum.

Die 8 octobris

411 S. Anselmi de Luca, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 9 octobris

412 Ss. Dionysii episcopi et sociorum, martyrum

De communi martyrum (pp. 830-833).

413 S. Ioannis Leonardi, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel pro missionariis (pp. 844-847), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

Die 10 octobris

414 S. Casimiri

De communi sanctorum (pp. 860-864).

SUPER POPULUM 414/2

Deus omnípotens, cui servíre regnáre est,
concéde nobis, beáti Casimíri intercedénte suffrágio,
tibi in sanctitáte et iustítia perpétuo famulári.
Per Dóminum.

Die 11 octobris

415 S. Alexandri Sauli, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 12 octobris

416 S. Hedvigis, religiosæ

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Die 13 octobris

417 S. Margaritæ Mariæ Alacoque, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 417/2

Dómine Iesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui
beátæ Margarítæ Maríæ vírgini mirabíliter revelásti,
da nobis eius méritis et imitatióne,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
iugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur.
Qui vivis et regnas.

Die 14 octobris

418 S. Callisti I, papæ et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro papa (p. 834).

Die 15 octobris

419 S. Teresiæ de Avila, virginis et Ecclesiæ doctoris

Memoria

INGRESSA Ps 41, 2-3 419/1

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.
Sitívit ánima mea ad Deum, Deum vivum.

SUPER POPULUM 419/2

Deus, qui spíritum beátæ vírginis et doctóris Terésiæ
caritátis igne ac luce sapiéntiæ decorásti,
nobis ipsa interveniénte concéde,
ut quod ore et ópere dócuit eminénter,
et mente capiámus símplici et corde vígili compleámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 72, 27a. 28a 419/3

Ecce, qui elóngant se a te, Dómine, períbunt.
Mihi adhærére Deo bonum est,
pónere in Dómino Deo spem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 419/4

Deus, qui per Spíritum tuum beátam vírginem Terésiam suscitásti,
ut requiréndæ perfectiónis sémitam manifestáret Ecclésiæ,
da nobis et cæléstis eius doctrínæ
semper pábulo sustinéri
et veræ succéndi desidério sanctitátis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 419/5

Múnera nostra, Dómine, óculis sint tuæ maiestátis accépta,
cui tantópere plácuit beátæ Terésiæ devotiónis obséquium.
Per Christum.

PRÆFATIO 419/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui, regnum tuum éxhibens
quasi thesáurum in agro abscónditum pretiósum,
beátæ Terésiæ benígnus dedísti, ut illum felíciter inveníret,
et, ómnibus vénditis, festinánter sibi comparáret in gáudio.
Exínde autem, scriba velut sápiens, nova prompsit et vétera,
servúsque sicut prudens ac fidélis
Ecclésiam áluit pábulis veritátis.
Cum hac ígitur fámula tua coniúngimur,
quam hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 14, 23 419/7

Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum
et ad eum veniémus
et mansiónem apud eum faciémus.

TRANSITORIUM Ps 88, 2 419/8

Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

POST COMMUNIONEM 419/9

Súbdita tibi família, Dómine Deus noster,
quam cæléstí pane satiásti,
fac ut, exémplo beátæ Terésiæ tam præcláro,
misericórdias tuas in ætérnum cantáre lætétur.
Per Christum.

Die 16 octobris

420 B. Contardi Ferrini

Memoria

Cantus sumuntur de communi sanctorum (pp. 860-864).

SUPER POPULUM 420/2

Fons lúminis, Deus, qui in beáto Contárdo pópulo tuo
præclárum tradidísti sciéntiæ atque virtútis exémplar,
tríbue nobis sincérum et operósum veritátis amórem,
ut in ómnibus te puro corde quærámus,
et invéntum super ómnia diligámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 420/4

Deus, qui húmili puritáte quæréntibus te revélas,
da fílios Ecclésiæ tuæ,
qui exémplo beáti Contárdi
ita humána sciéntia perfruántur,
ut mundo arcána sapiéntiæ tuæ
mirandíque tui consílii manifféstent.
Per Christum.

SUPER OBLATA 420/5

Cum his munéribus pro salútis sacrifício, Deus,
in beáti Contárdi memória
preces nostras dignáre suscípere, et præsta,
ut, ad inquisitiónis humánæ plenitúdinem contingéndam,
Christi Verbi tui sciéntia nos ímbuat caritátis.
Qui vivit.

PRÆFATIO 420/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in beáto Contárdo tuo fámulo celebráre,
christiánæ pietátis exémplo scientiǽque præcláro,
quæ Fílium tuum, splendórem tuæ glóriæ sempitérnum,
velut ineffábilem fontem unicúmque conséquitur.

Huius enim viri mentem ad tuam esséntiam reserásti,
ad quam cotídie áciem ingénii studiósus inténdit,
precésque férvidas sine intermissióne diréxit.

Sed et veritáti tuæ, fortis in fide, perseveránter inséviit,
christianórum morum factus homínibus magíster exímius,
et ómnia in bonum eórum et tuam in primis glóriam operátus.

Qua de tua benignitáte gratíssimi,
una cum ángelis et céteris cælítibus te laudámus,
sócia exsultatióne et una voce clamántes:

POST COMMUNIONEM 420/9

Pane, qui de cælo venit,
nos dignáre, Dómine, cotídie sustinére,
ut beáti Contárdi exémplis
mundi blandítiis valeámus obsístere,
atque in luce Verbi tui,
in humilitáte servítii,
et in mansuetúdinis spíritu maneámus.
Per Christum.

Die 17 octobris

421 S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris

Memoria

INGRESSA Gal 2, 19b-20 421/1

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.
In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

SUPER POPULUM 421/2

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui sanctórum mártyrum confessiónibus
Ecclésiæ tuæ sacrum corpus exórnas,
concéde, quǽsumus, ut hodiérna glória passiónis,
sicut beáto Ignátio magnificéntiam tríbuit sempitérnam,
ita nobis perpétuum munímen operétur.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. 2 Cor 5, 15 421/3

Illum quæro, qui pro nobis mórtuus est;
illum volo, qui propter nos resurréxit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 421/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui in ómnium sanctórum tuórum es virtúte mirábilis,
da nobis beáti Ignátii festivitáte
cum gratiárum actióne lætári,
qui Fílii tui martyr et póntifex
quod ministério gessit, testimónio comprobávit,
et quod prædicávit ore, confirmávit exémplo.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 421/5

**Grata tibi sit, Dómine, nostræ devotiónis oblátio,
qui beátum Ignátium, eléctum Christi ac dulce fruméntum,
panem mundum passióne martýrii suscepísti.
Per eúndem Christum.**

PRÆFATIO 421/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et te in beáti Ignátii mártyris tui virtútibus prædicáre,
cuius vota benígnus implésti, ut te felíciter inveníret.

Lætus enim ille ad huius venit conversatiónis occásum,
ut, non solum nómine sed et ópere christiánus,
in te post passiónem resúrgeret libertáti,
in te nova nativitáte orirétur in cælis.

Quem ita Christus, amor eius crucifíxus, attráxit,
ut nemo visibílium hunc discípulum deterréret,
quin magístrum sibi solum lucrum oblatiónis appéteret.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 421/7

Fruméntum Christi sum:
déntibus bestiárum molar,
ut panis mundus invéniar.

TRANSITORIUM 421/8

Panem Dei volo, qui est caro Iesu Christi,
qui ex sémine David factus est;
et potum volo sánguinem ipsíus,
qui est cáritas incorruptíbilis.

POST COMMUNIONEM 421/9

Panis cæléstis, Dómine, nos tua virtúte refíciat,
quem in beáti Ignátii natáli cum exsultatióne suscépimus,
ac tríbuat nos esse nómine et ópere christiános.
Per Christum.

Die 18 octobris

422 S. LUCÆ, EVANGELISTÆ

Festum

INGRESSA Is 52, 7 422/1

Quam pulchri super montes
pedes annuntiántis, prædicántis pacem,
annuntiántis bonum, prædicántis salútem!

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 422/2

Dómine Deus, qui beátum Lucam elegísti
ut prædicatióne scriptísque
mystérium tuæ dilectiónis in páuperes reveláret,
concéde, ut, qui tuo iam nómine gloriántur,
cor unum et ánima una permáneant,
et omnes gentes tuam mereántur vidére salútem.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Th 2, 2b 422/3

Fidúciam habúimus in Deo nostro
loqui ad vos evangélium Dei in multa sollicitúdine.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 422/4

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut beáti Lucæ evangelístæ suffrágiis,
cuius natalícia celebrámus,
plebs tua semper et sua vota deprómat
et cum gáudio desideráta percípiat.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 422/5

Donis cæléstibus, da nobis, quǽsumus, Dómine,
líbera tibi mente servíre,
ut múnera, quæ in beáti Lucæ festivitáte deférimus,
et medélam nobis operéntur et glóriam.
Per Christum.

PRÆFATIO 422/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius cæléstia nobis et veneránda mystéria
per hóminum quoque scriptúras dedísti próvide cognoscénda,
qui Spíritus sancti probaréntur lúmine collustráti.

Illíus enim verba vitæ atque gesta salútis
ita lítteris non transitúris Ecclésiæ tradidérunt,
ut semen ipsæ fíerent in sǽcula copiósum,
quod in grátiæ fructus et glóriæ germináret.

His ígitur documéntis evangélicis perfruéntes,
choris nos lætánter angelórum sanctorúmque coniúngimus,
et una cum eis voce unáque tibi laude clamámus:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 10, 1. 9 422/7

Non erubésco evangélium;
virtus enim Dei est in salútem omni credénti.

TRANSITORIUM Cf. Lc 10, 1.9 422/8

Misit Dóminus discípulos qui nuntiárent civitátibus:
Appropinquávit in vos regnum Dei.

POST COMMUNIONEM 422/9

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, quod de sancto altári tuo percépimus,
nos sine fine sanctíficet,
et in fide evangélii fortes semper effíciat,
quod beátus Lucas scriptis ac sermónibus prædicávit.
Per Christum.

Die 19 octobris

423 S. Pauli a Cruce, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 423/2

Impetret nobis, Dómine, grátiam tuam
sanctus présbyter Paulus,
qui único crucem amóre diléxit,
ut, eius exémplo vivídius incitáti,
crucem nostram fórtiter amplectámur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 423/4

Dómine Iesu Christe,
qui ad mystérium crucis prædicándum
sanctum Paulum singulári caritáte donásti,
ipso nobis interveniénte concéde,
ut, passiónem tuam in terris iúgiter recoléntes,
eiúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 423/5

Réspice, Dómine, quas hóstias
in beáti Pauli commemoratióne deférimus,
et præsta, ut, qui domínicæ passiónis mystéria celebrámus,
imitémur étiam digna conversatióne quod ágimus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 423/9

Deus, qui crucis mystérium
in beáto Paulo mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut ex hoc sacrifício roboráti
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per eúndem Christum.

Die 19 octobris

424 Ss. Ioannis de Brébeuf et Isaac Jogues presbyterorum et sociorum, martyrum

De communi martyrum (830-833), vel pastorum: pro missionariis (pp. 844-847).

Die 23 octobris

425 S. Ioannis de Capestrano, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel pro missionariis (pp. 844-847).

Die 24 octobris

426 S. Antonii Mariæ Claret, episcopi

De communi pastorum: pro missionariis (pp 844-847), vel pro episcopis (pp. 838-841).

426 a B. Aloisii Guanella, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

Die 25 octobris

426 b B. Aloisii Orione, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

Die 28 octobris

427 SS. SIMONIS ET IUDÆ, APOSTOLORUM

Festum

INGRESSA 427/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 427/2

**Deus, qui nos per beátos apóstolos
ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti,
intercedéntibus sanctis Simóne et Iuda, concéde propítius,
ut semper augeátur Ecclésia
increméntis in te credéntium populórum.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Cf. Ps 5, 12b-13 427/3

Gloriabúntur in te qui díligunt nomen tuum;
quóniam tu benedíces iustis, Dómine;
quasi scuto, bona voluntáte coronábis eos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 427/4

**Deus, mundi creátor et rector,
qui beátos apóstolos Simónem et Iudam
nóminis tui glória consecrásti,
exáudi pópulum tuum
cum sanctórum tuórum tibi patrocíniis supplicántem,
ut pacis dono profíciat ad fídei et caritátis augméntum.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 427/5

**Glóriam, Dómine, sanctórum apostolórum
perpétuam præcurréntes,
ita sacris, quǽsumus, his mystériis expiémur,
ut eándem dígnius celebráre valeámus.
Per Christum.**

PRÆFATIO 427/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui gregem tuum, Pastor ætérne, non déseris,
sed per beátos apóstolos contínua protectióne custódis,
ut iísdem rectóribus gubernétur,
quos Fílii tui vicários eídem contulísti præésse pastóres.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 16 427/7

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat.

TRANSITORIUM Io 14, 23 427/8

Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus
et mansiónem apud eum faciémus.

POST COMMUNIONEM 427/9

Percéptis, Dómine, sacraméntis,
súpplices in sancto Spíritu deprecámur,
ut, quæ pro apostolórum Simónis et Iudæ
veneránda gérimus passióne,
in tua nos semper dilectióne consérvent.
Per Christum.

Die 29 octobris

428 S. Honorati de Vercelli, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

NOVEMBER

Die 1 novembris

429 OMNIUM SANCTORUM

Sollemnitas

INGRESSA 429/1

Lætémur omnes in Dómino,
diem festum celebrántes ob honórem ómnium sanctórum,
de quorum trophǽo gaudent ángeli,
et colláudant Fílium Dei.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 429/2

**Ecclésiæ tuæ, Dómine,
quæ in sanctis cum Christo tuo passis et glorificátis
paschále vere célebrat plenéque mystérium,
multifórmem tui Spíritus grátiam largíre propítius,
ut omnes eius fílii in tuam laudem
salútem cum illis consequántur ætérnam.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Lc 6, 22a. 23 429/3

Beátis éritis, cum vos óderint hómines.
Gaudéte et exsultáte,
ecce enim merces vestra multa est in cælo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 429/4

**Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos ómnium sanctórum tuórum mérita
sub una tríbuis celebritáte venerári,
quǽsumus, ut desiderátas nobis tuæ divítias bonitátis,
multiplicátis intercessóribus, largiáris.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 429/5

Grata tibi sint, Dómine, múnera,
quæ pro cunctórum offérimus honóre sanctórum,
et concéde, ut, quos iam crédimus
de sua immortalitáte secúros,
sentiámus quoque de nostra salúte sollícitos.
Per Christum.

PRÆFATIO 429/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Nobis enim hódie civitátem tríbuis celebráre,
quæ mater nostra est cælestísque Ierúsalem,
ubi fratrum nostrórum in ætérnum iam te coróna colláudat.

Ad quam peregríni, per fidem accedéntes, alácriter festinámus,
congaudéntes de Ecclésiæ sublímium glorificatióne membrórum,
qua simul fragilitáti nostræ adiuménta et exémpla concédis.

Et ídeo, cum ipsórum angelorúmque frequéntia,
una te magnificámus laudis voce clamántes:

CONFRACTORIUM 429/7

Ecce véniet Dóminus
et omnes sancti eius cum eo,
et erit in die illa lux magna.

TRANSITORIUM Mt 5, 8-10 429/8

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

POST COMMUNIONEM 429/9

Mirábilem te, Deus,
et unum Sanctum in ómnibus sanctis tuis adorántes,
tuam grátiam implorámus,
qua, sanctificatiónem in tui amóris plenitúdine consummántes,
ex hac mensa peregrinántium
ad cæléstis pátriæ convívium transeámus.
Per Christum.

Die 2 novembris

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM

Etiam quando dies 2 novembris incidit in dominicam, fit de commemoratione omnium fidelium defunctorum, missis adhibitis quæ sequuntur.

430 I

INGRESSA Cf. 4 Esd 2, 34-35 430/1

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine,
et lux perpétua lúceat eis.

SUPER POPULUM 430/2

Deus, qui Unigénitum tuum, devícta morte,
ad cæléstia transíre fecísti,
concéde defúnctis fámulis tuis,
ut, huius vitæ mortalitáte solúta,
te conditórem et redemptórem possint perpétuo contempläri.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 4 Esd 2, 34-35 430/3

Réquiem sanctam dona eis, Dómine,
et lux misericórdiæ lúceat eis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 430/4

Deus, indulgentiárum Dómine, te súpplices exorámus,
ut defúnctos fámulos tuos aspícias miserátus,
eísque refrigérii sedem,
quiétis beatitúdinem,
ac lúminis tríbuas claritátem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 430/5

Dómine Deus, cuius Fílius hóstiam se óbtulit tibi vivam,
Ecclésiæ tuæ sacrifícium placátus accípias,
ut defúncti fámuli tui, a peccátis ómnibus absolúti,
ad immortalitátis mereántur prǽmium perveníre.
Per Christum.

PRÆFATIO 430/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius império náscimur,
arbítrio régimur,
redémpti sumus mystério.

Cuius étiam præcépto ex hac luce discédimus,
et in terram de qua sumpti sumus
prævaricatiónis lege dissólvimur,
qui tamen per Christum ad resurrectiónis glóriam reparámur.

Est namque nostri mériti, Dómine, quod perímus,
tuæ vero pietátis et grátiæ
quod perpétuam cum illo revocámur ad vitam.

Et ídeo cum cælórum nos sociáre virtútibus
et in terris te iúgiter celebráre gaudémus,
maiestáti tuæ sine intermissióne clamántes:

CONFRACTORIUM Ap 14, 13 430/7

Audívi vocem de cælo dicéntem:
Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

TRANSITORIUM Io 11, 25-26 430/8

Ego sum resurréctio et vita.
Qui credit in me, etsi mórtuus fúerit, vivet;
et omnis, qui vivit et credit in me,
non moriétur in ætérnum, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 430/9

Précibus nostris, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis inclína,
et defúnctis fámulis tuis remissiónem tríbue peccatórum,
ut, his sacrifíciis purificáti,
beatórum pérfrui consórtio mereántur.
Per Christum.

INGRESSA Io 5, 28-29 431/1

Omnes, qui in monuméntis sunt,
áudient vocem Fílii Dei
et procédent, qui bona fecérunt,
in resurrectiónem vitæ,
qui vero mala egérunt,
in resurrectiónem iudícii.

SUPER POPULUM 431/2

**Præsta, quǽsumus, Dómine,
defúnctis fámulis tuis misericórdiam sempitérnam,
ut, mortálibus néxibus expedítos,
lux eos ætérna possídeat.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 431/3

Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre;
nihil dignum in conspéctu tuo egi;
ídeo déprecor maiestátem tuam,
ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 431/4

**Quǽsumus, omnípotens Pater,
ut defúncti fámuli tui, mortis vínculis absolúti,
resurrectiónis Fílii tui participatióne læténtur.
Qui vivit.**

SUPER OBLATA 431/5

**Hóstias, Dómine Deus, placatiónis et laudis offérimus,
ut defúnctos fámulos tuos, perpétuæ misericórdiæ largitáte,
in lucis ætérnæ iam fácias regióne gaudére.
Per Christum.**

PRÆFATIO 431/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui, fidélium tuórum benígnus assúmptor,
illos ad ætérnam glóriam in Christi communióne dispónis.

Quamvis enim mortis humáno géneri illáta condício
péctora humána mentésque contrístet,
tamen cleméntiæ tuæ dono
spe futúræ immortalitátis erígimur,
et mémores salútis ætérnæ
non timémus lucis huius subíre dispéndium.

Nam misericórdiæ tuæ múnere
fidélibus vita mutátur, non tóllitur,
et in tui observatióne timóris
domicílium defúnctis perpétuæ felicitátis acquíritur.

Tanta ígitur tua dispensatióne gaudéntes,
hymnum tibi laudis cum ángelis intonámus,
et cum sanctis páriter cánimus, una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 4 431/7

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor
neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt.

TRANSITORIUM Eph 2, 6-7 431/8

Conresuscitávit nos Deus,
et consedére fecit in cæléstibus in Christo Iesu,
ut osténderet abundántes divítias grátiæ suæ.

POST COMMUNIONEM 431/9

Quǽsumus, Dómine,
refécti vitálibus sacraméntis,
ut defúncti fámuli tui,
quos tui fecísti partícipes testaménti,
huius purificáti virtúte mystérii,
in cælis Christi pace læténtur.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Rom 8, 11 432/1

Deus, qui suscitávit Christum a mórtuis,
vivificábit et mortália córpora nostra,
per inhabitántem Spíritum suum in nobis.

SUPER POPULUM 432/2

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
quibus misericórdiam tuam
pro defúnctis fámulis tuis supplíciter deprecámur,
ut eos, mortalitátis néxibus absolútos,
inter eléctos cæléstis Ecclésiæ
perpétuam habére iúbeas portiónem.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 5, 24 432/3

Amen, amen dico vobis:
Qui verbum meum audit
et credit ei, qui misit me,
habet vitam ætérnam
et in iudícium non venit,
sed tránsiit a morte in vitam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 432/4

Tibi, clementíssime Pater, preces supplicatiónis effúndimus,
ut defúncti fámuli tui, mortis vínculis absolúti,
tránsitum mereántur ad vitam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 432/5

His sacrifíciis, Dómine,
defúncti fámuli tui mundi reddántur,
sine quibus a culpa nemo liber exsístit,
ut per hæc piæ placatiónis offícia
tuam misericórdiam consequántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 432/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui et in terris hómines e sinu mortis miserátus erípuit,
admirándæ nobis figúram suæ resurrectiónis osténdens,
qua, primogénitus mortuórum,
se resurgéntium quoque primítias demonstrávit.

Inde fides nostra, Dómine, cælésti pígnore solidátur,
nil mentes nisi te, plenitúdinem bonitátis, exquírunt,
dolor omnis noster tua semper consolatióne lenítur.

Sed et glóriam tuam veneránter corda nostra colláudant,
cum beatórum coróna commúni lætítiæ voce clamántia:

CONFRACTORIUM 1 Th 4, 14 432/7

Sicut Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos, qui dormiérunt,
per Iesum addúcet cum eo.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 432/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo.

POST COMMUNIONEM 432/9

Sumpto sacraménto Unigéniti tui,
qui pro nobis immolátus resurréxit in glória,
te, Dómine, pro defúnctis fámulis tuis supplíciter exorámus,
ut, paschálibus mundáti mystériis,
futúræ resurrectiónis múnere gloriéntur.
Per Christum.

Die 3 novembris

433 S. Martini de Porres, religiosi

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Die 4 novembris

434 S. CAROLI BORROMEO, EPISCOPI

Sollemnitas

INGRESSA Cf. 1 Tim 6, 11-12 434/1

Tu, o homo Dei, sectáre iustítiam, pietátem, fidem,
caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem.
Certa bonum certámen fídei,
apprehénde vitam ætérnam.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 434/2

**Deus, qui beátum Cárolum dignátus es nobis
gemmam pastórum præbére conspícuam,
concéde propítius,
ut, qui eius exémplis et patrocínio præcípue gloriámur,
ipsíus étiam eruditióne
ad vitam alácriter proficiámus ætérnam.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 2 Tim 4, 2 434/3

Prǽdica verbum, insta opportúne, importúne,
árgue, íncrepa, óbsecra
in omni patiéntia et doctrína.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 434/4

**Custódi, quǽsumus, Dómine, in pópulo tuo spíritum,
quo beátum Cárolum epíscopum replevísti,
ut ex adoptiónis grátia puris semper móribus renovétur,
et, Christi se confórmans imágini,
mundo váleat vultum ipsíus osténdere.
Qui vivit.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 434/5

**Deus, qui beátum Cárolum pontificális offícii vigilántia
et præcláris virtútum méritis sublimásti,
præsta, quǽsumus,
ut, ipsum sincéris óperum frúctibus imitántes,
tibi digne devotiónis hæc múnera deferámus.
Per Christum.**

PRÆFATIO 434/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in præclári pontíficis Cároli memória confitéri,
cuius voluísti glóriam pro innúmeris méritis exaltáre.

Illum enim, pastórem in sǽculi huius calígine vigilántem,
lucérnam dignátus es tui lúminis exhibére,
et, imménsæ iuxta Christum caritátis igne succénsum,
spéculum virtútum gregi formámque iustítiæ tribuísti.

Ad tuam, Dómine, largitátem gratiámque refértur,
quod oves ipse ad te summa sedulitáte condúxit,
et in angústiis multis ardentíssima dilectióne sustínuit.

Huius ergo antístitis dum veneránda cólimus documénta,
tibi præcónia laudis in exsultatióne concínimus,
cum ángelis te fruéntibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Eccli 39, 13 434/7

Non recédet memória eius,
et nomen eius requirétur
a generatióne in generatiónem.

TRANSITORIUM 1 Tim 3, 13 434/8

Qui bene ministráverint,
gradum sibi bonum acquírent
et multam fidúciam in fide,
quæ est in Christo Iesu.

POST COMMUNIONEM 434/9

Hæc nobis, quǽsumus, Dómine,
mystéria sacra, quæ súmpsimus,
eam ánimi fortitúdinem largiántur,
quæ beátum Cárolum in ministério fidélem fecit
et in caritáte fervéntem.
Per Christum.

Die 9 novembris

435 IN DEDICATIONE BASILICÆ LATERANENSIS

Festum

De communi dedicationis ecclesiæ (p. 804)

Die 10 novembris

436 S. Leonis Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De communi pastorum: pro papa (p. 834), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 436/2

Deus, qui advérsus Ecclésiam tuam,
in apostólicæ petræ soliditáte fundátam,
portas ínferi numquam prævalére permíttis,
da ei, quǽsumus, beáto Leóne intercedénte,
ut, in tua veritáte consístens, pace contínua muniátur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 436/4

Deus, cuius dono beátus Leo sanctitátis et doctrinæ laude
in supréma sede sic excélluit,
ut digne magnus merúerit appellári,
præsta quǽsumus,
ut, eiúsdem instrúcti mónitis et exémplis,
nos quoque ad summas virtútes strénue contendámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 436/5

Oblátis munéribus, quǽsumus, Dómine,
Ecclésiam tuam benígnus illúmina,
ut et gregis tui profíciat ubíque succéssus
et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 436/9

Vitáli refectióne nutrítam
gubérna, quǽsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam,
ut, poténti moderatióne dirécta,
et increménta libertátis accípiat
et in religiónis integritáte persístat.
Per Christum.

Die 11 novembris

437 S. Martini Turonensis, episcopi

Memoria

INGRESSA Ps 111, 9 437/1

Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória.

SUPER POPULUM 437/2

Deus, qui es in beáti Martíni
conversatióne magnificátus ac tránsitu,
ínnova grátiæ tuæ in córdibus nostris dona mirífica,
ut neque mors neque vita
a tua nos separáre váleant caritáte.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Sam 2, 35 437/3

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciat,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 437/4

Dómine Deus noster,
grátiam tuam super nos multíplica miserátus,
et, cuius pastóris exímii celebrámus gloriósa sollémnia,
tríbue subséqui integritátem fídei zelúmque iustítiæ.
Per Christum.

SUPER OBLATA 437/5

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, tua benedictióne sanctífica,
quæ in honórem sancti Martíni lætánter offérimus,
ut iísdem vita nostra
inter advérsa semper et próspera dirigátur.
Per Christum.

PRÆFATIO 437/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et te de beáti Martíni méritis collaudáre,
qui Christi Fílii tui fámulus gloriósus enítuit.

Ipse enim, baptísmi grátiam veheménti desidério receptúrus,
præcláræ in páuperes caritátis osténdit exémplum.

Sed et fluxos milítiæ sæculáris relíquit honóres,
ut Unigénito tuo soli príncipi sæculórum
in monásticæ conversatiónis humilitáte servíret.

Pastor autem gregis tui a te dignánter eléctus,
veræ fídei zelo et Ecclésiæ dilectióne conspícuus,
cunctárum factus est ómnibus exímia forma virtútum.

Et ídeo cum ipso beáto fámulo tuo
cælórum cívibus in tuam glóriam sociámur,
maiestáti tuæ cum gáudio sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 25, 40 437/7

Amen dico vobis:
Quámdiu fecísti uni de his frátribus meis mínimis,
mihi fecístis, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 437/8

Sancti Martíni magna est festívitas,
et pretiósa ipsíus conféssio.
Quem sic amávit Magíster et Dóminus,
ut horam sciret, qua mundum relínqueret.
Pacem dedit ómnibus astántibus,
et secúrus pergit ad cæléstem glóriam.

POST COMMUNIONEM 437/9

Da nobis, Dómine, unitátis sacraménto reféctis,
perféctam in ómnibus cum tua voluntáte concórdiam,
ut, sicut beátus Martínus totum se tibi in humilitáte subiécit,
ita et nos tibi vívere veráciter gloriémur.
Per Christum.

Die 12 novembris

438 S. Iosaphat, episcopi et martyris

Memoria

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 438/2

Excita, quǽsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum,
quo replétus beátus Iósaphat
vitam suam pro óvibus dare non tímuit,
ut eius intercessióne nos quoque eódem Spíritu roborémur,
et ánimam nostram pro frátribus pónere audeámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 438/4

Concéde, quǽsumus, Deus omnípotens atque clemens,
ut, intercedénte beáto Iósaphat,
qui ecclesiásticam unitátem strénue propugnávit,
numquam a tua sancta ac diécta Ecclésia separémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 438/5

Clementíssime Deus,
múnera hæc tua benedictióne perfúnde,
et nos in fide íntegra stabilíque confírma,
quam sanctus Iósaphat effúso sánguine comprobávit.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 438/9

Spíritum, Dómine, fortitúdinis et pacis
hæc nobis tríbuat mensa cæléstis,
ut sancti Iósaphat erudiámur exémplo,
et vitam nostram libénter
ad honórem et unitátem impendámus Ecclésiæ.
Per Christum.

Die 13 novembris

439 S. Homoboni

De communi sanctorum (pp. 860-864).

440 S. Franciscæ Cabrini, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

Die 15 novembris

441 S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 441/2

Deus, qui beátum Albértum
in humána sapiéntia cum divína fide componénda
magnum fecísti tui lúminis largitórem,
da nobis, quǽsumus, ita eius magistérii inhærére doctrínis,
ut scientiárum progréssibus
ad profundiórem tui cognitiónem perveniámus et amórem.
Per Dóminum.

Die 16 novembris

442 S. Gertrudis, virginis

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 442/2

Deus, qui iucúndam tibi mansiónem
in corde beátæ Gertrúdis vírginis præparásti,
ipsíus intercessióne
cordis nostri ténebras cleménter illústra,
ut te in nobis præséntem et operántem experiámur in gáudio.
Per Dóminum.

443 S. Margaritæ Scotiæ

De communi sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

Die 17 novembris

444 S. Elisabeth Hungariæ

Memoria

De communi sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

Die 18 novembris

445 In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum

Cantus sumuntur ex missa votiva de omnibus sanctis apostolis (p. 1150).

SUPER POPULUM 445/2

Ecclésiam tuam, Dómine, apostólicis defénde præsídiis,
ut, per quos inítium divínæ cognitiónis accépit,
per eos usque in finem sǽculi
grátiæ cápiat cæléstis augméntum.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 445/4

Exáudi nos, Deus, salus nostra perpétua,
et apostolórum tuórum Petri et Pauli largíre subsídia,
quorum nos donásti fidéles esse doctrínis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 445/5

Servitútis nostræ tibi, Dómine, munus offeréntes,
tuam cleméntiam deprecámur,
ut trádita nobis apostolórum Petri et Pauli ministério
véritas salutáris
illibáta nostris in córdibus persevéret.
Per Christum.

PRÆFATIO 445/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.
Qui gregem tuum, Pastor ætérne, non déseris,
sed per beátos apóstolos contínua protectióne custódis,
ut iísdem rectóribus gubernétur,
quos Fílii tui vicários eídem contulísti præésse pastóres.
Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

POST COMMUNIONEM 445/9

Pópulus tuus, quǽsumus, Dómine, cæléstí pane reféctus,
apostolórum Petri et Pauli commemoratióne lætétur,
quorum donásti patrocínio gubernári.
Per Christum.

Die 21 novembris

446 In Præsentatione B. Mariæ Virginis

Memoria

De communi Beatæ Mariæ Virginis (pp. 806-811).

Die 22 novembris

447 S. Cæciliæ, virginis et martyris

Memoria

De communi virginis et martyris (p. 828).

Die 23 novembris

448 S. Clementis I, papæ et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 448/2

Deus, qui in ómnium sanctórum tuórum es virtúte mirábilis,
da nobis in beáti Cleméntis ánnua commemoratióne lætári,
qui, Fílii tui sacérdos et martyr,
quod mystério gessit, testimónio comprobávit,
et quod prædicávit ore, confirmávit exémplo.
Per Dóminum.

449 S. Columbani, abbatis

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 449/2

Deus, qui in beáto Columbáno
evangelizándi munus et monásticæ vitæ stúdium
mirabíliter coniunxísti,
præsta, quǽsumus,
ut, eius exémplo et intercessióne suffúlti,
te super ómnia quǽrere
et credéntium pópulum studeámus augére.
Per Dóminum.

Die 24 novembris

450 B. Mariæ Annæ Sala, virginis

Memoria

De communi virginum (pp. 856-859), vel sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869).

SUPER POPULUM 450/2

Deus, fons omnis sanctitátis et grátiæ,
qui beátam Maríam Annam vírginem
ita Fílii tui caritáte replésti,
ut in discípulis instituéndis
sédule ac sapiénter incúmberet,
eius précibus concéde misericors
Salvatórem Iesum húmili nos conversatióne sectári
et opéribus atque verbis
Magístrum frátribus exhibére.
Qui tecum vivit.

Die 28 novembris

451 S. Ioannis a Deo, religiosi

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869), vel pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

SUPER POPULUM 451/2

Deus, qui beátum Ioánnem misericórdiæ spíritu perfudísti,
da, quǽsumus,
ut, caritátis ópera fidéliter exercéntes,
inter eléctos in regno tuo inveníri mereámur.
Per Dóminum.

Die 30 novembris

452 S. ANDREÆ, APOSTOLI

Festum

INGRESSA Cf. Mt 4, 18-19 452/1

Dóminus secus mare Galilǽæ
vidit duos fratres, Petrum et Andréam,
et vocávit eos: Veníte post me,
fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 452/2

**Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, sicut Andréas, vocátus a Christo,
terréna ómnia mentis alacritáte relíquit,
ita et nos, eius exémplum fidéliter imitántes,
Salvatórem sequi, quem invénimus, mereámur.
Qui tecum vivit.**

POST EVANGELIUM 452/3

Missus sum apóstolus a Dómino
prædicáre homínibus viam salútis,
in qua ámbulent,
ut cognóscant ætérna promíssa
secrétæ crucis Magístri et Dómini mei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 452/4

**Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster,
beáti apóstoli tui Andréæ
intercessiónibus sublevári,
ut, per quem Ecclésiæ tuæ supérni múneris rudiménta donásti,
per eum subsídia perpétuæ Christi salútis impéndas.
Qui vivit.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 452/5

**Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut his munéribus,
quæ in beáti Andréæ festivitáte deférimus,
et tibi placeámus exhíbitis
et vivificémur accéptis.
Per Christum.**

PRÆFATIO 452/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Adest enim nobis dies magnífici votíva mystérii,
qua venerándus Andréas beáti Petri apóstoli se germánum
tam prædicatióne Christi tui, quam confessióne monstrávit,
et apostólicæ númerum dignitátis
simul passióne supplévit et glória.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 1, 41-42 452/7

Dixit Andréas Simóni fratri suo:
Invénimus Messíam.
Et addúxit eum ad Iesum.

TRANSITORIUM 452/8

Súscipe, beáta crux, discípulum Dómini,
qui pepéndit in te;
redde me Magístro meo,
qui per te redémit me.

POST COMMUNIONEM 452/9

Róboret nos, Dómine, tui commúnio sacraménti,
ut beáti Andréæ apóstoli excitémur exémplo,
et, Christi mortificatiónem feréntes,
cum ipso vívere mereámur in glória.
Qui vivit.

Die 3 decembris

453 S. Francisci Xavier, presbyteri

Memoria

De communi pastorum: pro missionariis (pp. 844-847), vel pro presbyteris (pp. 840-843).

SUPER POPULUM 453/2

Deus, qui beáti Francísci prædicatióne
multos tibi pópulos acquisísti,
da, ut eódem fídei zelo férveant,
qui christiáno nómine gloriántur,
et ubérrima ubíque prole Ecclésia sancta lætétur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 453/4

Deus, qui beátum Francíscum
glóriæ tuæ propagatórem exímium effecísti,
concéde propítius,
ut, eiúsdem intercedénte suffrágio,
cæléstis glóriæ tuæ partícipes esse mereámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 453/5

Súscipe, Dómine, múnera,
quæ tibi in beáti Francísci commemoratióne deférimus,
et præsta, ut, sicut ille desidério salútis hóminum
ad terras díssitas est progréssus,
ita et nos, testimónium evangélio perhibéntes,
ad te cum frátribus alácriter festinémus.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 453/9

Mystéria tua, Deus, eum in nobis accéndant caritátis ardórem,
quo beátus Franciscus pro animárum salúte flagrávit,
ut, vocatióne nostra dígnius ambulántes,
promíssum cum eo bonis operáriis prǽmium consequámur.
Per Christum.

Die 4 decembris

454 S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 454/2

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine,
sancti Ioánnis presbýteri précibus adiuvári,
ut vera fides, quam ille dócuit excellénter,
lux semper nobis sit et fortitúdo permáneat.
Per Dóminum.

Die 6 decembris

455 S. Nicolai, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 455/2

Misericórdiam tuam, Dómine, súpplices implorámus,
et, beáti Nicolái epíscopi interveniénte suffrágio,
nos ab ómnibus defénde perículis,
ut via salútis nobis páteat expedíta.
Per Dóminum.

Die 7 decembris

IN ORDINATIONE S. AMBROSII, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Sollemnitas

456 IN VIGILIA

Hæc missa adhibetur vespere diei 6 decembris.

INGRESSA Cf. Deut 28, 11-12 456/1

Elégit te Dóminus sibi sacerdótem magnum,
et, apériens thesáurum suum óptimum,
abundáre te fáciet ómnibus bonis.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 456/2

**Deus, mundi auctor et cónditor,
qui hodiérnæ festivitátis diem
beáti Ambrósii sacerdótis electióne sacrásti,
præsta pópulo tuo,
ut, cuius ánnua celebritáte devótis resúltat obséquiis,
eius suffrágiis tuæ pietátis consequátur auxílium.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM 456/3

Teneámus clavum fídei,
ne nos graves huius sǽculi turbáre possint procéllæ.
Mare quidem magnum et spatiósum,
sed non verémur,
quia tu ipse, Dómine,
super mária fundásti Ecclésiam tuam,
et super flúmina præparásti eam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 456/4

**Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
ut huius Ecclésiæ tuæ pastor et oves,
beáti Ambrósii sequéndo vestígia,
simul mereámur ad regna cæléstia perveníre.
Per Christum.**

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 456/5

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine,
quam in beáti Ambrósii sollemnitáte deférimus,
et víncula nostræ pravitátis absólvat
et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet.
Per Christum.

PRÆFATIO 456/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sic tríbuis Ecclésiam tuam sancti Ambrósii festivitáte gaudére,
ut eam corróbores piæ conversatiónis exémplo,
verbo prædicatiónis erúdias,
gratáque tibi supplicatióne tueáris.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM 456/7

Deum Patrem dicis quasi fílius,
sed noli tibi áliquid speciáliter vindicáre.
Dic ergo et tu per grátiam:
Pater noster, ut fílius esse mereáris.

TRANSITORIUM 456/8

Caro Christi, útique corpus est vitæ,
quod quicúmque religióse gustáverit,
corruptiónem sentíre non póterit.

POST COMMUNIONEM 456/9

Pane cælésti nutríti et in Christo unum corpus effécti,
te, Dómine, humíliter deprecámur,
ut illi vívere valeámus,
ad cuius imáginem facti sumus.
Qui vivit.

457 IN DIE

INGRESSA Eccli 15, 5 457/1

In médio Ecclésiæ apériet os eius
et adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus
et stola glóriæ véstiet illum.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 457/2

Deus, qui beátum Ambrósium epíscopum
cathólicæ fídei doctórem
et apostólicæ documéntum fortitúdinis effecísti,
dignáre pastóres in Ecclésia tua magnánimos excitáre,
qui eam fórtiter secúndum cor tuum sapientérque gubérnent.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 457/3

Teneámus clavum fídei,
ne nos graves huius sǽculi turbáre possint procéllæ.
Mare quidem magnum et spatiósum,
sed non verémur,
quia tu ipse, Dómine,
super mária fundásti Ecclésiam tuam,
et super flúmina præparásti eam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 457/4

Creátor et servátor ómnium Deus,
qui per pontíficem magnum Iesum sacerdotále culmen
super beátum Ambrósium hodiérna die mirabíliter consecrásti,
Ecclésiæ nostræ pastórem plebémque tuam
ipso intercedénte sanctífica,
ut regnum cæléstis glóriæ felíciter consequántur.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 457/5

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
illa Spíritus sanctus fídei luce perfúndat,
qua beátum Ambrósium
ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 457/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui in Ecclésia tua sancta cathólica
ita sacerdótes dispónis et órdinas,
ut effícias Christo Fílio tuo Ecclésiam
non habéntem máculam neque rugam.

Qui olim diéi huius sollemnitáte
alúmni tui Ambrósii pontíficis sublimáre dignátus es cáthedram,
ut, fasce depósito sæculári,
tui doctórem et iúdicem gregis effíceres,
et pastórem Ecclésiæ præfirmáres.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM 457/7

Qui fáciem nostram non audebámus ad cælum attóllere,
accépimus grátiam Christi,
ómnia sunt nobis peccáta dimíssa.
Ex malis servis facti sumus boni fílii.
Attollámus ergo óculos ad Patrem,
qui nos génuit per lavácrum,
et per Fílium nos redémit.

TRANSITORIUM 457/8

Depósitis inveterátis erróris exúviis,
cæléste illud festinémus adíre convívium.
Adeámus ígitur et vidéntes sacrosánctum altáre compósitum
clamémus sic: Parásti in conspéctu meo mensam.

POST COMMUNIONEM 457/9

Huius sacraménti, Dómine, virtúte firmátos,
fac nos ita beáti Ambrósii profícere documéntis,
ut, viríliter per tuas sémitas festinántes,
ad ætérni suavitátem convívii præparémur.
Per Christum.

Die 8 decembris

458 IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

INGRESSA Is 61, 10 458/1

Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 458/2

Deus, qui per immaculátam Vírginis conceptiónem
dignum Fílio tuo habitáculum præparásti,
quǽsumus, ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa
eam ab omni peccáti mácula præservásti,
nos quoque mundos eius intercessióne
ad te perveníre concédas.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Iudt 13, 23; 15, 10 458/3

Benedícta es tu, virgo María
a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.
Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israel,
tu honorificéntia pópuli nostri.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 458/4

Deus, qui tantam Maríæ grátiam contulísti
ad vincéndum ex omni parte peccátum,
ut sola sine labe inter Adæ fílios gignerétur,
nostrórum, quǽsumus, áblue máculas peccatórum,
et præsta, ut sancti et immaculáti mereámur
ante te in pósterum inveníri.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 458/5

Salutárem hóstiam, Dómine,
quam in sollemnitáte
immaculátæ conceptiónis beátæ vírginis Maríæ
tibi lætánter offérimus,
súscipe tua benignitáte placátus,
ut, sicut illam tua grátia præveniénte
ab omni labe profitémur immúnem,
ita eius intercessióne a culpis ómnibus liberémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 458/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui beatíssimam vírginem Maríam
ab omni originális culpæ mácula præservásti,
ut in ea, pleníssimo grátiæ tuæ splendóre ditáta,
dignam præparáres tuo Fílio Genetrícem,
et sponsæ eius Ecclésiæ signáres exórdium,
quæ sine ruga vel mácula ipsi exhibétur intácta.

Fílium enim erat puríssima virgo datúra,
qui crímina nostra Agnus ínnocens aboléret;
et ipsam præ ómnibus tuo pópulo disponébas
advocátam grátiæ et sanctitátis exémplar.

Et ídeo de tanta Matris glória pópulus ei déditus gratulátur,
chorísque cǽlitum sociátus cum exsultatióne te laudat,
hymnum maiestáti tuæ sine intermissióne canéntibus:

CONFRACTORIUM Cf. Iudt 13, 18-20; Ps 97, 2; Ps 29, 1 458/7

Vivit Dóminus,
quóniam adimplévit in me misericórdiam suam.
In conspéctu géntium revelávit glóriam Genetrícis suæ;
exaltábo ergo te, Dómine,
quóniam extraxísti me,
nec delectásti inimícos meos super me.

TRANSITORIUM Cf. Ps 86, 3; Lc 1, 49; Cant 4, 12-13; 1, 3 458/8

Gloriósa dicta sunt de te, María,
quia fecit tibi magna qui potens est.
Hortus conclúsus, fons signátus:
emissiónes tuæ paradísus.
Trahe nos, Virgo immaculáta:
post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

POST COMMUNIONEM 458/9

Quæ súmpsimus, Dómine, salutária sacraménta,
illíus in nobis culpæ vulnéribus medeántur,
a qua immaculátam beátæ Maríæ conceptiónem
singuláriter præservásti.
Per Christum.

Die 9 decembris

459 S. Syri, episcopi

De communi pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

Die 11 decembris

460 S. Damasi I, papæ

De communi pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 460/2

Præsta, quæsumus, Dómine,
qui tuæ fídei gloríficas confessóres,
ut mártyrum tuórum iúgiter mérita celebrémus,
quorum éxstitit beátus Dámasus cultor et amátor insígnis.
Per Dóminum.

Die 12 decembris

461 S. Ioannæ Franciscæ de Chantal, religiosæ

De communi sanctorum: pro religiosis (pp. 865-869)

SUPER POPULUM 461/2

Deus, qui beátam Ioánnam Francíscam
per várias vitæ sémitas præcláris méritis illustrásti,
ipsíus nobis placátus intercessióne concéde,
ut, in vocatióne nostra fidéliter ambulántes,
lucis exémpla iúgiter ostendámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 461/4

Clementíssime Deus,
qui sanctæ Ioánnæ Francíscæ gloriósa mérita
miro dispónere dignátus es órdine,
præsta, ut eius imitatióne, tua grátia suffragánte,
cotidiáno præparémur virtútum increménto
ad ætérna gáudia consequénda.
Per Christum.

Die 13 decembris

462 S. Luciæ, virginis et martyris

Memoria

De communi virginis et martyris (p. 828).

SUPER POPULUM 462/2

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine,
sanctæ Lúciæ vírginis et mártyris gloriósa confóveat,
ut eius natalícia temporáliter frequentémus,
et prǽmiis felíciter consociémur ætérnis.
Per Dóminum.

Die 14 decembris

463 S. Ioannis a cruce, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

INGRESSA Gal 6, 14 463/1

Mihi absit gloriári,
nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

SUPER POPULUM 463/2

Deus, qui sanctum Ioánnem presbýterum
perféctæ sui abnegatiónis
et crucis amatórem exímium effecísti,
concéde, ut, eius imitatióni iúgiter inhæréntes,
ad contemplatiónem glóriæ tuæ perveniámus ætérnam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Cor 2, 9-10 463/3

Oculus non vidit, nec auris audívit,
nec in cor hóminis ascéndit,
quæ præparávit Deus his qui díligunt illum;
nobis autem revelávit Deus per Spíritum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 463/4

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, sanctum Ioánnem sincéris méntibus imitántes,
qui Christi mortem in semetípso portávit assíduam,
ad ipsíus Dómini valeámus glóriam perveníre.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 463/5

Réspice, Dómine, quas hóstias
in commemoratióne beáti Ioánnis offérimus,
concédens, ut, qui domínicæ passiónis mystéria celebrámus,
sédula imitémur devotióne quod ágimus.
Per Christum.

PRÆFATIO 463/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, regnum tuum éxhibens
quasi thesáurum in agro abscónditum pretiósum,
beáto Ioánni benígnus dedísti,
ut illum felíciter inveníret,
et, ómnibus vénditis,
festinánter sibi comparáret in gáudio.

Exínde autem, scriba velut sápiens,
nova prompsit et vétera,
servúsque prudens ac fidélis
Ecclésiam áluit pábulis veritátis.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Mt 16, 24 463/7

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Ap 3, 20 463/8

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus:
si quis audíerit vocem meam et aperúerit iánuam,
introíbo ad illum et cenábo cum illo et ipse mecum.
Grátias tibi, laudes tibi Deo meo,
magíster, pulsátor áurium meárum,
et illustrátor cordis mei.

POST COMMUNIONEM 463/9

Deus, qui crucis mystérium
in beáto Ioánne mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et ad salútem ómnium in eiúsdem operémur Ecclésia.
Qui vivit.

Die 15 decembris

464 S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel doctorum Ecclesiæ (pp. 850-855).

SUPER POPULUM 464/2

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem
virtúte et doctrína beátum Petrum presbýterum roborásti,
ipso suffragánte concéde propítius,
ut, qui veritátem quærunt,
te Deum gaudénter invéniant,
et in tua confessióne pópulus credéntium persevéret
Per Dóminum.

Die 16 decembris

465 S. Ioannis de Kety, presbyteri

De communi pastorum: pro presbyteris (pp. 840-843), vel sanctorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt (p. 870).

SUPER POPULUM 465/2

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, exémplo sancti Ioánnis presbýteri,
in sanctórum sciéntia procedámus,
atque, misericórdiam ómnibus exhibéntes,
apud te indulgéntiam consequámur.
Per Dóminum.

Die 29 decembris

466 S. Thomæ Becket, episcopi et martyris

De communi martyrum (pp. 820-825), vel pastorum: pro episcopis (pp. 838-841).

SUPER POPULUM 466/2

Deus, qui beáto Thomæ mártyri
pro iustítia magno ánimo vitam profúndere tribuísti,
da nobis eius intercessióne
nostram pro Christo vitam in hoc sǽculo recusáre,
ut eam in cælo inveníre possímus.
Per eúndem Dóminum.

Die 31 decembris

467 S. Silvestri I, papæ

De communi pastorum: pro papa (p. 834).

SUPER POPULUM 467/2

Auxiliáre, Dómine, pópulo tuo,
beáti Silvéstri papæ intercessióne suffúlto,
ut, præséntem vitam sub tua gubernatióne transcúrrens,
mereátur felíciter inveníre perpétuam.
Per Dóminum.

COMMUNE SANCTORUM

1 Commoditatis causa, in singulis communibus, plures ponuntur missæ cum omnibus elementis, nempe cantibus, orationibus et præfationibus.

Attamen sacerdoti licet, pro opportunitate, cantus, orationes et præfationes ex eodem communi inter se commutare, eligendo ex ipsis textus, qui sub respectu pastorali aptiores videntur.

Insuper, in missis de memoriis, orationes ad complendam liturgiam verbi, super oblata et post communionem, præter quam ex ipsis communibus, sumi possunt etiam e feriis respectivi temporis liturgici.

2 In communi martyrum et in communi sanctorum et sanctarum, omnes orationes et præfationes, quæ ponuntur pro viris, adhiberi possunt etiam pro mulieribus, mutato genere.

3 In singulis communibus, textus forma singulari expressi semper adhiberi possunt pro pluribus, mutato numero. Item, textus forma plurali positi pro uno sumi possunt, mutato numero.

4 Tempore paschali, in fine cantuum addatur unum Allelúia.

COMMUNE DEDICATIONIS ECCLESIÆ

Textus missarum «in Dedicatione ecclesiæ» necnon «in Dedicatione altaris» inveniuntur inter missas rituales (pp. 976-981).

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS

468 1 IN IPSA ECCLESIA DEDICATA

INGRESSA Mt 21, 13; Lc 11, 10 468/1
Domus mea domus orationis vocábitur, dicit Dóminus:
in ea omnis qui petit, áccipit;
et qui quærit, ínvenit;
et pulsánti aperiétur.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 468/2
Deus, qui nobis per síngulos annos
huius sancti templi tui diem consecratiónis instáuras,
exáudi preces pópuli tui, et concéde propítius,
ut fiat hic purum tibi semper servítium
nobísque plena redémptio.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 2, 2 468/3
Fundáta est ecclésia super vérticem montis,
et exaltáta est super omnes colles,
et vénient ad eam omnes gentes magnificántes Deum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 468/4
Annuæ festivitátis cultu súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, quicúmque intra templi huius,
cuius natális est hódie, ámbitum continémur,
plena tibi atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus,
et, dum præséntia vota fidéliter réddimus,
ad ætérna mereámur prǽmia perveníre.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 468/5
Mémores diéi quo domum tuam, Dómine,
glória dignátus es ac sanctitáte replére,
nosmetípsos, quǽsumus, fac hóstias tibi semper accéptas.
Per Christum.

PRÆFATIO 468/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia in domo visíbili, quam nobis exstrúere concessísti,
ubi famíliæ ad te peregrinánti favére non désinis,
mystérium tuæ nobíscum communiónis mire índicas et adímples.

Hic enim tibi templum illud, quod nos sumus, constánter ædíficas,
et Ecclésiam toto orbe diffúsam
in domínici compágem córporis facis semper augéri,
cæléstri civitáte Ierúsalem in pacis visióne compléndam.

Et ídeo ipsi cunctísque cœ́tibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Cor 3, 16. 17 468/7

Templum Dei estis
et Spíritus Dei hábitat in vobis.
Templum Dei sanctum est,
quod estis vos.

TRANSITORIUM 468/8

Hæc domus aulæ cæléstis,
hic novam prolem grátia párturit,
fecúnda Spíritu sancto.
Angeli cives vísitant hic suos,
et corpus súmitur Iesu.
Hic vox lætítiæ pérsonat,
hic pax et gáudia redúndant.

POST COMMUNIONEM 468/9

Benedictiónis tuæ, quǽsumus, Dómine,
plebs tibi sacra fructus repórtet ac gáudium,
ut, quod in huius festivitátis die
servítio exíbuit corporáli,
spirituáliter se rettulísse cognóscat.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

Dici potest textus benedictionis sollemnis n. 19, p. 571, cum verbis ad huius dedicatiónis memóriam.

469 2 EXTRA IPSAM ECCLESIAM DEDICATAM

INGRESSA Mt 21, 13; Lc 11, 10 469/1
Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus:
in ea omnis qui petit, áccipit;
et qui quærit, ínvenit;
et pulsánti aperiétur.

Dicitur Glória.

SUPER POPULUM 469/2

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus
ætérnum habitáculum tuæ præparas maiestáti,
multíplica in Ecclésia tua spíritum grátiæ, quem dedísti,
ut fidélis tibi pópulus
in cæléstis ædificatiónem Ierúsalem semper accréscat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 2, 2 469/3
Fundáta est ecclésia super vérticem montis,
et exaltáta es super omnes colles,
et vénient ad eam omnes gentes magnificántes Deum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 469/4

Deus, qui pópulum tuum in unam dignátus es Ecclésiam copuláre,
da plebi huic, in tuo nómine congregátæ,
ut te tímeat et in dilectióne sequátur,
atque ad promíssa cæléstia, te ducénte, pervéniat.
Per Christum.

Dicitur Credo.

SUPER OBLATA 469/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, munus oblátum,
et poscéntibus nobis concéde propítius,
ut sacramentórum virtus et votórum obtineátur efféctus.
Per Christum.

PRÆFATIO 469/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Qui domum orationis muníficus inhabitáre dignáris,
ut, grátia tua perpétuis fovénte subsídiis,
templum Spíritus sancti nos ipse perfícias,
acceptábilis vitæ splendóre formósum.

Sed et visibílibus ædifíciis adumbrátam,
Christi sponsam Ecclésiam,
eiúsdem Spíritus operánte virtúte sanctíficas,
ut, innumerábili prole mater exsúltans,
in glóriam tuam collocétur in cælis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Cor 3, 16. 17 469/7

Templum Dei estis
et Spíritus Dei hábitat in vobis.
Templum Dei sanctum est,
quod estis vos.

TRANSITORIUM 469/8

Hæc domus aulæ cæléstis,
hic novam prolem grátia párturit,
fecúnda Spíritu sancto.
Angeli cives vísitant hic suos,
et corpus súmitur Iesu.
Hic vox lætítiæ pérsonat,
hic pax et gáudia redúndant.

POST COMMUNIONEM 469/9

Deus, qui temporáli Ecclésiæ tuæ signo
supérnam voluísti Ierúsalem figurári,
da, quǽsumus, ut huius participatióne vivífici sacraménti
tuæ nos grátiæ templum efficiámur
in domus glóriam sempitérnæ.
Per Christum.

COMMUNE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Hæ missæ adhibentur etiam pro celebranda memoria sanctæ Mariæ in sabbato, et in missis votivis de Beata Maria Virgine.

470 1

INGRESSA Lc 1, 28. 30. 42 470/1

Ave, María, grátia plena,
Dóminus tecum, benedícta tu inter mulíeres.
Ne tímeas, invenísti enim grátiam apud Deum.

SUPER POPULUM 470/2

Ecclésiæ tuæ sanctæ, Pater omnípotens, concéde propítius,
ut, beátam Maríam vírginem
exémplar sibi prósequens imitándum,
fide gáudeat et caritáte multórum se matrem éffici filiórum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Lc 1, 45 470/3

Beáta es, María, quæ credidísti:
perficiéntur in te, quæ dicta sunt a Dómino.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 470/4

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus,
perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére,
et gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne
a præsénti liberári tristítia,
et lætítia pérfrui sempitérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 470/5

Múnera quæ tibi offérimus, Dómine, dignáre suscípere,
et sancti Spíritus da corda nostra ita luce fulgére,
ut exémplo sanctæ Deíparæ
tua semper quǽrere váleant et serváre.
Per Christum.

PRÆFATIO 470/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui genus humánum, per prævaricatiónem suam
in ipsíus oríginis radíce damnátum,
per florem virginális úteri réddere dignátus es absolútum,
ut hóminem, quem Unigéniti virtúte creáveras,
per eúndem Fílium tuum, Deum et hóminem, recreáres;
et diábolus, qui Adam in frágili carne devícerat,
conserváta iustítia, a Deo carne vincerétur assúmpta.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 11, 27 470/7

Beátus ille venter, qui te portávit, Christe,
et beáta úbera, quæ te lactavérunt,
Dóminum et Salvatórem mundi,
qui pro salúte géneris humáni
carnem assúmere dignátus es.

TRANSITORIUM 470/8

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te gloríficant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

POST COMMUNIONEM 470/9

Suméntes, Dómine, cæléstia sacraménta,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, qui de beátæ vírginis Maríæ festivitáte lætámur,
eiúsdem Vírginis imitatióne
redemptiónis nostræ digne valeámus mystério famulári.
Per Christum.

INGRESSA 471/1

Virgo Dei génetrix, quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.
Vera fides Géniti purgávit crímina mundi,
et tibi virgínitas invioláta manet.

SUPER POPULUM 471/2

Illam nobis, Dómine,
ut in tuo maneámus verbo largíre virtútem,
qua beáta virgo María
constánter in fídei peregrinatióne procéssit,
suámque fidéliter cum Fílio usque ad crucem sustínuit uniónem.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 471/3

Sub tuam misericórdiam confúgimus, Dei Génetrix,
nostram deprecatiónem ne indúcas in tentatiónem,
sed de perículo líbera nos, sola casta et benedícta.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 471/4

Huius Ecclésiæ tuæ, Deus, voci supplicántis inténde,
ut sanctæ Maríæ vírginis iúgiter imitári váleat caritátem,
eiúsque cúpiat exémplo tuis fidéliter obœdíre mandátis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 471/5

Genetrícis Fílii tui memóriam venerántes,
grátiæ tuæ, Dómine, póscimus largitátem,
ut sacrifícii huius oblátio
nosmetípsos tibi perfíciat munus ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 471/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Ac te in memória beátæ vírginis Maríæ iustis láudibus exaltáre,
quam alto mystério ómnibus voluísti antecéllere creatúris.

Ipsa enim est, Fílii tui meritórum intúitu,
modo sublimióre redémpta,
illíque per ómnia indissolúbili vínculo singularíque coniúncta.

Quæ ad tantum est evécta fastígium dignitátis,
ut Unigéniti tui génetrix, virgo pérmanens, sit elécta,
ac tui præcéllens fília Spiritúsque sit facta sacrárium.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 471/7

María virgo semper lætáre,
quæ tantam grátiam meruísti:
cæli et terræ Creatórem de tuo útero generáre.

TRANSITORIUM 471/8

Virgo Verbum concépit,
virgo permánsit,
Virgo génuit regem ómnium regum.

POST COMMUNIONEM 471/9

Effécti, Dómine, partícipes redemptiónis ætérnæ,
quǽsumus, ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam ágimus,
et de grátiæ tuæ plenitúdine gloriémur
et salvatiónis contínuum sentiámus augméntum.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Iudt 13, 23. 25 472/1

Benedícta es tu, virgo María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram,
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum.

SUPER POPULUM 472/2

Fœdus tuum, Dómine, Ecclésia tua,
fidélis tibi virgo et pura, custódiat,
et beátæ Deíparæ conversatiónis exémplo
integritátem fídei, spei robur, caritátis servet ardórem.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 472/3

Salve, sancta parens, eníxa puérpera regem,
qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 472/4

Omnípotens sempitérne Deus,
fámulos tuos déxtera poténtiæ tuæ a cunctis defénde perículis,
et, beáta semper vírgine intercedénte María,
fac eos præsénti et futúra prosperitáte gaudére.
Per Christum.

SUPER OBLATA 472/5

Laudis tibi, Dómine, dum hóstias offérimus,
de Genetrícis Fílii tui festivitáte lætántes,
præsta, quǽsumus, ut his commérciis sacrosánctis
ad redemptiónis ætérnæ proficiámus augméntum.
Per Christum.

PRÆFATIO 472/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Mérito namque optámus
te de ómnium provéctu collaudáre sanctórum,
ac præcípue de beátæ Maríæ vírginis excelléntia prædicáre.

Quæ grátiæ plenitúdine sic est a te singuláriter illustráta,
ut nova facta sit nobis Eva ad mortis intéritum
et ad vitam per Fílium cæléstí generatióne reddéndam.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Lc 1, 47 472/7

Magníficat ánima mea Dóminum,
et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo.

TRANSITORIUM Cf. Lc 1, 48. 38 472/8

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.
Ecce ancílla Dómini;
fiat mihi secúndum verbum tuum.

POST COMMUNIONEM 472/9

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ vírginis Maríæ memóriam venerándo recólimus,
ætérni convívii cum ipsa mereámur esse partícipes.
Per Christum.

INGRESSA Lc 1, 30-31 473/1

Ne tímeas, María;
invenísti enim grátiam apud Deum.
Et ecce concípies in útero et páries fílium,
et vocábis nomen eius Iesum.

SUPER POPULUM 473/2

Deus, cuius ineffábile Verbum,
ángelo nuntiánte, virgo immaculáta suscépit,
et domus divinitátis effécta
sancti Spíritus est luce repléta,
quǽsumus, ut, tibi fidéliter cum illa semper hæréntes,
adoptiónis grátia copiósius impleámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 35, 4 473/3

Consolámini, qui estis pusillánimes,
consolámini, et iam nolíte timére:
ecce Deus noster iudícium retríbuit;
ipse véniet, et salvos nos fáciet.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 473/4

Deus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero
Verbum tuum, ángelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti,
præsta supplícibus tuis,
ut, qui vere eam Dei crédimus genetrícem,
eius apud te intercessiónibus adiuvémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 473/5

Altári tuo, Dómine,
superpósita múnera Spíritus sanctus assúmat,
qui beátæ Maríæ víscera
sui splendóris veritáte replévit.
Per Christum.

PRÆFATIO 473/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos, Pater omnípotens,
beátæ sempérque vírginis Maríæ memóriam celebráre.

Hæc enim parvo útero Dóminum cæli portávit,
et Redemptórem mundi, ángelo nuntiánte,
Verbum carne mortáli édidit Salvatórem,
qui castis viscéribus est concéptus,
clausa ingrédiens et clausa relínquens.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Is 30, 19. 27. 29. 30 473/7

Pópule Sion, ecce Dóminus véniet ad salvándas gentes,
et audítam fáciet Dóminus glóriam laudis suæ
in lætítia cordis vestri.

TRANSITORIUM Cf. Mt 11, 4-5 473/8

Nuntiáte Ioánni, quia cæci vident,
et claudi ámbulant;
páuperes lætántur in advéntu Dómini.

POST COMMUNIONEM 473/9

Mystéria quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
misericórdiam tuam in nobis semper osténdant,
ut Fílii tui incarnatióne salvémur,
qui Genetrícis eius memóriam fidéli mente celebrámus.
Qui vivit.

INGRESSA Lc 1, 38; Io 1, 14 474/1

Dixit María ad ángelum:
Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.
Et Verbum caro factum est
et habitávit in nobis.

SUPER POPULUM 474/2

Deus, qui per beátum sacræ Vírginis partum
Fílii tui carnem humánis fecísti præiudíciis non tenéri,
præsta, quǽsumus,
ut, huius creatúræ novitáte suscépta,
vetustátis antíquæ contágiis exuámur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 474/3

Virgo hódie fidélis,
etsi Verbum génuit incarnátum,
virgo mansit et post partum.
Quam laudántes, omnes dícimus:
Benedícta tu in muliéribus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 474/4

Deus, qui salútis ætérnæ,
beátæ Maríæ virginitáte fecúnda,
humáno géneri prǽmia præstitísti,
tríbue, quǽsumus,
ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus,
per quam merúimus auctórem vitæ suscípere.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 474/5

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas,
ut, qui natus de Vírgine
matris integritátem non mínuit sed sacrávit,
a nostris nos piáculis éxuens,
oblatiónem nostram tibi reddat accéptam.
Qui vivit.

PRÆFATIO 474/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui nos mirábile mystérium et inenarrábile sacraméntum
per venerábilem Maríam serváre docuísti,
in qua manet intácta cástitas,
pudor íntegeer, firma constántia.

Nam in hoc se matrem Dómini fuísse cognóvit,
quia plus gáudii cóntulit quam pudóris,
et, dum mirátur quod péperit,
lætátur quod édidit Redemptórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 474/7

Iam nata lux est et salus,
fugáta nox et victa mors.
Veníte, gentes, crédite:
Deum María prótulit.

TRANSITORIUM 474/8

Gaude et lætáre, exsultátio angelórum.
Gaude, Dómini virgo, prophetárum gáudium.
Gáudeas benedícta, Dóminus tecum est.
Gaude, quæ per ángelum gáudium mundi suscepísti.
Gaude, quæ genuísti factórem et Dóminum.
Gáudeas, quia digna es esse mater Christi.

POST COMMUNIONEM 474/9

Incarnáti Verbi tui, Dómine, córpore et sánguine recreáti,
quǽsumus, ut hæc divína mystéria,
quæ in memória beátæ vírginis Maríæ lætánter accépimus,
eiúsdem Fílii tui divinitátis partícipes nos semper effíciant.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Act 1, 14 475/1

Erant discípuli perseverántes unanímiter in oratióne
cum María matre Iesu (Allelúia).

SUPER POPULUM 475/2

Deus, qui apóstolis tuis, cum María matre Iesu orántibus,
sanctum Spíritum tribuísti,
ipsíus Vírginis nobis intercessióne concéde,
ut maiestáti tuæ fidéliter serviámus,
et nóminis tui glóriam verbo et exémplo valeámus exquírere.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 475/3

Gaude, gloriósa, super omnes speciósa;
vale, valde decóra,
et pro nobis semper Christum exóra (Allelúia).

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 475/4

Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui
Iesu Christi Dómini nostri,
univérsum mundum lætificáre dignátus es,
tríbue, quæsumus,
ut intercessióne beatíssimæ vírginis Maríæ
perpétuæ capiámus gáudia vitæ.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 475/5

Mérita recoléntes beátæ vírginis Maríæ,
tibi, Dómine, múnera nostra deférimus,
hoc a te deprecántes,
ut eius nobis succúrrat humánitas,
qui tibi seípsum hóstiam in cruce óbtulit illibátam.
Qui vivit.

PRÆFATIO 475/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
in ómnium sanctórum provéctu te, Pater, mirábilem confitéri,
et potíssimum, beátæ vírginis Maríæ memóriam recoléntes,
sanctitátem ac poténtiam tuam ipsíus grato magnificáre præcónio.

Vere namque in omnes terræ fines magna fecísti,
ac tuam in sǽcula prorogásti misericórdiæ largitátem,
cum, ancíllæ tuæ humilitátem benígnus aspíciens,
per eam dedísti humánæ salútis auctórem,
Fílium tuum, Iesum Christum, Dóminum nostrum.

Unde et nos, Deus omnípotens, cum ángelis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 475/7

Lætáre, virgo Mater,
quia surréxit Christus de sepúlcro (Allelúia).

TRANSITORIUM 475/8

Quod Eva tristis ábstulit,
tu reddis almo gérmine, o gloriósa dómina
Vitam datam per Vírginem,
gentes redémptæ, pláudite (Allelúia).

POST COMMUNIONEM 475/9

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine,
veræ fídei sacraménta confírma,
ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum
et hóminem confitémur,
per eius salutíferæ resurrectiónis poténtiam,
ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam.
Qui vivit.

INGRESSA Cf. Act 1, 14 476/1

Erant discípuli perseverántes unanímiter in oratióne
cum María matre Iesu.

SUPER POPULUM 476/2

Deus, Pater misericors,
cuius Unigénitus, ligno crucis affíxus,
nobis quoque matrem próvide commendávit,
concéde, quǽsumus,
ut, eius cooperánte assídua caritáte,
fecúndior in dies Ecclésia tua
sanctitáte prolis exsúltet,
cunctásque in grémium suum famílias áttrahat populórum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 476/3

O felix Virgo, quæ Dóminum genuísti,
o beáta mater Ecclésiæ,
quæ in nobis foves Spíritum Fílii tui Iesu Christi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 476/4

Huius Ecclésiæ tuæ, Deus, voci supplicántis inténde,
ut sanctæ Maríæ vírginis iúgiter imitári váleat caritátem,
eiúsque cúpiat exémplo tuis fidéliter obœdíre mandátis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 476/5

Suscéptas, Dómine, oblatiónes nostras
in salútis, quǽsumus, convérte mystérium,
eiúsque virtúte ac beátæ méritis Maríæ, Ecclésiæ matris,
sic igne nos caritátis accénde,
ut óperi redemptiónis cum ipsa mereámur ártius sociári.
Per Christum.

PRÆFATIO 476/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,

et te in beátæ Maríæ vírginis celebratióne festíva
débitis devotiónis nostræ magnificáre præcóniis.

Quæ, iuxta crucem testaméntum divínæ caritátis accípiens,
univérsos hómines assúmpsit in fílios
ad supérnam vitam Christi morte generátos.

Sed et apóstolis, tuum exspectántibus in oratióne Promíssum,
suam ipsa vocem supplicatiónis adíciens,
præclárum nítuit exémplar orántis Ecclésiæ.

Ad ætérnam autem glóriam evécta cælórum,
matérna peregrinántes fílios dilectióne proséquitur,
eorúmque gressus ad pátriam benígna tuétur,
donec dies Dómini gloriósus advéniat.

Et ídeo cum sanctis et ángelis univérsis
te simul collaudámus, sine fine dicentes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 11, 27 476/7

Beátus ille venter, qui te portávit, Christe,
et beáta úbera, quæ te lactavérunt,
Dóminum et Salvatórem mundi,
qui pro salúte géneris humáni
carnem assúmere dignátus es.

TRANSITORIUM 476/8

Quod Eva tristis ábstulit,
tu reddis almo gérmine, o gloriósa dómina.
Vitam datam per Vírginem
gentes redémptæ, pláudite.

POST COMMUNIONEM 476/9

Sumpto, Dómine, pígnore redemptiónis et vitæ,
súpplices deprecámur,
ut Ecclésia tua matérna Vírginis ope
et evangélii præcónio gentes erúdiat univérsas
et orbem terrárum Spíritus effusióne sanctíficet.
Per Christum.

477 1 PRO UNO MARTYRE

INGRESSA 477/1

Hódie beátus N. labóris sui prǽmium recépit;
hódie in cælésti convívio
cum sanctis ómnibus gloriósus consédit.

SUPER POPULUM 477/2

Fídei nobis, Dómine, concéde miserátus augméntum,
ut ipsam ad iustificatiónem nostram veráciter persequámur,
quam beátus martyr tuus N.
usque ad sánguinem est proféssus in glóriam.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 33, 18 477/3

Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos,
et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 477/4

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam
beátum N. martýrii dignátus es decoráre victória,
concéde propítius,
ut, sicut ipse domínicæ fuit passiónis imitátor,
ita nos, per eius vestígia gradiéntes,
ad sempitérna mereámur gáudia perveníre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 477/5

Sicut his sacrifíciis, Dómine,
Iesum attestámur ánimam suam posuísse pro nobis,
ita, beáto N. mártyre tuo intercedénte,
ab iísdem parátos esse discámus
pro Unigénito tuo nostrísque frátribus
ánimas pónere confidénter.
Per Christum.

PRÆFATIO 477/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Per cuius poténtiam beátus martyr N.
álacer torménta váluit sustinére,
et ita passiónis suæ certámina pro tuo nómine
non dubitávit excípere,
ut Unigéniti tui passiónis efficerétur
sui sánguinis effusióne sectátor.

Unde lucem transitóriam pro beatitúdine relíquit ætérna,
et immarcescíbilem est adéptus corónam perpétuæ claritátis.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 2 Cor 4, 11 477/7

In mortem trádimur propter Iesum,
ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.

TRANSITORIUM Ps 33, 20-21 477/8

Multæ tribulatiónes iustórum,
et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.
Dóminus custódit ómnia ossa eórum,
unum ex his non conterétur.

POST COMMUNIONEM 477/9

Unigéniti tui, Dómine, pretióso córpore et sánguine roboráti,
in beáti mártyris tui N. commemoratióne
tuum implorámus auxílium,
ut in te fidéli caritáte manére,
de te vívere,
ad te valeámus iúgiter festináre.
Per Christum.

INGRESSA Mt 10, 39 478/1

Qui invénerit ánimam suam, perdet illam;
et qui perdíderit ánimam suam propter me,
invéniet eam, dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 478/2

Deus, quem hílari datóre scimus potíssimum delectári,
mártyris tui N. précibus et exémplo nobis concéde propítius,
ut in ásperis vitæ tibi valeámus esse
et in mortis agóne fidéles.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 4 Esd 2, 35 478/3

Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine,
et ætérnitas témporum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 478/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui mártyri tuo N. pro Christo passiónes subíre donásti,
nostræ quoque fragilitáti divínum præténde subsídium,
ut, sicut ille pro te mori non dubitávit,
ita nos fortes in tui confessióne vivámus.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 478/5

In tuórum, Dómine, pretiósa morte iustórum
sacrifícium devótis méntibus illud offérimus,
de quo martýrium sumpsit omne princípium.
Per Christum.

PRÆFATIO 478/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim mártyrem suum N. vocávit ad glóriam,
qui eum per martýrii vúlnera cæléstem vocávit ad palmam.

Hic nempe sanctus, verus Dómini testis,
ánimam pro Christo dare non dubitávit in mortem,
sciens quod caro sua glorificáta resúrgeret;
mori mundo quam Dómino plus diléxit,
sciens quod non hic civitátem manéntem habéret,
sed hereditátem incorrúptam exspectáret in cælo.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 13 478/7

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Ap 2, 7b 478/8

Vincénti dabo ei édere de ligno vitæ,
quod est in paradíso Dei.

POST COMMUNIONEM 478/9

Beáti mártyris N. cæléstem de victória corónam
divína dape coléntibus,
da nobis, Dómine, nunc panem vitæ sic édere,
ut rite vincámus,
et in paradíso de ligno vitæ
triumphántes manducémus in gáudio.
Per Christum.

INGRESSA Cf. 1 Tim 6, 12 479/1

Certámen gloriósum mártyris N. cum gáudio celebrémus,
qui, Christum conféssus coram homínibus,
honorári a Christo méruit coram Patre, qui est in cælis.

SUPER POPULUM 479/2

Deus, qui mártyri tuo N. donásti
ut, vitam pro te fundens,
summum perhibéret testimónium caritátis,
cunctos fidéles, quǽsumus,
fac esse parátos ad Christum coram homínibus confiténdum,
et ad illum per viam crucis in dilectióne sectándum.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 2 Tim 2, 11-12 479/3

Si commórtui sumus cum Christo, et convivémus;
si sustinémus, et conregnábimus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 479/4

Quǽsumus, Dómine, ut Spíritus sancti virtúte
ad credéndum nos dóciles et ad confiténdum fortes semper effícias,
qui propter verbum tuum et Christi testimónium inconcússum
beáto mártyri N. ánimam quoque pónere tribuísti.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 479/5

Clementíssime Deus,
múnera hæc tua benedictióne perfúnde,
et nos in fide pro tua pietáte confírma,
quam beátus N. effúso sánguine proclamávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 479/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et te in beáti N. mártyris tui virtútibus prædicáre,
cuius vota benígnus implésti, ut te felíciter inveníret.

Lætus enim ille ad huius venit conversatiónis occásum,
ut, non solum nómine sed et ópere christiánus,
in te post passiónem resúrgeret libertáti,
in te nova nativitáte orirétur in cælis.

Quem ita Christus, amor eius crucifíxus, attráxit,
ut nemo visibílium hunc discípulum deterréret,
quin magístrum sibi solum lucrum oblatiónis appéteret.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 125, 6 479/7

Facti sunt, Dómine, sancti tui
sicut consoláti in regno cælórum;
seminántes in lácrimis in sæculo,
portántes gáudium in ætérnum.

TRANSITORIUM Io 12, 24 479/8

Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.

POST COMMUNIONEM 479/9

De uno pane et de uno cálice participántibus,
cor unum, Dómine, et unam ánimam esse largíre,
et eádem nos, quǽsumus, caritáte consócia,
qua beátum N. mártyrem
tecum in unum
consummátum esse voluísti.
Per Christum.

INGRESSA Cf. 1 Tim 6, 12 480/1

Certámen gloriósum mártyris N. cum gáudio celebrémus,
qui, Christum conféssus coram homínibus,
honorári a Christo méruit coram Patre, qui est in cælis.

SUPER POPULUM 480/2

Deus, qui beáto N. tam sincéram tribuísti
veréque evangélicam caritátem,
ut Christi testis fúerit effusióne sánguinis gloriósus,
nobis quoque, ne crucis umquam scándalum erubescámus,
concéde virtútem.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Sap 10, 17 480/3

Réddidit iustis Deus mercédem labórum ipsórum,
et dedúxit eos per aquas nímias,
et fuit illis in velaménto diéi,
et in luce stellárum tránstulit eos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 480/4

Maiestátis tuæ cleméntiam, Dómine, supplíciter deprecámur,
ut, qui Unigéniti tui agnitiónem
per beáti mártyris N. prædicatiónem
populórum córdibus infudísti,
éadem in fídei stabilitáte eius intercessióne confírmes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 480/5

Passiónem, Dómine, mártyris tui N. débite venerántes,
fac nos digne Unigéniti tui mortem hoc sacrifício nuntiáre,
qui exémplo prædócuit
quos ad passiónes erat mónitis hortatúrus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 480/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vitam suam infiníta trádidit caritáte,
non pro sua tantum móriens natióne,
sed ut in unum quoque dispérsos tuos fílios congregáret.

Eius autem fidélis fámulus N. éxstitit ac sectátor,
qui, sortem Dómini sui libentíssime consecútus,
ódium pro illíus nómine ac persecutiónem sine timóre sustínuit.

Spíritus ígitur testimónio intus loquénte firmátus,
testis et ipse Magístri méruit comprobári.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 125, 6 480/7

Facti sunt, Dómine, sancti tui
sicut consoláti in regno cælórum;
seminántes in lácrimis in sǽculo,
portántes gáudium in ætérnum.

TRANSITORIUM Io 12, 24 480/8

Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.

POST COMMUNIONEM 480/9

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
súpplices te rogámus,
ut exémplo beáti N. caritátis et passiónis Fílii tui
in méntibus nostris signa ferámus,
et perpétuæ pacis gáudiis in supérna pátria perfruámur.
Per Christum.

5 PRO VIRGINE ET MARTYRE

INGRESSA Gal 2, 19b-20 481/1

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.
In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

SUPER POPULUM 481/2

Ecclésiæ tuæ, Deus, beátæ N. intercessióne concéde,
ut, sánguine Christi redémpta,
constánti róbore professiónis immaculáta servétur,
ac vocatiónem ad laudábilem virginitátem,
quæ ipsa mártyres facit, in se vídeat propagári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 481/3

Omnia habémus in Christo.
Si vulnus curáre desíderas, médicus est;
si fébribus æstuas, fons est refrigérii;
si cibum quæris, est ipse aliméntum.
Omnia Christus est nobis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 481/4

Præsta, quǽsumus, Pater,
ut Dóminum Iesum cotídie ímpigri intentíque sequámur,
ac, sicut in ipso est sanctæ reseráta mártyri N.
via ad sacri certáminis passiónes,
ita nobis detur evangélii Christi fortes esse patientésque discípuli.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 481/5

Accépta tibi fiat, quǽsumus, Dómine,
sacrifícii salutáris oblátio
in commemoratióne beátæ N. vírginis et mártyris,
quæ magna vi fídei seípsam tibi velut hóstiam immolávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 481/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
beátæ N. diem corónæ sollémniter celebrántes.

Quæ sponsa Christi fidelitátem cordis ipsi sic vovit et sánguinem,
ut virgo permanéret obtinerétque martýrium.
Illum enim, prolem sanctæ Vírginis illibátam,
tam veheménti super ómnia diléxit afféctu,
ut pérpetem pro eo custodíret spíritus et córporis castitátem,
nec ulla torménta vel mortem subíre metúeret.

Quaprópter de cælésti eius glória collætántes,
cum ángelis cunctísque sanctis te Dóminum confitémur
et hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cant 8, 6 481/7

Pone me ut signáculum super cor tuum,
ut signáculum super bráchium tuum,
quia fortis est ut mors diléctio,
dura sicut inférnus æmulátio;
lámpades eius lámpades ignis
atque flammæ divínæ.

TRANSITORIUM 481/8

Cum cœperis quærere, Christus adest.
Non potest deésse quæréntibus se,
qui palam factus est non quæréntibus.
Christus est enim cáritas.

POST COMMUNIONEM 481/9

Dignáre, Deus, fœdus tuum in sánguine,
quem Christus pro nobis óbtulit, innováre,
et præsta, ut beátæ N. exémplo
fidéles illi iúgiter maneámus,
ac sanctæ mártyris imitatóres,
consórtes quoque eius ætérni gáudii
in convívio prudéntium vírginum evadámus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Hebr 11, 33 482/1

Isti sunt sancti mártyres, Christi discípuli,
qui pervenérunt ad martýrii palmam,
et passi sunt pro Dómino.
Sancti omnes per fidem devicérunt regna,
operáti sunt iustítiam,
adépti sunt repromissiónes.

SUPER POPULUM 482/2

Deus, qui mártyres tuos N. et N.
propter iustítiam usque ad mortem passos,
beátos dignáris assérere,
præsta, ut eórum intercessióne
ómnia pro amóre tuo tolerémus advérsa,
et ad te, qui solus es vita, tota virtúte properémus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Sap 3, 1. 4 482/3

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt,
et non tanget illos torméntum mortis.
Etenim, si coram homínibus torménta passi sunt,
spes illórum immortalitáte plena est.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 482/4

Præsta, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum,
ut sanctórum mártyrum N. et N.,
quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus,
étiam constántiam fídei,
quæ Ecclésiam tuam semper ædíficet, subsequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 482/5

Hóstias tibi, Dómine, veneránter offérimus,
pro beatórum mártyrum tuórum N. et N.
commemoratióne sollémni,
quos ab unitáte córporis Christi nulla tentátio separávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 482/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et in martýribus tuis N. et N. te laudáre mirábilem.

Quos ante constitutiónem mundi
in Christo ad ætérnam tibi glóriam præparásti,
ut per eos homínibus veritátis tuæ lumen osténderes.

Quos ita donásti spíritu sanctitátis,
ut fortitúdinem mortis per infirmitátem carnis evíncerent.

Proptérea his beátis, quos cólimus,
una voce sociámur,
cum cælítibus ómnibus
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 7, 14; 14, 4 482/7

Isti sunt triumphatóres et amíci Dei,
qui contemnéntes iussa príncipum
meruérunt prǽmia ætérna;
modo coronántur et accípiunt palmas.
Isti sunt qui lavérunt stolas suas in sánguine Agni,
et sequúntur Agnum quocúmque íerit.

TRANSITORIUM Cf. Mt 5, 12 482/8

Gaudéte gáudio magno, mártyres Christi;
gaudéte et exsultáte,
quia merces vestra magna est in cælis.

POST COMMUNIONEM 482/9

Cæléсti pane nutrítos
et in Christo unum corpus efféctos,
da nos, quǽsumus, Dómine,
ab eius numquam caritáte disiúngi,
et sanctórum mártyrum tuórum N et N. exémplis,
propter eum qui diléxit nos, ómnia fórtiter superáre.
Per eúndem Christum.

INGRESSA 483/1

Gaudent in cælis ánimæ sanctórum,
qui Christi vestígia sunt secúti;
et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt,
ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

SUPER POPULUM 483/2

Omnípotens Pater,
cuius beatórum mártyrum N. et N.
sanguis effúsus mirabília maniféstat,
pérfice nobis in fragilitáte virtútem,
nostrámque róbora infirmitátem
ad testimónium tui nóminis perhibéndum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 483/3

Isti sunt, qui conféssi sunt nomen Fílii Dei:
ídeo coronántur, et accípiunt palmas.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 483/4

Intercessióne, Dómine, beatórum N. et N.
tuórum mártyrum pretiósa,
da nobis, quǽsumus,
veram in tua fide sincerámque constántiam,
ut, spe lætántes, in Christi maneámus iúgiter caritáte.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 483/5

Hæc hóstia, Dómine,
quam in beatórum N. et N. commemoratióne deférimus,
igne iúgiter corda nostra tui amóris inflámmet,
et ad promíssa perseverántibus prǽmia rite dispónat.
Per Christum.

PRÆFATIO 483/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui iustórum corda fidélium tanto dilectiónis igne succéndit,
ut beatórum instar N. et N., quos cólimus veneránter,
et mundi cadúcam glóriam aspernéntur
et per martýrium ádeant cívium consórtium supernórum.
Quorum innúmeris passiónibus sancta decorátur Ecclésia,
a dextris sempitérnæ tuæ maiestátis assístens,
tot nunc lætánter patrocíniis illustráta,
quot pígnora persequénte mundo transmísit ad cælum.
Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum ómnibus agmínibus angelórum
clamámus in gáudio, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 7, 14 483/7

Isti sunt qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt,
et in sánguine Agni lavérunt stolas suas.
Congregámini, omnes qui timétis Deum,
et vidéte quantam glóriam dedit Dóminus sanctis suis.

TRANSITORIUM 483/8

Isti sunt qui propter sacrum martýrium
facti sunt perfécti et fidéles amíci Christi.
Opórtet nos mundum contémnere,
ut possímus sequi Christum Dóminum,
ne perdámus vitam perpétuam,
propter vanam huius mundi glóriam.

POST COMMUNIONEM 483/9

Tua, Dómine, suméntibus dona cæléstia
de hodiérna festivitáte lætánter,
præsta, quǽsumus,
ut, qui in hoc divíno convívio tui mortem Fílii nuntiámus,
eiúsdem resurrectiónis et glóriæ
cum sanctis martýribus N. et N. mereámur esse partícipes.
Per Christum.

COMMUNE PASTORUM

484 1 PRO PAPA

INGRESSA Cf. Deut 28, 11-12 484/1

Elégit te Dóminus sibi sacerdótem magnum,
et apériens thesáurum suum óptimum
abundáre te fáciet ómnibus bonis.

SUPER POPULUM 484/2

Deus, qui univérsæ curam Ecclésiæ
fámulo tuo N. papæ sédulo commisísti,
gregem tuum diléctum ipsíus semper intercessióne custódi,
ut fide íntegra perfectáque ad pátriam caritáte procédat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 10, 11 484/3

Ego sum pastor bonus:
bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 484/4

Deus, qui beátum N. cuncto pópulo tuo præésse
ac verbo et exémplo profícere voluísti,
eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ
eorúmque greges tua pietáte custódi,
et felíciter dírige in viam salútis ætérnæ.
Per Christum.

SUPER OBLATA 484/5

Beáti N. papæ, Dómine, memóriam recoléntes,
sacrifícium hoc offérimus
unde princípium sumpsit Ecclésia,
ut ipsam in fide et unitátis vínculo
cum summo pastóre confírmes.
Per Christum.

PRÆFATIO 484/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui ter a Petro professiónem expetívit amóris,
ut sui totíus pastor dignus invenirétur ovílis.

Sed et illi dignátus est beátum N. elígere successórem,
ut almæ Romanórum præésset Ecclésiæ,
et, univérso præsidens cœtui caritátis,
omnes fratres in fide ipse stábilis confirmáret.

Unde et nos cum ómnibus ángelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

CONFRACTORIUM Io 15, 16 484/7

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Ez 34, 11. 23-24 484/8

Visitábo oves meas, dicit Dóminus,
et suscitábo pastórem qui pascat eas;
ego autem Dóminus ero eis in Deum.

POST COMMUNIONEM 484/9

Da nos, Dómine, córpore et sánguine tuo refféctos,
constánter sequi ac fidéliter te pastórem,
a quo sanctus póntifex tuus N.
universále ministérium accépit in terris,
et immarcescíbilem est in cælis corónam glóriæ consecútus.
Qui vivis.

INGRESSA 485/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis grátiam sempitérnam,
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 485/2

Beáti N. Ecclésiæ huius pastóris intercessióne præclára,
fidéles tuos, Dómine, cum suo coniúnctos epíscopo
propítius intuére,
tuǽque in illis serva et confírma multifórmia dona salútis,
ut secúndum consílium tuum
plenitúdinem in Christo sanctitátis obtíneant.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 485/3

Sancti tui benedícant tibi.
Glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 485/4

Deus, qui hanc Ecclésiam tuam beáti N. epíscopi
ministério decorásti,
da nobis eius semper pérfrui méritis et doctrína,
ut ipsíus quoque valeámus in cælis esse coróna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 485/5

Súscipe, Dómine, huius pópuli múnera supplicántis
pro sancti pontíficis tui N. commemoratióne deláta,
et maiestáti tuæ nos ipsos pérfice benígnus accéptos.
Per Christum.

PRÆFATIO 485/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Hæc enim tibi fidélis atque grata commúnitas,
quæ memóriam beáti N. mediolanénsis antístitis
cum suo célebrat lætánter epíscopo,
novus est pópulus tuus Spíritus sancti munéribus exornátus.

Per ipsam fílii tui, quos místericors elegísti,
in prædicatióne evangélii congregántur,
suǽque fraternitátis in cena Dómini cópulant caritátem,
signum ómnibus dilectiónis et unitátis effécti.

Unde sincéra te gaudent exsultatióne laudáre,
cum cælítibus ómnibus sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 10, 32 485/7

Qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui est in cælis.

TRANSITORIUM Cf. Is 61, 10; 12, 6 485/8

Coronávit vos Dóminus coróna iustítiæ,
stolam glóriæ suæ circúmdedit vos,
et hábitat in vobis Deus sanctus Israel.

POST COMMUNIONEM 485/9

Accéptum de altári salutáre tuum, Dómine,
nos in sancti N. commemoratióne lætíficet,
qua, de tuis benefíciis sollíciti,
pretiósa fídei nostræ múnera profitémur,
et te in sanctis tuis mirábilem prædicámus.
Per Christum.

INGRESSA Cf. Eccli 47, 10; Prov 31, 20 486/1
Sacérdos iste de toto corde orávit ad Dóminum;
manus suas exténdit ad ínopem,
et palmas suas apéruit páuperi;
et diléxit Deum, qui fecit illum.

SUPER POPULUM 486/2
Deus, qui beátum N., eléctum a te gregis tui pastórem,
miro virtútis et doctrínæ splendóre coruscáre fecísti,
talis epíscopi nobis méritis precibúsque concéde,
ut bonis opéribus lucére coram homínibus
et amóre coram te valeámus ardére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 131, 9 486/3
Sacerdótes tui, Dómine, induántur iustítiam,
et sancti tui exsúltent.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 486/4
Deus, qui Ecclésiæ tuæ
in beáto N. boni pastóris exémplum providére dignátus es,
eius intercessióne concéde propítius,
ut in loco mereámur páscuæ tuæ perpétuo collocári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 486/5
In conspéctu tuo, quǽsumus, Dómine,
tália nostra sint múnera,
quália beátus epíscopus tuus N. tuæ óbtulit maiestáti,
ut et plácita tibi sint
et nos ipsos tibi placére perfíciant.
Per Christum.

PRÆFATIO 486/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse namque bonus pastor univérsi gregis exsístit,
in quo Spíritus sanctus epíscopos ordinávit,
ut illíus sánguine acquisíta regerétur Ecclésia.

Quem príncipem pastórum fámulus tuus N. est fidéliter imitátus,
vere secúndum cor tuum factus forma gregis ex ánimo,
non turpis lucri sed hereditátis tuæ minístér egrégius.

Qui, corónam immarcescíbilem glóriæ consecútus,
tuam per sǽcula maiestátem laudat ómnibus cælítibus sociátus,
quibus et nos adiúngimur læta voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 24, 46-47 486/7

Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus,
invénerit vigilántem;
amen dico vobis:
Super ómnia bona sua constítuet eum.

TRANSITORIUM Cf. Lc 12, 42 486/8

Fidélis servus et prudens,
quem constítuit dóminus super famíliam suam,
ut det illis in témpore trítici mensúram.

POST COMMUNIONEM 486/9

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant caritátis ardórem,
quo beátus N. veheménter accénsus
pro Ecclésia tua se iúgiter impendébat.
Per Christum.

INGRESSA Io 15, 16 487/1

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 487/2

Deus, qui beátum N.
Christo sacerdóti ætérno configuráre dignátus es,
ut ad totum Ecclésiæ corpus ædificándum
suo esset ministério cooperátor assíduus,
da pópulo tuo, ut verbum veritátis in suis pastóribus
signúmque semper tuæ dilectiónis invéniat.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Sam 2, 35a 487/3

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciat,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 487/4

Deus, qui beátum N.,
divína caritáte flagrántem fidéque insígnem,
sanctis gregis tui pastóribus aggregásti,
præsta, quǽsumus, ipso intercedénte,
ut iúgiter iísdem méritis accrescámus,
quátenus eius glóriæ consórtes fíeri mereámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 487/5

Hóstias tibi, Dómine,
pro commemoratióne beáti epíscopi (vel presbýteri)
tui N. offérimus,
supplíciter deprecántes,
ut, sicut illi præbuísti sacræ fídei claritátem,
sic nobis indulgéntiam largiáris et pacem.
Per Christum.

PRÆFATIO 487/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui in confessióne beáti epíscopi (vel presbýteri) tui N.
glorificáris exímie,
et non solum excellentióribus præmiis mérita gloriósa proséqueris,
sed, sacrum ministérium competéntibus servítiis exsecútum,
gáudium Dómini sui tribuísti benígnus intráre,
ut, qui in módico vitæ præséntis excúrsu fidélis appáruit,
supra multa bona útique semper
in mansúra beatitúdine ponerétur.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20 487/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Mc 10, 45 487/8

Fílius hóminis venit,
ut daret ánimam suam
redemptiónem pro multis.

POST COMMUNIONEM 487/9

Sacra nos, Dómine, refectióne nutríti,
fac ut, exémpla beáti N. iúgiter exsequéntes,
te pérpeti devotióne colámus,
et indeféssa proficiámus ómnibus caritáte.
Per Christum.

INGRESSA Io 15, 16 488/1

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 488/2

Deus, qui beátum N. presbýterum voluísti Fílii tui,
summi æteriníque sacerdótis, imágini conformáre,
ut famíliam tuam in fratérnum animórum consórtium
a sancto totam Spíritu congregáret,
in nobis eius méritis agnitiónem íntimam éxcita verbi tui,
eiusdémque fídei stúdium indeféssum.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Sam 2, 35a 488/3

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciat,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 488/4

Deus, qui ad serviéndum Unigénito tuo beátum N. presbýterum,
in ópere evangélico studiósum
rectorémque sapiéntem in eius Ecclésia suscitásti,
huius corda plebis résera ad salútis dona excipiénda felíciter,
quæ per sacerdótum ministérium infiníta bonitáte
tribúere non desístis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 488/5

Pro sacrifício novi fœderis dignáre, Pater, dona suscípere,
et précibus beáti N. presbýteri,
qui illud fervénti corde pro tua Ecclésia celebrávit,
fac nos oblatiónis Christi partícipes,
qui hóstia redemptiónis nostræ éxstitit illibáta.
Qui vivit.

PRÆFATIO 488/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
beáti presbýteri tui N. gloriósam memóriam recenséntes.

Quem in Ecclésia tua sapiénti consílio consecráre voluísti,
ut ad illíus velut córporis Christi increméntum spiritále
curam impénderet diutúrnam.

Evangélium enim salútis fíliis tuis fidéliter prædicávit,
eósque pavit cæléstia mystéria celebrándo,
ut in communióne veræ fídei atque sincéræ ópere caritátis
mundo pópulum tuum vocátum ad grátiam reveláret.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 28, 20 488/7

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 10, 10 488/8

Ego veni ut vitam hábeant
et abundántius hábeant,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 488/9

Sumptis mystériis in celebratióne beáti N.,
qui minístser Christi
mensæ panis vitæ prǽfuit in tuórum cœtibus filiórum,
da nobis, Pater, robur et perseverántiam,
ut vígiles orantésque advéntum Dómini præstolémur,
et cum illo ab insídiis mundi ad convívium ingrediámur ætérnum.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Is 52, 7 489/1

Quam pulchri super montes
pedes annuntiántis, prædicántis pacem,
annuntiántis bonum, prædicántis salútem!

SUPER POPULUM 489/2

Deus, qui beátum N. ad opus evangélii segregásti,
ut Christi mystérium in virtúte Spíritus sancti
géntibus reveláret,
da nobis vocatióni tuæ diébus ómnibus fírmiter adhærére.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 95, 3-4a 489/3

Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius.
Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 489/4

Deus, qui per beátum N. infidéles pópulos
de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti,
da nobis eius intercessióne in fídei stabilitáte consístere,
et in spe evangélii, quod prædicávit, permanére constántes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 489/5

Réspice quas offérimus hóstias, omnípotens Deus,
in beáti N. festivitáte lætántes,
et præsta, ut, qui celebrámus passiónis domínicæ sacraménta,
fidéli perseverántia imitémur quod ágimus.
Per Christum.

PRÆFATIO 489/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Ecclésiam suam salútis cóndidit sacraméntum,
et apóstolos misit, ut creatúris ómnibus evangélium prædicárent.
cunctósque fácerent pópulos doctrínæ ipsíus alúmnos.

Horum autem beátus N. est exémpla secútus ardénter,
per quem Ecclésia facta est homínibus ac géntibus manifésta,
et ad participándum eiúsdem Christi vitále mystérium
líberam illis viam firmámque procúrat.

Proptérea beáto huic, quem cólimus,
una laudis voce sociámur,
et angelórum sanctorúmque choris,
quíbuscum ille te frúitur,
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 15, 4a-5b 489/7

Manéte in me, et ego in vobis, dicit Dóminus.
Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum.

TRANSITORIUM Io 15, 16 489/8

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat.

POST COMMUNIONEM 489/9

Fámulos tuos, Dómine, in fide veritátis
huius mystérii virtúte confírma,
ut illam ore et ópere confiteántur ubíque,
pro qua beátus N. laboráre non déstitit
vitámque suam amánter impéndit.
Per Christum.

INGRESSA Mc 16, 15; Mt 28, 29b 490/1

Eúntes in mundum univérsum
prædicáte evangélium:
ego vobíscum sum ómnibus diébus,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 490/2

Deus, cuius ineffábili misericórdia
beátus N. investigábiles Christi divítias prædicávit,
eius nobis intercessióne da créscere in sciéntia tua
et in omni ópere fructificáre salútis,
ut secúndum evangélii veritátem
coram te fidéliter ambulémus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 490/3

Isti sunt viri sancti facti amíci Dei,
divínæ veritátis præcónio gloriósi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 490/4

Dómine Deus, qui Fílium tuum paupéribus evangelizáre misísti,
Ecclésiæ tuæ beáti N. intercessióne concéde,
ut viam servítii et immolatiónis sequátur,
qua Magíster incéssit.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 490/5

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et ab omni nos culpa líberos esse concéde,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 490/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui numquam suos desístit vocáre discípulos,
ut ad natiónes mittat evangélii luce salvándas.

Unde et beátus N., in idem opus a Spíritu segregátus,
fide et obœdiéntia ad eos qui longe erant confidénter exívit,
ómnibus ómnia factus tamquam verbi miníster Altíssimi,
ut ante te gentes oblátio sancta fíerent et accépta.

Et ídeo ipsi cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Eph 3, 8 490/7

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc:
géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi.

TRANSITORIUM Io 10, 16 490/8

Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli,
et illas opórtet me addúcere,
et vocem meam áudient
et fient unus grex, unus pastor.

POST COMMUNIONEM 490/9

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
illam nobis fidem incessánter innútriant,
quam et apostólica prædicátio demonstrávit
et beáti N. sollicitúdo sédula custodívit.
Per Christum.

INGRESSA Ier 3, 15 491/1

Dabo vobis pastóres iuxta cor meum,
et pascent vos sciéntia et doctrína,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 491/2

Deus, fidélium lumen et pastor animárum,
qui beátos N. et N. in Ecclésia posuísti,
ut oves tuas verbo páscerent et opéribus informárent,
da nobis eórum intercessióne
et fidem serváre, quam sermónibus docuérunt,
et viam sequi, quam monstravérunt exémplis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Dan 3, 84. 87 491/3

Sacerdótes Dei, benedícite Dómino;
sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 491/4

Deus, qui beátos N. et N.
ad pascéndum pópulum tuum
spíritu veritátis et dilectiónis implésti,
præsta, ut, quorum festivitátem ágimus venerándo,
eórum imitatióne proficiámus,
et intercessiónibus sublevémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 491/5

Annue nobis, Dómine, ut in festivitáte beatórum N. et N.
hæc nobis prosit oblátio,
cuius immolatióne totíus mundi tribuísti delícta resólvi.
Per Christum.

PRÆFATIO 491/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sic illíus grátia tríbuis Ecclésiam tuam
sanctórum pastórum N. et N. festivitáte gaudére,
ut eam piæ corróbores conversatiónis exémplo,
verbo prædicatiónis erúdias,
gratáque tibi supplicatióne tueáris.

Proptérea his beátis, quos cólimus,
una voce sociámur,
cum cælítibus ómnibus
maiestáti tuæ cánticum adoratiónis lætitiǽque dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 20, 28 491/7

Fílius hóminis non venit ministrári sed ministráre
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

TRANSITORIUM Io 10, 10 491/8

Ego veni, ut vitam hábeant
et abundántius hábeant,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 491/9

Mensa cæléstis, Dómine,
festivitátem beatórum N. et N. celebrántibus
supérnas vires firmet et áugeat,
ut et fídei donum valeámus íntegrum custodíre
et per osténsum salútis trámitem ambulémus.
Per Christum.

COMMUNE DOCTORUM ECCLESIÆ

492 1

INGRESSA Eccli 15, 5 492/1

In médio Ecclésiæ apériet os eius
et adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus
et stola glóriæ véstiet illum.

SUPER POPULUM 492/2

Deus, qui lucem de ténebris iussísti
sapiénti dispositióne splendéscere,
beáto N. intercedénte,
ipse tu lux in córdibus nostris semper esse dignáre,
illiúsque doctrína da, ut ad claritátis tuæ sciéntiam provehámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Dan 12, 3 492/3

Qui docti fúerint,
fulgébunt quasi splendor firmaménti,
et qui ad iustítiam erudíerint multos,
quasi stellæ in perpétuas æternitátes.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 492/4

Omnípotens ætérne Deus,
qui beátum N. Ecclésiæ tuæ doctórem egrégium tradidísti,
præsta, ut, quod ille tuo Spíritu afflátus edócuit,
nostris iúgiter stabiliátur in córdibus,
et, quem patrónum, te donánte, compléctimur,
eum habeámus apud tuam misericórdiam defensórem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 492/5

Qui mystéria, quǽsumus, Dómine, divína tractámus,
illo nos Spíritus sanctus fídei splendóre perfúndat,
quo beátum N. ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 492/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui sal terræ mundíque lucem suam pronuntiávit Ecclésiam,
civitátem supra montis vérticem constitútam,
quæ nequíret abscóndita permanére.

Unde et beátus N. sancti eius Spíritus est munéribus illustrátus,
ut lámpadem suam fúlgidam
super candelábrum póneret et ardéntem,
qua, Pater, omnes cum lætítia frueréntur,
tuámque magnam glóriam prædicárent.

Quam et nos optámus verbo et ópere tibi ferre,
sed et nunc choris adiúncti cæléstibus decantámus,
hymnum laudis maiestáti tuæ sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Eccli 44, 15 492/7

Sapiéntiam ipsíus narrent pópuli,
et laudem eius núntiet Ecclésia.

TRANSITORIUM Io 8, 12b 492/8

Qui séquitur me non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 492/9

Deus, qui ad remédia contra hóminum venéna præstánda
sanctum N. doctórem próvidum comparásti,
concéde, ut, qui prædicatiónis verbo
pro ecclesiástica veritáte dimicávit in terris,
in cælis pro eádem conservánda
tuam exóret iúgiter maiestátem.
Per Christum.

493 2

INGRESSA Col 1, 26-27 493/1

Mystérium, quod abscónditum fuit
a sǽculis et generatiónibus,
nunc autem manifestátum est sanctis eius,
quibus vóluit Deus notas fácere
divítias glóriæ mystérii huius in géntibus.

SUPER POPULUM 493/2

Ecclésiæ tuæ, Dómine,
méritis beáti N. et interventióne concéde,
ut, eius roboráta doctrínis,
verbi tui semper divítiis augeátur,
et ad plenitúdinem felíciter tuæ pervéniat veritátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 36, 30-31a 493/3

Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
lex Dei eius in corde ipsíus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 493/4

Deus, qui Ecclésiam, Fílii tui sponsam,
pretiósis beáti N. eruditiónis ornaméntis
tibi gratíssimam reddidísti,
præsta, quǽsumus,
ut, eiúsdem instrúcti salutáribus documéntis,
nos quoque fámuli tui tibi iúgiter placeámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 493/5

Sacrifícium tibi pláceat, Deus Pater omnípotens,
in festivitáte beáti N. libénter exhíbitum,
quo monénte, nos étiam totos tibi réddimus collaudántes.
Per Christum.

PRÆFATIO 493/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui beátum N. ineffábili tua providéntia destinásti,
ut géntium mentes evangélicæ doctrínæ rádiis illustráret,
et, redáctis inimicórum zizániis in favíllam,
nítidum cathólici dógmatis ac salúbre fruméntum
in hórreum Ecclésiæ congregáret.

Hæc tua, Dómine, est potéstas et grátia singuláris,
quam cæli et terra,
quam ángeli et archángeli confiténtur,
quam omnes sancti proclámant,
incessábili voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 35, 10 493/7

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

TRANSITORIUM Io 8, 12b 493/8

Qui séquitur me, non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 493/9

Quos ad mensam tuam, Dómine,
dignánter fecísti sedére convívas,
beátus N., quǽsumus, suis méritis ádiuvet ac doctrínis,
ut epulárum verbi tui panísque vitæ consequámur efféctus.
Per Christum.

INGRESSA Eph 4, 11. 12b 494/1
Dóminus ipse dedit quosdam quidem apóstolos,
quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas,
álios autem pastóres et doctóres,
in ædificatiónem córporis Christi.

SUPER POPULUM 494/2
Deus, qui ex ore beáti N. veritátis rivos
ad irrigánda pópuli tui péctora deduxísti,
concéde propítius,
ut, sancti Spíritus infusióne permóti,
te solum fontem sapiéntiæ sitiámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Sap 17, 1 494/3
Magna sunt iudícia tua, Dómine,
et inenarrabília verba tua.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 494/4
Dómine Deus, qui beátum N.
cæléſti dignátus es illumináre doctrína,
da nobis ipsíus intervéntu
eándem fidéliter custodíre,
et ad Ecclésiæ tuæ ædificatiónem
móribus profitéri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 494/5
Ut plenum tibi, Dómine,
acceptúmque sacrifícium præbeámus,
da nobis exémplis beáti N. et eruditióne muníri,
ut, propter Christi tui sciéntiam eminéntem,
ómnia detriméntum cum lætítia computémus.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 494/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verba sua semen fecit quod crésceret,
et fructum fidélibus afférret ubérrimum.

Unde et beátus N., in illis die ac nocte meditátus,
méruit multa exínde sibi cápere virtútis auxília,
et fecúnda Ecclésiæ trádere documénta salútis,
veritátis factus divinárum rerum exercitatióne magíster.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 14, 26 494/7

Paráclitus Spíritus sanctus,
quem mittet Pater in nómine meo,
ille vos docébit ómnia
et súggeret vobis ómnia, quæ dixi vobis.

TRANSITORIUM Mt 11, 25 494/8

Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus
et revelásti ea párvulis.

POST COMMUNIONEM 494/9

Qui Fílius tuus, Dómine, nos réficit panis vivus,
ipse nos divínus unúsque Magíster edóceat,
qui beáti N. mónitis incitámur,
ut veritátem discámus et fervóre caritátis operémur.
Per Christum.

COMMUNE VIRGINUM

495 1

Pro virgine et martyre cf. commune martyrum n. 5, p. 828.

496 2

INGRESSA 496/1

Ipsi sum sponsáta, cui ángeli sérviunt,
cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur;
ipsi soli servo fidem,
ipsi me tota devotióne commítto.

SUPER POPULUM 496/2

Deus, qui beátæ N.
dedísti verbum virginitátis cápere prosequéndæ,
da nobis eius précibus aures,
ut Christum audiámus in ómnibus,
virésque ut eum super ómnia diligámus.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 118, 121. 122. 128 496/3

Feci iudícium et iustítiam, Dómine;
non calumniéntur me supérbi.
Ad ómnia mandáta tua dirigébar,
omnem viam mendácii ódio hábui.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 496/4

Deus, quem mundi corde intuéntur ac díligunt,
pone, quǽsumus, in nobis tuam dulcédinis mansiónem
luménque tuum in nobis,
sicut iam in sancta vírgine N.
da iúgiter habitáre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 496/5

In beáta vírgine N. te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

PRÆFATIO 496/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui cordis beátæ N. vírginis tuæ pulsávit ad óstium,
et exspectatíssimus hospes est ab ea lætánter accéptus,
dilectúsque sponsus cui fide stábili iungerétur.

Sic enim, Pater, vírgines tuæ prudéntes
parátas semper habent lámpades et accénsas,
et sédula iúgiter devotióne ad Christum evígilant,
quem díligunt veheménter.

Hunc in cælis delectabíliter chori vírginum comitántur,
quem páriter et te Spiritúmque Paráclitum
omnis cœtus célebrat angelórum,
quibus cum gáudio sociámur, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 44, 10. 14. 16 496/7

Lætáre virgo, sponsa Christi,
stans a dextris eius in vestítu deauráto,
circumamícta iucunditáte.

TRANSITORIUM Cf. Mt 25, 4. 6 496/8

Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum
in vasis cum lampádibus suis.
Média nocte clamor factus est:
Ecce sponsus, exíte óbviam Christo Dómino.

POST COMMUNIONEM 496/9

Sumpta mystéria, quǽsumus, Dómine,
in hac festivitáte beátæ vírginis N.
íncitent nos iúgiter et illústrent,
ut digne tui advéntum Fílii præstolémur,
et ad supérnas eius núptias admittámur.
Qui vivit.

INGRESSA 497/1

Ecce prudens virgo migrávit ad Christum,
fulgens inter choros vírginum
sicut sol in virtúte cælésti.

SUPER POPULUM 497/2a

Da nobis, quǽsumus, Dómine, beátæ vírginis N.
ita spectábilem prósequi puritátem,
ut et corpus nostrum Spíritus sancti templum esse mereátur
et holocáustum in corde mundo cotídie tibi fiat accéptum.
Per Dóminum.

vel, pro virgine fundatrice: 497/2b

Ignem in córdibus nostris, Dómine, tuæ súscita caritátis,
quo beáta virgo N. sponsa tibi fidélis, veheménter exársit,
virginésque vóluit sui sequáces
sine intermissióne flagráre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 26, 8 497/3

De te dixit cor meum: Exquírite fáciem meam!
Fáciem tuam, Dómine, requíram.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 497/4

Deus, qui in mundis dicis córdibus te manére,
beátæ nobis vírginis tuæ N. intercessióne concéde,
ut tales tua grátia semper simus,
in quibus propénsius habitáre dignéris.
Per Christum.

SUPER OBLATA 497/5

Súscipe, Dómine, humilitátis obséquium,
quod tibi in commemoratióne beátæ N. vírginis exhibémus,
et eius interventu, quæ tibi sincéra mentis integritáte desérviit,
da nos per immaculátam hóstiam
semper in conspéctu tuo illibátos móribus apparére.
Per Christum.

PRÆFATIO 497/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Tu enim in nostrórum fragilitáte diérum édoces ne morémur,
ac breve mones témporis spátium
ad regnum próximum nos urgére.

Et ídeo beáta virgo tua N.
Christi verbis et resurrectióni crédidit confidénter,
totámque se perpétuo læta commísit,
ut tuæ perhibéret testimónium caritáti.

Quæ, cum se Christo indivísa dilectióne dedísset,
a te inæstimábile est gáudium consecúta,
ut illi própria iúgiter unirétur.

De eius ígitur donis ac méritis gratulántes,
débitas tibi laudes cum sanctis et ángelis exhibémus,
maiestáti tuæ cánticum sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 497/7

Benedícite, vírgines, Dóminum:
iam seminátor casti consílii
in vobis dona sua corónat.

TRANSITORIUM 497/8

Regna mundi et omnem ornátum sǽculi contémpsi
propter amórem Dómini Iesu Christi.
Quem vidi, quem amávi,
in quo crédidi, quem diléxi.

POST COMMUNIONEM 497/9

Córporis et sánguinis Unigéniti tui sacra percéptio
ab ómnibus nos, Dómine, cadúcis rebus avértat,
ut exémplo beátæ N. valeámus
tui sincéra in terris caritáte profícere,
et perpétua in cælis contemplatióne gaudére.
Per Christum.

COMMUNE SANCTORUM ET SANCTARUM

Missæ quæ sequuntur, si pro determinato sanctorum ordine inscribuntur, pro eius ordinis sanctis adhibentur; quæ vero nulla inscriptione signantur, pro omnibus sanctorum ordinibus adhiberi possunt.

498 1 PRO UNO SANCTO VIRO

INGRESSA Cf. Ps 145, 6-7 498/1

Vir iste custodívit in sǽculum veritátem Dómini;
fecit iudícium iniúriam patiéntibus,
et escam dedit esuriéntibus.

SUPER POPULUM 498/2

Deus, qui Ecclésiæ unitátem in Spíritu
per fratérnæ róboras exercítium caritátis,
concéde, ut Christo ártius nos coniúngant
et cum beáto N. consórtium
et inter viatóres christiána commúnio.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 91, 13-14 498/3

Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani succréscet.
Plantátus in domo Dómini,
in átriis Dei nostri florébit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 498/4

Deus, qui beáti N. festivitáte
locum ádmones nobis in tua mansióne parátum,
abundántiam nobis tui Spíritus largíre propítius,
ut in huius fragilitáte peregrinatiónis
cupiámus esse cum Christo.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 498/5

Hóstias ad altáre tuum offeréntibus, Dómine,
illum da nobis pietátis affféctum,
quem beáto N. lárgiter infudísti,
ut salútis mystériis puris méntibus attendámus,
et sacrifícium tibi plácitum nobísque profícuum celebrémus.
Per Christum.

PRÆFATIO 498/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam tuam nova semper virtúte fecúndas,
nobísque certíssima præbes tuæ dilectiónis indícia.

Sed étiam, ad mystéria salútis impléndа,
et ipsórum insígni incitámur exémplo
et pia intercessióne perpétuo commendámur.

Ideo beáti étiam N. memóriam cum exsultatióne recólimus,
fámuli tibi fervóre devotiónis addícti,
nunc autem tua glória in æternitáte lætántis.

Quin et ipsi cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

vel, pro viro coniugato: 498/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam ineffabíliter diléxit Ecclésiam,
et usque ad mortem pro illa trádidit semetípsum.

Sed et donávit huic divíno quo nos redémit amóri,
ut amor exínde nuptiális inítia nova súmeret et exémplum.

Quam domésticam vocatiónem beátus N. libénter accípiens,
ita sibi fide et caritáte cénsuit prosequéndam,
ut et ipse vitæ perfectióni festinánter inténderet
et plúrimis in via salútis dux esset exémplo.

Unde nunc te suórum donórum largitóre perfrúitur,
teque cum cælítibus ómnibus sine fine colláudat,
quibus et nos in lætítia coniúngimur concinéntes:

CONFRACTORIUM Mt 25, 20. 21 498/7

Dómine, quinque talénta tradidísti mihi;
ecce ália quinque superlucrátus sum.
Euge, serve bone et fidélis.
Super pauca fuísti fidélis;
supra multa te constítuam:
intra in gáudium dómini tui.

TRANSITORIUM Ps 67, 4 498/8

Iusti læténtur et exsúltent in conspéctu Dei
et delecténtur in lætítia.

POST COMMUNIONEM 498/9

Da nobis, Dómine, interveniénte beáto N.
húmilem in tua virtúte fidúciam,
ut Iesu Christi, qui mundum vicit,
sánguine redémpti atque potáti,
mundum ipsi sine offensióne vincámus.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Ps 36, 24. 26 499/1

Iustus non conturbábitur,
quia Dóminus firmat manum eius.
Tota die miserétur et cómmodat;
et semen eius in benedictióne erit in ætérnum,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 499/2

Deus qui beátum N. ab adoptiónis dignitáte
ad ætérnam hereditátem glóriæ sublimásti,
da, ut, in Ecclésia Christo coniúncti
sanctíque Spíritus virtúte signáti,
vere fílii tui per grátiam nominémur et simus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 144, 10b-11 499/3

Sancti tui benedícant tibi, Dómine.
Glóriam regni tui dicant
et poténtiam tuam loquántur.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 499/4

Omnípotens ætérne Deus,
qui glorificatióne sanctórum
nova dilectiónis tuæ nobis arguménta largíris,
concéde propítius,
ut, ad Unigénitum tuum fidéliter imitándum,
et ipsórum intercessióne commendémur
et incitémur exémplo.
Per Christum.

SUPER OBLATA 499/5

Súscipe, Dómine, hoc sacrifícium pópuli tui
placatúsque sanctífica,
ut, quod in memória beáti N. tuam offértur ad glóriam,
nobis peregrinántibus prosit ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 499/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Tuæ namque providéntiæ hoc nobis dispositióne præstátur,
ut, cum hómines ad imáginem Christi tui
perféctius pérhibes efformátos,
præséntiam in eis vultúmque tuum nobis vivídius maniféstes.

Unde, conversatiónem beáti N. tam conspícuam contuéntes,
novis incitaméntis ad futúram civitátem
a te tráhimur inquiréndam,
certúmque simul iter aspícimus,
quo Christo felicíssime copulémur.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 12, 26 499/7

Si quis mihi minístrat, me sequátur,
et ubi sum ego, illic et minister meus erit,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Mt 5, 8-9 499/8

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

POST COMMUNIONEM 499/9

Quæ divína, Dómine,
in commemoratióne beáti N. súmpsimus sacraménta,
mentes ita et corda nostra sanctíficent,
ut, divínæ consórtes natúræ,
dignis móribus conversémur.
Per Christum.

3 PRO RELIGIOSIS

INGRESSA Cf. Ps 23, 5-6 500/1

Isti sunt sancti,
qui accepérunt benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo,
quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

SUPER POPULUM 500/2a

Deus, cuius múnere beátus N.
Christum páuperem et obœdiéntem
est humíliter prosecútus,
ipso nobis intercedénte, concéde,
ut, in vocatióne nostra fidéliter ambulántes,
ad eam perfectiónem,
quam in Fílio tuo proposuísti,
perveníre valeámus.
Per eúndem Dóminum.

vel, pro abbate: 500/2b

Da nobis, Dómine, inter mundi huius varietátes
te solum constánter inquírere
et toto corde rebus cæléstibus adhærére,
qui per beátum N. abbátem
evangélicæ nobis perfectiónis documénta donásti.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 15, 5-6 500/3

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam.
Funes cecidérunt mihi in præcláris;
ínsuper et heréditas mea speciósa est mihi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 500/4

Deus, qui in fámulo tuo N.
baptísmatis grátiam tanta voluísti vigére virtúte,
ut evangélicam sectans iúgiter perfectiónem
sanctitátem adaugéret Ecclésiæ,
concéde nobis,
ut Fílii tui sequi préssius vestígia contendámus.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 500/5

Accépta tibi sint, quǽsumus, Dómine,
nostræ múnera servitútis
pro beáti N. commemoratióne propósita,
ut, impediméntis absolúti curísque terrénis,
te solo efficiámur dívites ac beáti.
Per Christum.

PRÆFATIO 500/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.
Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.
Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.
Et ídeo cum illis et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 19, 27-29 500/7

Amen dico vobis
quod vos, qui reliquístis ómnia
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis
et vitam ætérnam possidébitis,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. 1 Io 4, 16. 7 500/8

Credídimus caritáti,
quam habet Deus in nobis.
Qui manet in caritáte,
in Deo manet
et Deus in eo manet.
Diligámus ínvicem,
quóniam cáritas ex Deo est.

POST COMMUNIONEM 500/9

Virtúte, Dómine, huius quǽsumus sacraménti,
ut per beáti N. trámitem
nos iúgiter in tua dilectióne dedúcas,
et in nobis usque in diem Christi
opus bonum perfícias, quod cœpísti.
Per eúndem Christum.

INGRESSA Cf. Ps 23, 5-6 501/1

Isti sunt sancti,
qui accepérunt benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo,
quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

SUPER POPULUM 501/2

Deus, qui beátum N. ad tuum regnum vocásti,
perféctæ in hoc sæculo caritátis prosecutióne quæréndum,
concéde, ut eius intercessióne muníti
in dilectiónis via spíritu gaudéntes prógredi mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 33, 9 501/3

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 501/4

Pater sancte, qui beátum N. excitásti,
ut conversatióne sua regni tui signum valéret osténdere,
fidéles omnes ad excelléntiam caritátis invitáre ne désinas,
quam Ecclésiæ fecísti mundóque perspícuam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 501/5

Clementíssime Deus,
qui, vétere hómine consúmpto,
novum secúndum te in beáto N. creáre dignátus es,
concéde propítius,
ut nos páriter renováti
hanc tibi placatiónis hóstiam offerámus accéptam.
Per Christum.

PRÆFATIO 501/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

In sanctis enim, qui se fidéliter dedicárunt
Christo propter regnum cælórum in abnegatióne quæréndo,
tuam decet providéntiam celebráre mirábilem,
qua humánam terrenámque substántiam
et ad primæ oríginis révocas sanctitátem
et ad experiénda dona magnífica,
quæ in novo sæculo sunt habénda, perdúcis.

Quare fámulum quoque tuum N. laudábilem prædicámus,
qui, hac angústa sed régia via progréssus alácriter,
in cælórum amœnitáte nunc te frúitur coronátus.

Et ídeo cum illo et cunctis ángelis sanctísque consórtibus
tuam in exsultatióne glóriam celebrámus,
tibíque laudis cánticum intonámus, una voce clamántes:

CONFRACTORIUM Mt 5, 3. 7 501/7

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
Beáti misericórdes,
quia ipsi misericórdiam consequéntur.

TRANSITORIUM Lc 12, 35-36 501/8

Sint lumbi vestri præcíncti
et lucérnæ ardéntes,
et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum,
quando revertátur a núptiis,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 501/9

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti virtúte munímur,
exémplo beáti N.
discámus te super ómnia semper inquírere,
et novi hóminis formam in hoc sǽculo portáre perféctam.
Per Christum.

502 5 PRO SANCTO QUI OPERA MISERICORDIÆ EXERCUIT

INGRESSA Mt 25, 34. 36. 40 502/1

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus:
nudus eram, et operuístis me;
infírmus, et visitástis me.
Amen dico vobis: Quámdiu fecístis
uni de his frátribus meis mínimis,
mihi fecístis.

SUPER POPULUM 502/2

Deus, qui nos in tui proximíque dilectióne
cuncta servári mandáta docuísti,
da nobis, ut, beáti N. exémplo
caritátis ópera iúgiter exercéntes,
inter benedíctos regni tui extrémo iudício numerémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 106, 21-22a 502/3

Confiteántur Dómino propter misericórdiam eius
et mirabília eius in fílios hóminum,
et sacríficent sacrifícium laudis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 502/4

Deus, cuius misericórdiam Fílius tuus
máxime nobis trádidit imitándam,
da, quǽsumus,
ut profúsa quæ nobis parásti prǽmia comparémus,
quibus et beáti tui N. dignátus es coronáre iustítiam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 502/5

Súscipe, Dómine, múnera pópuli tui,
et concéde placátus,
ut, qui Fílii tui opus imménsæ recólimus caritátis,
sancti N. exémplo in tui et próximi dilectióne firmémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 502/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Tu enim solem facis super bonos malósque
unı́us cópia bonitátis oríri,
tu super iustos et iniústos patérna plúviam æquitáte demíttis.

Tuque, Dómine, sancto tuo N. magna prǽmia reddidísti,
cum illum tibi fécerit confórmem cáritas indeféssa.

In regnum namque tuum ipsi iánuam reserásti,
quod est ante mundi constitutiónem illis fámulis præparátum,
qui Christum in paupéribus parvulísque vidérunt.

Cum hoc ígitur fámulo tuo coniúngimur,
quem hódie celebrámus,
et cum ómnibus angelórum sanctorúmque sociámur agmínibus,
ut glóriam tibi canámus, festíva exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 13 502/7

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 2 502/8

Ambulémus in dilectióne,
sicut et Christus diléxit nos
et trádidit seípsum pro nobis
oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

POST COMMUNIONEM 502/9

Sacris mystériis reféctos,
da nos, quǽsumus, Dómine, beáti N. exémpla sectári,
qui te pietáte cóluit incorrúpta,
et pópulo tuo imménsa prófuit caritáte.
Per Christum.

503 6 PRO SANCTO EDUCATORE

INGRESSA Mc 10, 14 503/1

Sínite párvulos veníre ad me.
Ne prohibuéritis eos;
tálium est enim regnum Dei,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 503/2

Deus, qui fídei thesáurum in agro cordis nostri
ut fructum fáceret posuísti,
da nobis beáti N. exémplo
pénitus sentíre quid frátribus debeámus,
qui vitæ trámitem nobíscum, te disponénte, percúrrunt.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Dan 12, 3 503/3

Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti,
et qui ad iustítiam erudíerint multos,
quasi stellæ in perpétuas æternitátes.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 503/4

Deus, qui in Ecclésia tua beátum N. suscitásti,
ut viam próximis salútis osténderet,
da nobis eius exémplo
Christum tam sincéra magístrum fidelitáte sectári,
ut ad te cum frátribus nostris perveníre valeámus.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 503/5

Accépta tibi sit, quǽsumus, Dómine,
in fámuli tui N. memória sacrátæ plebis oblátio,
et præsta, ut ex huius participatióne mystérii
tuæ referámus caritátis exémpla.
Per Christum.

PRÆFATIO 503/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam potíssimum dilectiónem in párvulos demonstrávit,
eorúmque pronuntiávit regnum esse cælórum.

Quin et hanc amóris diligéntiam ipse iubes in Ecclésia permanére,
unde et tríbuis dona paréntibus,
ut fílios suavitáte cordis instítuant,
cunctísque magnum illíus vitæ prétium maniféstas,
quæ ad iunióres datur Christo matúrius conformándos.

Quaprópter in beáti N. memória te mérito celebrámus,
et una cum cælésti cúria
tuam poténtiam confitémur et glóriam,
hymnum exaltatiónis tibi et gáudii concinéntes:

CONFRACTORIUM Mt 18, 3 503/7

Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli,
non intrábitis in regnum cælórum, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 8, 12b 503/8

Qui séquitur me, non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 503/9

Tríbuat nobis, omnípotens Deus,
reféctio sancta subsídium,
ut, exémplo sancti tui N. veheménter admóti,
et fraternitátis dilectiónem et lumen veritátis
corde perhibeámus et ópere.
Per Christum.

7 PRO UNA SANCTA MULIERE

INGRESSA Ps 51, 10-11b 504/1

Ego sicut virens olíva in domo Dei.
Sperávi in misericórdia Dei
in ætérnum et in sǽculum sǽculi.
Expectábo nomen tuum,
quóniam bonum est,
in conspéctu sanctórum tuórum.

SUPER POPULUM 504/2

**Deus, qui adoptiónis tuæ dona beátæ N. muníficus tribuísti,
eámque válidum fecísti Ecclésiæ tuæ virtútis esse munímen,
in abscóndito cordis nostri, quǽsumus,
spíritum pone modéstum et ante tuos óculos locuplétem.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Sal 118, 48. 112 504/3

Levábo manus meas ad præcépta tua, quæ diléxi;
et exercébor in iustificatiónibus tuis.
Inclinávi cor meum ad faciéndas iustificatiónes tuas
in ætérnum, in finem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 504/4

**Spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ
super nos, Pater, effúnde,
quo beátam N. tuam fámulam replevísti,
ut, sédula eius imitatióne tibi humíliter obsequéntes,
fide tibi semper et ópere placeámus.
Per Christum.**

SUPER OBLATA 504/5

**Hóstias, Dómine, tuæ plebis inténde,
et, quas in festivitáte sanctæ tuæ N.
mente célebrat reverénti,
profícere sibi séntiat ad salútem.
Per Christum.**

PRÆFATIO 504/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam tuam nova semper virtúte fecúndas,
nobísque certíssima præbes tuæ dilectiónis indícia.

Sed étiam, ad mystéria salútis impléndа,
et ipsórum insígni incitámur exémplo
et pia intercessióne perpétuo commendámur.

Ideo beátæ étiam N. memóriam cum exsultatióne recólimus,
fámulæ tibi fervóre devotiónis addíctæ,
nunc autem tua glória in æternitáte lætántis.

Quin et ipsi cunctísque cœtibus beatórum,
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

vel, pro muliere coniugata: 504/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui suam ineffabíliter diléxit Ecclésiam,
et usque ad mortem pro illa trádidit semetípsum.

Sed et donávit huic divíno quo nos redémit amóri,
ut amor exínde nuptiális inítia nova súmeret et exémplum.

Quam domésticam vocatiónem beáta N. libénter accípiens,
ita sibi fide et caritáte cénsuit prosequéndam,
ut et ipsa vitæ perfectióni festinánter inténderet
et plúrimis in via salútis dux esset exémplo.

Unde nunc te suórum donórum largitóre perfrúitur,
teque cum cælítibus ómnibus sine fine colláudat,
quibus et nos in lætítia coniúngimur, concinéntes:

CONFRACTORIUM Lc 11, 28 504/7

Beáti qui áudiunt verbum Dei
et custódiunt!

TRANSITORIUM 1 Io 3, 24 504/8

Qui servat mandáta Iesu,
in ipso manet et ipse in eo;
et in hoc cognóscimus quóniam manet in nobis,
ex Spíritu, quem nobis dedit.

POST COMMUNIONEM 504/9

Quos et hódie, Dómine,
in domum tuam ad convívium invitásti,
da, ut hæc in memória beátæ N. participátio sacraménti
nos fáciat in caritáte frátribus propióres.
Per Christum.

8 PRO UNA SANCTA MULIERE

INGRESSA Eccli 26, 19-22 505/1

Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta;
omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ.
Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei,
sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus eius.
Lucérna splendens super candelábrum sanctum,
et spécies faciéi super statúram stábilem.

SUPER POPULUM 505/2a

Deus, humílium celsitúdo,
qui beátam N.
patiéntiæ decóre disposuísti et caritátis excéllere,
eius méritis et intercessióne concéde,
ut, crucem nostram iúgiter perferéntes,
te semper dilígere contendámus.
Per Dóminum.

vel, pro viduis: 505/2b

Deus, qui víduis quoque et desolátis
cognósceris esse solácium,
spei tuæ da nobis
in hac peregrinatióne pósitis increméntum,
ut beátæ N. exémplis de te solo nunc vivámus,
et intercessióne coronémur in cælis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 505/3

Ecce múlier sápiens,
quæ ædificávit domum suam,
et timens Dóminum ambulávit recto itínere.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 505/4

Spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ
super nos, Pater, effúnde,
quo beátam N. tuam fámulam replevísti,
ut, sédula eius imitatióne tibi humíliter obsequéntes,
fide tibi semper et ópere placeámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 505/5

Qui mandáta tua, Dómine,
in corde beátæ N. ita pénitus posuísti,
ut viam ad te in timóre felíciter et amóre cucúrrerit,
præsta, ut per illam hoc sacrifícium tibi fiat accéptius,
nobísque valídius ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 505/6a

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Tu enim sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam tuam nova semper virtúte fecúndas,
nobísque certíssima præbes tuæ dilectiónis indícia.
Sed étiam, ad mystéria salútis impléndа,
et ipsórum insígni incitámur exémplo
et pia intercessióne perpétuo commendámur.
Ideo beátæ étiam N. memóriam cum exsultatióne recólimus,
fámulæ tibi fervóre devotiónis addíctæ,
nunc autem tua glória in æternitáte lætántis.
Quin et ipsi cunctísque cœtibus beatórum
in tuæ maiestátis láudibus nos áddimus concinéndis,
concórdi iubilatiónis ore sine intermissióne dicéntes:

vel, pro viduis: 505/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Qui víduas exaudívit orántes,
ac laudábiles commendávit,
et parvulórum certe gregi eas vóluit aggregári,
quibus regnum tibi, Pater, paráre complácuit.
Hanc pusillórum simplicitátem beáta N. adépta mirándam,
gáudium est expérta sancti Spíritus copiósum,
et illud in fratrum servítio vigilánti
atque in Christi suavitáte dilectiónis invénit.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 12, 50 505/7

Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei,
qui in cælis est,
ipse meus frater et soror et mater est,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Eccli 23, 37-38b 505/8

Nihil mélius est quam timor Dei,
et nihil dúlcius quam atténdere mandátis Dómini.
Glória magna est sequi Dóminum.

POST COMMUNIONEM 505/9

Fidélium tuórum, Dómine, consolátor,
multitúdinem tuæ nobis infúnde dulcédinis,
quam in hoc sacraménto te timéntibus abscondísti,
nosque da cum beáta N. sic vívere patiénter,
ut eius coherédes simus in regno.
Per Christum.

INGRESSA 506/1

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta,
et dedit illis grátiam sempitérnam;
quorum doctrína sancta fulget Ecclésia.

SUPER POPULUM 506/2

Pater, qui sanctórum tuórum N. et N. glória
de sensu quoque vitæ nostræ nos édoces temporális,
da, ut opus a te nobis in mundo commíssum
cum spe futurórum bonórum perducámus ad finem,
et salútem nostram cum sedulitáte iúgiter operémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 150, 1 506/3

Laudáte Deum in sanctis eius;
laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 506/4

Deus, qui solus es sanctus
unúsque tríbuis quidquid est in hómine bonitátis,
intercessióne beatórum N. et N. nos tales fíeri
concéde propítius,
qui tuam glóriam cónsequi mereámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 506/5

Múnera nostra, Dómine,
in festivitáte sanctórum tuórum N. et N.
sacris altáribus offeréntes,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut éadem et suprémam tibi glóriam operéntur
et ubérrimam nobis grátiam assequántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 506/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui in sanctórum concílio celebráris,
et, eórum coronándo mérita, tua dona corónas.

Qui nobis eórum conversatióne largíris exémplum,
et communióne consórtium
et intercessióne subsídium;
ut, tantis téstibus confirmáti,
ad propósitum certámen currámus invícti,
et immarcescíbilem cum eis hereditátem glóriæ consequámur.

Hanc et beáti N. et N. fidéles tibi fámuli sunt adépti,
qui suis hódie méritis in cælis énitent exornáti,
tuásque fundunt ibi laudes
cum angelórum turmis atque sanctórum,
quibus festívo gáudio nos adiúngimus, sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 16, 20. 22; Lc 10, 20 506/7

Amen dico vobis, mundus plorábit, et vos gaudébitis;
et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.
Gaudéte et exsultáte,
quod nómina vestra scripta sunt in cælis,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Mt 24, 46-47 506/8

Beáti servi, quos, cum vénerit dóminus,
invénerit vigilántes;
amen dico vobis:
Super ómnia bona sua constítuet eos.

POST COMMUNIONEM 506/9

Omnípotens sempitérne Deus,
Pater totíus consolatiónis et pacis,
præsta famíliæ tuæ
in celebritáte sanctórum N. et N.
ad laudem tui nóminis congregátæ,
ut per Unigéniti tui sumpta mystéria
pignus accípiat redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

INGRESSA Ps 36, 39 507/1

Salus iustórum a Dómino,
et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

SUPER POPULUM 507/2

Fortitúdinem tuam, Deus, pétimus et virtútem,
ut in tribulatiónibus multis ac spíritus paupertáte
iuxta beátas N. et N.
intellegámus Christi gáudii constáre divítias.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 36, 28. 40 507/3

Dóminus amat iudícium et non derelínquet sanctos suos.
Iniústi in ætérnum disperíbunt.
Adiuvábit eos Dóminus et liberábit eos
et éruet eos a peccatóribus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 507/4

Tríbuat nobis, omnípotens Deus, cæléste subsídium
sanctárum N. et N., quǽsumus, intercéssio veneránda,
quarum vita mirábilis ómnibus salutáre præstat exémplum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 507/5

Munéribus nostris, Dómine, sanctárum N. et N. intercessióne
grátiam tuæ placatiónis intérsere,
ut et colláta nobis remédia tueáris
et ad salútem ætérnam conferénda perfícias.
Per Christum.

PRÆFATIO 507/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui in sanctórum concílio celebráris,
et, eórum coronándo mérita, tua dona corónas.

Qui nobis eórum conversatióne largíris exémplum,
et communióne consórtium
et intercessióne subsídium;
ut, tantis téstibus confirmáti,
ad propósitum certámen currámus invícti,
et immarcescíbilem cum eis hereditátem glóriæ consequámur.

Hanc et beátæ N. et N. fidéles tibi fámulæ sunt adéptæ,
quæ suis hódie méritis in cælis énitent exornátæ,
tuásque fundunt tibi laudes
cum angelórum turmis atque sanctórum,
quibus festívo gáudio nos adiúngimus, sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 7, 9; Mt 25, 34 507/7

Gaudéte sancti ante conspéctum Agni,
vobis parátum est regnum ab orígine mundi.

TRANSITORIUM 507/8

Multitúdo sanctórum simul et confessórum,
Dómine, laudes tibi réferunt,
quia misísti Spíritum sanctum tuum,
ad consecrándum nobis corpus et sánguinem Dómini.

POST COMMUNIONEM 507/9

Divíni, Dómine, operátio sacraménti
in hac festivitáte beatárum N. et N.
illúminet nos páriter et inflámmet,
ut et sanctis desidériis ferveámus
et bonis iúgiter opéribus abundémus.
Per Christum.

MISSAE RITUALES

Missæ rituales adhiberi possunt omnibus diebus, exceptis dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sollemnitatibus, diebus infra octavam Paschæ, commemoratione omnium fidelium defunctorum, sabbato « in traditione symboli » et feriis in hebdomada authentica.

Pro missis vero « in scrutiniis peragendis » cf. quæ ad hoc dicuntur p. 888.

Si vero baptismus intra missam confertur diebus temporis paschalis, insuper dominicis et per totam octavam Paschæ, dicitur missa « pro baptizatis ».

508 1 PRO ELECTIONE
SEU INSCRIPTIONE NOMINIS

INGRESSA Cf. Io 8, 12; Is 2, 3 508/1

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus.
Qui séquitur me, non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ.
Ecce nos, Dómine Iesu, venímus ad te,
ut ambulémus in sémitis tuis.

SUPER POPULUM 508/2

Deus, qui licet salútem hóminum semper operáris,
nunc tamen pópulum tuum grátia abundantióre lætíficas,
ad electiónem tuam respícere ne desístas,
ut patérnæ protectiónis auxílium
et regenerándos múniat et renátos.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Mac 1, 26b-27 508/3

Custódi, Deus, partem tuam et sanctífica.
Dómine, cóngrega dispersiónem nostram,
líbera eos, qui sérviunt géntibus,
ut sciant omnes, quia tu es Deus noster.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 508/4

Deus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis,
præsta, quæsumus,
ut Ecclésia tua ætérnis profíciat institútis,
et temporáliter non destituátur auxíliis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 508/5

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos ad ætérnam vitam
in confessióne tui nóminis baptísmatis réparas sacraménto,
súscipe tuórum múnera et vota famulórum,
ut in te sperántium
et desidéria iúbeas pérfici et peccáta deléri.
Per Christum.

PRÆFATIO 508/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui ténebras infidelitátis a nostris méntibus effugávit,
et lumen veritátis et grátiæ
cleménter afféctibus infúdit humánis;
ut, qui ante videbámur corde cæcáti,
ipsum Dei Fílium fateámur,
et salútis sequámur auctórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ier 31, 3. 10; Ps 125, 4 508/7

In caritáte perpétua nos dilexísti, Dómine,
et míserans attraxísti.
Reduc, Pater, captivitátem nostram;
cóngrega nos, et sicut pastor gregem custódi.

TRANSITORIUM Cf. Ps 15, 11; Eph 1, 7 508/8

Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo, Dómine.
Redemptiónem per sánguinem Christi largiéris,
remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ eius.

POST COMMUNIONEM 508/9

Christi perácto, quǽsumus, Dómine, sacraménto,
eius virtus passiónis in nobis iúgiter persevéret,
quæ nostra delícta condónat,
et munus redemptiónis operátur.
Per eúndem Christum.

509 2 IN SCRUTINIIS PERAGENDIS

Hæc missa adhibetur quando scrutinia celebrantur, sive tempore ipsis proprio, idest in dominicis III, IV et V in Quadragesima, sive aliis temporibus.

INGRESSA Cf. Ap 15, 3; Eph 5, 26; Ps 135, 16 509/1

Magna et mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens,
qui mundas Ecclésiam lavácro aquæ in verbo,
quóniam in ætérnum misericórdia tua.
Iustæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculórum,
qui tradúcis pópulum tuum per desértum.

SUPER POPULUM

In primo scrutinio: 509/2a

Da, quǽsumus, Dómine, eléctis nostris
digne atque sapiénter ad confessiónem tuæ laudis accédere,
ut dignitáte prístina,
quam originális transgressióne perdidérunt,
ad tuam salúbriter glóriam reforméntur.
Per Dóminum.

In secundo scrutinio: 509/2b

Omnípotens sempitérne Deus,
Ecclésiam tuam spiritáli iucunditáte multíplica,
ut, qui sunt generatióne terréni,
fiant regeneratióne cæléstes.
Per Dóminum.

In tertio scrutinio: 509/2c

Concéde, Dómine, eléctis nostris,
ut, sanctis mystériis erudíti,
et renovéntur fonte baptísmatis
et inter tuæ membra Ecclésiæ numeréntur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 24-26; Ps 50, 12 509/3

Tollam vos de géntibus, dicit Dóminus,
et effúndam super vos aquas mundas.
Lavámini ab ómnibus iniquitátibus vestris,
dabo vobis cor novum,
et spíritum rectum innovábo in viscéribus vestris.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI

In primo scrutinio: 509/4a

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Ecclésia tua et suórum firmitáte membrórum
et nova semper fecunditáte lætétur.
Per Christum.

In secundo scrutinio: 509/4b

Largíre, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, Deus,
et a suis semper et ab aliénis abstinére delíctis,
ut, pura tibi mente desérviens,
pietátis tuæ remédia sine cessatióne percípiat.
Per Christum.

In tertio scrutinio: 509/4c

Bonórum ómnium Deus auctor atque largítor,
fac, quǽsumus, ut Ecclésiæ tuæ proles,
te instituénte,
succréscat in novam tui Fílii creatúram,
et sancto fovénte Spíritu nutriátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA

In primo scrutinio: 509/5a

Miserátio tua, Deus, ad hæc percipiénda mystéria
fámulos tuos, quǽsumus, et prævéniat competénter
et devóta conversatióne perdúcat.
Per Christum.

In secundo scrutinio: 509/5b

Remédii sempitérni múnera, Dómine,
offérimus in gáudio, supplíciter exorántes,
ut éadem nos et digne tríbuas venerári
et pro salvándis congruénter exhibére perfícias.
Per Christum.

In tertio scrutinio: 509/5c

Exáudi nos, Deus omnípotens atque clemens,
et fámulos tuos, quos fídei christiánæ primítiis imbuísti,
huius sacrifícii tríbuas operatióne mundári.
Per Christum.

PRÆFATIO 509/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui genus hóminum sui córporis passióne redémit,
et suo sánguine sacramentóque baptísmatis emundávit Ecclésiam.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, in Meménto vivorum fit memoria patrinorum, et dicitur Hanc ígitur proprium.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, 509/6a
qui eléctos tuos susceptúri sunt
ad sanctam grátiam baptísmi tui,
(et recitantur nomina patrinorum et matrinarum)
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

Hanc ígitur oblatiónem, Dómine, 509/6b
ut propítius suscípias, deprecámur,
quam tibi offérimus pro fámulis et famulábus tuis,
quos ad ætérnam vitam et beátum grátiæ tuæ donum
numeráre, elígere atque vocáre dignátus es.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

CONFRACTORIUM Cf. Col 1, 13; Ier 31, 14; Prov 9, 5 509/7

Redémit Dóminus pópulum suum,
et liberávit eum,
et tránstulit eum in regnum Fílii dilectiónis suæ.
Pópulus meus, dicit Dóminus, bonis meis adimplébitur.
Veníte, comédite panem meum,
et bíbite vinum quod míscui vobis, ut vivátis.

TRANSITORIUM Cf. Io 7, 38; Num 20, 6 509/8

De ventre tuo, Iesu Dómine,
flúmina fluunt aquæ vivæ:
Miséricors audi clamórem pópuli huius
et áperi eis thesáurum tuum,
ut cunctórum se fidélium corda sanctíficent.

POST COMMUNIONEM

In primo scrutinio: 509/9a

Adésto, Dómine, quǽsumus, redemptiónis efféctibus,
ut, quos sacraméntis æternitátis instítues,
eósdem prótegas dignánter aptándos.
Per Christum.

In secundo scrutinio: 509/9b

Tu semper, quǽsumus, Dómine,
tuam benígnus attólle famíliam,
tu dispóne corréctam,
tu subiéctam tuére propítius,
tu gubérna perpétua bonitáte salvándam.
Per Christum.

In tertio scrutinio: 509/9c

Concúrrat, Dómine, quǽsumus, pópulus tuus,
et toto tibi corde subiéctus obtíneat,
ut, ab omni perturbatióne secúrus,
et salvatiónis suæ gáudia promptus exérceat
et pro regenerándis benígnus exóret.
Per Christum.

3 IN CONFERENDO BAPTISMATE

Hæc missa dicitur cum colore albo.

510 I

INGRESSA 1 Petr 2, 9 510/1

Vos estis genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta, pópulus in acquisitiónem,
ut virtútes annuntiétis eius,
qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

SUPER POPULUM 510/2

Deus, qui nos facis passiónis et resurrectiónis Fílii tui
participáre mystérium,
præsta, quǽsumus,
ut, adoptiónis filiórum spíritu roboráti,
in novitáte vitæ iúgiter ambulémus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 113 B, 12 510/3

Dóminus memor fuit nostri
et benedícet nobis:
benedícet dómui Israel,
benedícet dómui Aaron.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 510/4

Deus, qui credéntes in te fonte baptísmatis innovásti,
hanc renátis in Christo concéde custódiam,
ut nullo erróris incúrsu
grátiam tuæ benedictiónis amíttant.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 510/5

Quos Fílio tuo conformátos
(et chrísmatis signáculo perféctos)
pópulo sacerdotáli propítius aggregásti,
Dómine, rogámus,
ut in acceptábiles hóstias computáre dignéris,
et una cum oblatiónibus Ecclésiæ tuæ benígnus accípias.
Per Christum.

PRÆFATIO 510/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
redemptiónis nostræ mystéria
in baptísmate cum gáudio celebrántes.

Quibus humána substántia vínculis prævaricatiónis exúitur,
reparátam conséquitur oríginis dignitátem,
spem resurrectiónis in hereditátem filiórum óbtinet sempitérnam.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima in Meménto vivorum fit memoria patrinorum, et dicitur Hanc ígitur proprium.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, 510/6a
qui eléctos tuos suscepérunt ad sanctam grátiam baptísmi tui,
(et recitantur nomina patrinorum et matrinarum)
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 510/6b
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro his quoque,
quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu sancto,
tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum,
ut inveníres eos in Christo Iesu Dómino nostro,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et nómina eórum ascríbi iúbeas in libro vivéntium.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria neophytorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 510/6c

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, neophytórum,
qui hódie per baptísmum (et confirmatiónem)
famíliæ tuæ sunt adiúncti,
ut Christum, Fílium tuum,
corde magno et ánimo volénti sequántur.
Meménto étiam ...

In Prece eucharistica tertia: 510/6d

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Confórta, quǽsumus, in sancto propósito fámulos tuos,
qui hódie per lavácrum regeneratiónis
(et donatiónem sancti Spíritus)
plebi tuæ sunt aggregáti,
et concéde, ut in vitæ semper novitáte procédant.
Omnes fílios tuos ...

In Prece eucharistica quarta: 510/6e

... sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
et neophytórum,
quos hódie ex aqua et Spíritu sancto regenerásti,
et cuncti pópuli tui ...

In Prece eucharistica sexta: 510/6f

... pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa
et domínica caritáte conéxa,
pro novis præsértim his fidélibus,
quos ex aqua et Spíritu regeneráre dignátus es,
sed et pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro frátribus nostris ...

CONFRACTORIUM 510/7

E látere tuo, Christe, fons aquæ prorúmpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur, allelúia.

TRANSITORIUM Cf. Rom 6, 3-4 510/8

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu
in mortem ipsíus baptizáti sumus.
Consepúlti cum illo per baptísmum,
in novitáte vitæ ambulémus, allelúia.

POST COMMUNIONEM 510/9

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, carnis et sánguinis Fílii tui prǽditi sacraménto,
in communióne Spíritus eius
fratrúmque in dilectióne crescámus,
qui ad plenam córporis Christi mensúram
caritáte vívida dilatémur.
Per eúndem Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 510/10

In baptismate parvulorum:

Dóminus Deus omnípotens,
qui, per Fílium suum natum ex María vírgine
christiánas lætíficat matres ætérnæ spe vitæ,
quæ suis affúlget infántibus,
dignétur matres horum benedícere parvulórum,
ut, quæ nunc agunt de accépta súbole grátias tam devótas,
perpétuo cum ipsa in gratiárum máneant actióne,
in Christo Iesu Dómino nostro.
℟ Amen.

Dóminus Deus omnípotens,
qui vitam terrénam largítur et cæléstem,
patres horum infántium benedícat,
ut una cum suis coniúgibus prióres se fídei testes
verbo fíliis exhíbeant et exémplo,
in Christo Iesu Dómino nostro.
℟ Amen.

Dóminus Deus omnípotens,
qui nos ex aqua et Spíritu sancto in vitam regenerávit ætérnam,
hos fidéles suos muníficus benedícat,
ut semper et ubíque vívida pópuli sui membra permáneant,
et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur,
in Christo Iesu Dómino nostro.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

INGRESSA Tit 3, 5b-6 511/1

Deus noster secúndum suam misericórdiam,
salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis
et renovatiónis Spíritus sancti,
quem effúdit super nos abúnde
per Iesum Christum Salvatórem nostrum.

SUPER POPULUM 511/2

Deus, qui nos verbo vitæ pro tua pietáte regéneras,
da, ut, corde sincéro illud accipiéntes,
veritátem álacres faciámus,
et fratérnæ afferámus fructus plúrimos caritátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 117, 1 511/3

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽçulum misericórdia eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 511/4

Deus, qui credéntes in te pópulos
grátiæ tuæ largitáte multíplicas,
respícere ad electiónem tuam dignáre propítius,
ut, qui sacraménto baptísmatis sunt renáti,
cæléstis regni mereántur intróitum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 511/5

Ad parátum panem accedéntibus vinúmque commíxtum,
iánuam, Dómine, cenæ tuæ dignáre reclúdere,
ut, cæléste cum gáudiis convívium celebrántes,
inter sanctórum cives tuósque domésticos censeámur.
Per Christum.

PRÆFATIO 511/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
redemptiónis nostræ mystéria
in baptísmate cum gáudio celebrántes.

Quibus humána substántia vínculis prævaricatiónis exúitur,
reparátam conséquitur oríginis dignitátem,
spem resurrectiónis in hereditátem filiórum óbtinet sempitérnam.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima in Memento vivorum fit memoria patrinorum, et dicitur Hanc ígitur proprium.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, 511/6a
qui eléctos tuos suscepérunt
ad sanctam grátiam baptísmi tui,
(et recitantur nomina patrinorum et matrinarum)
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 511/6b
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro his quoque,
quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu sancto,
tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum,
ut inveníres eos in Christo Iesu Dómino nostro,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et nómina eórum ascríbi iúbeas in libro vivéntium.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria neophytorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 511/6c

...et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, neophytórum,
qui hódie per baptísmum (et confirmatiónem)
famíliæ tuæ sunt adiúncti,
ut Christum, Fílium tuum,
corde magno et ánimo volénti sequántur.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 511/6d

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Confórta, quǽsumus, in sancto propósito fámulos tuos,
qui hódie per lavácrum regeneratiónis
(et donatiónem sancti Spíritus)
plebi tuæ sunt aggregáti,
et concéde, ut in vitæ semper novitáte procédant.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 511/6e

...sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
et neophytórum,
quos hódie ex aqua et Spíritu sancto regenerásti,
et cuncti pópuli tui...

In Prece eucharistica sexta: 511/6f

... pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa
et domínica caritáte conéxa,
pro novis præsértim his fidélibus,
quos ex aqua et Spíritu regeneráre dignátus es,
sed et pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro frátribus nostris ...

CONFRACTORIUM Ps 65, 16 511/7

Veníte, audíte, et narrábo,
omnes, qui timétis Deum,
quanta fecit ánimæ meæ.

TRANSITORIUM Gal 3, 27. 28b 511/8

Quicúmque in Christo baptizáti estis,
Christum induístis,
et omnes vos unus estis in Christo Iesu.

POST COMMUNIONEM 511/9

Præclárum, Dómine, quod annuntiávimus celebrándo,
mortis Fílii tui et resurrectiónis mystérium,
fac, ut huius sacraménti virtúte
étiam vivéndo fidéliter fateámur.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 511/10a

In baptismate parvulorum:

Dóminus Deus omnípotens,
qui per temporálem Fílii sui nativitátem
mundum pace perfúdit et gáudio,
hos omnes benedícat nóviter baptizátos,
ut ad plenam cum Christo conformitátem unionémque pervéniant.
℟ Amen.

Dóminus Deus omnípotens,
qui terrénam vitam largítur atque cæléstem,
dignétur patres et matres horum benedícere parvulórum,
ut, qui de súbole grátias nunc agunt accépta,
perpétuo cum ipsa in gratiárum máneant actióne.
℟ Amen.

Dóminus Deus omnípotens,
qui nos ex aqua et Spíritu sancto in vitam regenerávit ætérnam,
hos fidéles suos muníficus benedícat,
ut semper et ubíque vívida sint membra pópuli sui,
et pacem suam ómnibus hic præséntibus largiátur.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

vel: 511/10b

Deus, vitæ et caritátis auctor,
qui corda matrum in suos génitos dilatávit,
horum baptizatórum matres respíciens, benedícat,
ut, quæ pro suscépta prole grátias agunt,
filiórum dilectióne, proféctu et virtúte læténtur.
℟ Amen.

Deus, omnis paternitátis princípium et exémplar,
sua benignitáte patres étiam horum infántium prosequátur,
ut suæ conversatiónis exémplo
fílios ad vitæ christiánæ matúram ætátem rite perdúcant.

℟ Amen.

Deus, cunctórum hóminum cónditor et amátor,
omnes nunc adunátos propínquos et amícos cleménter inténdat,
ut illos a malo custódiat eísque pacem úberem largiátur.

℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.

℟ Amen.

4 IN CONFERENDA CONFIRMATIONE

Hæc missa dicitur cum colore rubro vel albo.

512 I

INGRESSA Ps 99, 2 512/1

Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia.

SUPER POPULUM 512/2a

Præsta, quǽsumus, Deus omnípotens atque clemens,
ut Spíritus sanctus advéniens
templum nos glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat.
Per Dóminum.

vel: 512/2b

Promissiónem tuam, quǽsumus, Pater,
super nos propitiátus adímple,
ut Spíritus sanctus advéniens
nos evangélii Christi testes
coram mundo poténter effíciat.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 512/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 512/4

Deus, qui apóstolis tuis sanctum dedísti Spíritum,
et per eos eorúmque successóres
céteris fidélibus tradéndum esse voluísti,
exáudi oratiónem nostram et concéde propítius,
ut, quod in ipsis evangélicæ prædicatiónis exórdiis
tua est operáta dignátio,
nunc quoque per credéntium corda diffúndat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 512/5

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine,
súscipe vota cleménter et præsta,
ut, Fílio tuo perféctius conformáti,
in testimónium eius indesinénter accréscant,
memoriále participántes redemptiónis,
qua Spíritum tuum nobis ipse proméruit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 512/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, super omnes cælos gloriósus ascéndens,
sedénsque ad déxteram tuam in poténtia maiestátis,
promíssum Spíritum sanctum in fílios adoptiónis effúdit.

Cuius abúnde his fámulis tuis es hódie pretiósa bona largítus,
ut fidem eiúsdem Christi tui profiteántur impénsius,
ac sancta te coram ómnibus conversatióne gloríficent.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 512/6a
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro iis quoque,
quos, baptísmate regenerátos,
confirmáre dignátus es donatióne Spíritus sancti,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et in eis tuam grátiam propitiátus custódias.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memòria confirmatorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 512/6b

...et univérso clero.
Réspice quoque, Dómine, hos fílios tuos,
qui signáculum doni sancti Spíritus accepérunt,

ut nunc, Ecclésiæ tuæ perféctius aggregáti,
Christi testimónium impénsius in fide et caritáte perhíbeant.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 512/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Famulórum quoque tuórum, Dómine, recordáre miserátus,
qui baptísmate iam renáti
effúsum Spíritum accepérunt,
ut tuæ magnália salútis spiritáli conversatióne váleant nuntiáre.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 512/6d

...sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
horúmque filiórum tuórum,
quos, novæ véluti Pentecóstes grátia renováta,
virtus Spíritus sancti Christo plénius conformávit,
ut eius passiónem et resurrectiónem
coram mundo fórtiter testaréntur,
et cuncti pópuli tui...

In Prece eucharistia sexta: 512/6e

... pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa
et domínica caritáte conéxa,
pro his præsértim fidélibus,
qui hódie summa pietáte tua virtútem effúsi Spíritus accepérunt,
sed et pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro frátribus nostris ...

CONFRACTORIUM Cf. Hebr 6, 4 512/7

Quicúmque illumináti estis,
qui gustavístis donum cæléste,
et partícipes facti estis Spíritus sancti,
gaudéte omnes in Dómino.

TRANSITORIUM Ps 33, 6a. 9 512/8

Respícite ad eum et illumináмini;
gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

POST COMMUNIONEM 512/9

Spíritu sancto, Dómine, perúnctos
tuíque Fílii sacraménto nutrítos,
tua in pósterum benedictióne proséquere,
ut, ómnibus adversitátibus superátis,
Ecclésiam tuam sanctitáte lætíficent,
eiúsque in mundo increménta
suis opéribus et caritáte promóveant.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 512/10

Benedícat vos Deus Pater omnípotens,
qui vos, ex aqua et Spíritu sancto renátos,
fílios suæ adoptiónis effécit,
et dignos sua patérna dilectióne custódiat.
℟. Amen.

Benedícat vos Fílius eius unigénitus,
qui Spíritum veritátis
in Ecclésia mansúrum esse promísit,
et vos in confessióne veræ fídei sua virtúte confírmet.
℟. Amen.

Benedícat vos Spíritus sanctus,
qui ignem caritátis in córdibus discipulórum accéndit,
et vos, in unum fidéliter congregátos,
ad gáudium regni Dei sine offensióne perdúcat.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟. Amen.

513 II

INGRESSA Cf. Rom 5,5; 8,11 513/1

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per inhabitántem Spíritum eius in nobis.

SUPER POPULUM 513/2

Spíritum sanctum tuum, quǽsumus, Dómine,
super nos dignánter effúnde,
ut omnes, in unitáte fídei ambulántes
et caritátis eius fortitúdine roboráti,
ad mensúram ætátis Christi plenitúdinis occurrámus.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36,23.24.26 513/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 513/4

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui tuæ maiestátis efféctu
per Fílii tui mirábile sacraméntum
cooperánte sancto Spíritu sunt renáti,
cælésti fiant conversatióne perpétui.
Per Christum.

SUPER OBLATA 513/5

Hos fámulos tuos, Dómine,
una cum Unigénito tuo benígnus admítte,
ut, qui eius cruce ac spiritáli sunt unctióne signáti,
se tibi cum ipso iúgiter offeréntes,
largiórem in dies effusiónem tui Spíritus mereántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 513/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui super apóstolos cum María vírgine congregátos,
per Christum a dextris tuis in glória consedéntem,
sanctum promíssum Spíritum mirabíliter effudísti,
ut omni creatúræ virtútis tuæ magnália nuntiárent.

Quin et hódie per nostrum ministérium salutáre
eiúsdem donum Spíritus renováre non désinis,
illiúsque Pentecóstes mystérium tríbuis iúgiter permanére.

Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 513/6a
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro iis quoque,
quos, baptísmate regenerátos,
confirmáre dignátus es donatióne Spíritus sancti,
quæsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et in eis tuam grátiam propitiátus custódias.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria confirmatorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 513/6b

...et univérso clero.
Réspice quoque, Dómine, hos fílios tuos,
qui signáculum doni sancti Spíritus accepérunt,
ut nunc, Ecclésiæ tuæ perféctius aggregáti,
Christi testimónium impénsius in fide et caritáte perhíbeant.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 513/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Famulórum quoque tuórum, Dómine, recordáre miserátus,
qui baptísmate iam renáti
effúsum Spíritum accepérunt,
ut tuæ magnália salútis spiritáli conversatióne váleant nuntiáre.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 513/6d

... sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
horúmque filiórum tuórum,
quos, novæ véluti Pentecóstes grátia renováta,
virtus Spíritus sancti Christo plénius conformávit,
ut eius passiónem et resurrectiónem
coram mundo fórtiter testaréntur,
et cuncti pópuli tui...

In Prece eucharistica sexta: 513/6e

... pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa
et domínica caritáte conéxa,
pro his præsértim fidélibus,
qui hódie summa pietáte tua virtútem effúsi Spíritus accepérunt,
sed et pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro frátribus nostris ...

CONFRACTORIUM Cf. Io 7, 37-39 513/7

Ultimo festivitátis die dicébat Iesus:
Qui in me credit,
flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ.
Hoc autem dixit de Spíritu,
quem acceptúri erant credéntes in eum.

TRANSITORIUM 513/8

Hymnum cánite agni mundi,
lavácro fontis renáti,
satiáti córpore Christi.

POST COMMUNIONEM 513/9

Quos tui Spíritus, Dómine, munéribus cumulásti,
tuíque auxísti Unigéniti nutriménto,
fac étiam in plenitúdine legis instrúctos,
ut coram mundo tuæ libertátem adoptiónis iúgiter maniféstent,
et prophéticum tui pópuli munus
sua váleant sanctitáte præbére.
Per Christum.

Benedícat vos Deus Pater omnípotens,
qui vos, ex aqua et Spíritu sancto renátos,
fílios suæ adoptiónis effécit,
et dignos sua patérna dilectióne custódiat.
℟ Amen.

Benedícat vos Fílius eius unigénitus,
qui Spíritum veritátis
in Ecclésia mansúrum esse promísit,
et vos in confessióne veræ fídei sua virtúte confírmet.
℟ Amen.

Benedícat vos Spíritus sanctus,
qui ignem caritátis in córdibus discipulórum accéndit,
et vos, in unum fidéliter congregátos,
ad gáudium regni Dei sine offensióne perdúcat.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

514 III

Aliæ orationes, pro opportunitate adhibendæ

SUPER POPULUM 514/2

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine,
Paráclitus, qui a te procédit, illúminet,
et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.
Qui tecum vivit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 514/4

Deus, cuius Spíritu régimur,
cuius protectióne servámur,
præténde nobis misericórdiam tuam
et exorábilis esto supplícibus,
ut in te credéntium fides tuis semper benefíciis adiuvétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 514/5

Famíliæ tuæ oblatiónem, Dómine, placátus admítte,
ut, qui donum sancti Spíritus suscepérunt,
et colláta custódiant
et ad prǽmia pervéniant sempitérna.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 514/9

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
tua fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

515 5 IN MINISTRANDA PRIMA COMMUNIONE PARVULIS

Hæc missa dicitur cum colore rubro vel albo.

INGRESSA Io 6, 51 515/1

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi.
Si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum;
panis autem, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita.

SUPER POPULUM 515/2

Deus, qui, ut in his púeris consúmmes mystérii salútis inítia
et cum Ecclésia tua perénne consórtium,
primum ipsos hódie vocas ad mensæ tuæ cæléste convívium,
da eos et grátiæ communiónem cum Christo iúgiter vívere
et eius mýstici córporis membra digna persístere.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Io 6, 57 515/3

Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 515/4

Quos múnere, Dómine, cælésti reficiéndos párvulos áspicis,
divíno tuére præsídio,
ut ab omni malo liberéntur tuis mystériis perfruéntes,
et fidéles Christo fiant
eiúsque in mundo testes magnánimi caritátis.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 515/5

Deus, qui nos dicátis munéribus
salutáris Christi sacrifícii facis esse partícipes,
his præsta púeris,
ut in operósæ intelléctu caritátis accréscant,
qua Dóminus ipse noster se pro mundi redemptióne donávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 515/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui panis vivus mirífice descéndit e cælis,
hosque púeros pascháli vocat sollémni festivitáte convívio,
ut, ad ipsíus iam admíssi sacra mystéria,
eórum plena communióne fruántur.

Sic hódie Fílii tui consórtium sacrifícii gratiámque suscípiunt,
ut, illi perfécta societáte coniúncti ac fidéliter conformáti,
inténsius Ecclésiæ mundo perhíbeant sacraméntum.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 515/6a
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro his quoque fidélibus,
qui primum cum gáudio ad Fílii tui mensam accédunt,
et pane cælésti ac novi testaménti cálice confirmántur,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna nos damnatióne éripi,
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria neocommunicandorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 515/6b

... et univérso clero.
Tuórum quoque filiórum, Dómine, recordáre,
quos primum salutári convívio reficiéndos admíttis,
ut, redemptiónis sacraménto plene consórtes,
in Ecclésia cum Unigénito tuo societáte íntima converséntur.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 515/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius,
et hos fámulos tuos,
per communiónem córporis et sánguinis Christi,
plebi sanctæ tuæ ártius hódie congregátos,
grátiæ et caritátis concéde plenitúdine roborári.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 515/6d

... sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
filiorúmque tuórum,
quos primum hódie cenæ mirábili sócios áccipis exsultántes,
et cuncti pópuli tui...

In Prece eucharistica sexta: 515/6e

... pro Ecclésia tua sancta,
toto terrárum orbe diffúsa,
et, Spíritus operánte virtúte,
domínica caritáte conéxa,
pro tuis præsértim fidélibus,
in quibus mystérii salútis inítia consummári dispónis,
sed et pro sacerdótio sancto
et hoc pópulo tuam misericórdiam consecúto;
pro frátribus nostris ...

CONFRACTORIUM Cf. Ps 33, 6. 9 515/7

Accédite et édite,
corpus Christi súmite.
Gustáte et vidéte,
quam suávis est Dóminus.

TRANSITORIUM 515/8

Hymnum cánite agni mundi,
lavácro fontis renáti,
satiáti córpore Christi.

POST COMMUNIONEM 515/9

Digne nos tuo nómini, quǽsumus, Dómine, famulári
salutáris cibus sacérque potus instítuat,
ut renovatiónem condiciónis humánæ,
quam mystério comprehéndit,
in nostris sénsibus iúgiter operétur.
Per Christum.

516 6 IN MINISTRANDA UNCTIONE INFIRMORUM

Hæc missa dicitur cum colore albo.

INGRESSA Mt 10, 8 516/1

Infírmos curáte, mórtuos suscitáte,
leprósos mundáte, dǽmones eícite;
gratis accepístis, gratis date,
dicit Dóminus,

SUPER POPULUM 516/2

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus exáudi,
quæ sacra unctióne et précibus sacerdótum
suos tibi fílios comméndat ægrótos,
ut, Christo patiénti et glorificáto sincéra iúgiter mente coniúncti,
quæ ipsíus desunt passióni,
ad consummatiónem in bonum sanctæ plebis addúcant.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 21, 12. 20 516/3

Ne longe fias a me,
quóniam tribulátio próxima est,
quóniam non est qui ádiuvet.
Tu autem, Dómine, ne elongáveris,
fortitúdo mea, ad adiuvándum me festína.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 516/4

Deus omnis grátiæ,
qui nos ad ætérnam glóriam in Christo non ádvocas,
nisi cum illo partem in passiónibus habeámus,
horum ægrotórum confírma corda fidélium,
et eius levámen ac pacem fratrúmque benevoléntiam
benígnus impénde.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 516/5

Sacraménto, Dómine, passiónis et resurrectiónis Christi
placátus inténde,
eíque infirmórum fratrum nostrórum dolóres ac vota coniúnge,
ut in spíritu caritátis et fídei
una tibi offerátur víctima salutáris.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 516/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, líniens óculos
et ália membra tangens benévolus infirmórum,
et suam vóluit in ómnia demonstráre poténtiam
et in dolóres hóminum admirábilem caritátem.

Sed et discípulos in mundum misit,
ut morbos mentis auférrent,
ac manus quoque super ægros, ut sanaréntur, impónerent.

Hæc ígitur signa miseratiónis et grátiæ recoléntes,
in salútem nostram a Fílio tuo efficáciter commendáta,
te, Pater, cum ómnibus cælítibus collaudámus,
sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 516/6a
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro his quoque fámulis tuis,
pro quibus in oratióne fídei ad salútem relevándis
unctiónis celebrávimus sacraméntum,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna nos damnatióne éripi,
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria infirmorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 516/6b

... et univérso clero.
Fratrum quoque nostrórum, Dómine, recordáre,
quos in nómine tuo óleo nos únximus infirmórum,
ut eos divínæ misericórdiæ solácio pie confóveas,
ac tuæ poténtiæ virtúte róbores ad salútem.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 516/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius,
et hos fámulos tuos infirmitátibus laborántes,
qui unctiónis pie suscepérunt sacraméntum,
Christo patiénti ac glorificáto
in fide speíque firmitáte
sociári pro mundi salúte concéde.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 516/6d

... sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
filiorúmque tuórum,
quos providéntiæ tuæ dispensatióne,
ut grátia sancti Spíritus tuóque præsídio muniréntur,
óleo sacro delinívimus infirmórum,
et cuncti pópuli tui ...

CONFRACTORIUM 516/7

Exténde, quǽsumus, Dómine, médicas manus,
et quod infírmum est cura,
quod dúbium est répara,
quod íntegrum, fide perseveránte, consérva.

TRANSITORIUM Ap 7, 17 516/8

Agnus, qui in médio throni est, pascet illos
et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum,
et abstérget Deus omnem lácrimam ex óculis eórum.

POST COMMUNIONEM 516/9

Grátia convívii tui, Dómine,
quod est futúræ germen glorificatiónis ac pignus,
tribulatiónes, quǽsumus, horum fratrum nostrórum
dolorésque sustíntet,
ut, in eis providéntiæ tuæ consílio consummáto,
post témporis huius angóres, tuæ glóriam revelatiónis accípiant.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

516/10a

Benedícat vos Deus Pater.
℟ Amen.

Sanet vos Dei Fílius.
℟ Amen.

Illúminet vos Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

vel:

516/10b

Dóminus Iesus Christus apud vos sit,
ut sua virtúte deféndat.
℟ Amen.

Ante vos sit, ut dedúcat;
post vos sit, ut sua potestáte confírmet.
℟ Amen.

Vos respíciat, vos consérvet,
atque muníficus benedícat.
℟ Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus sancti,
descéndat super vos et máneat semper.
℟ Amen.

517 7 AD MINISTRANDUM VIATICUM

Hæc missa dicitur cum colore rubro vel albo.

INGRESSA Cf. Ps 80, 17 517/1

Cibávit eos Dóminus ex ádipe fruménti,
et de petra melle satiávit eos.

SUPER POPULUM 517/2

Deus, cuius Fílius nobis est vita, véritas et vita,
fámulum tuum N. réspice miserátus, et præsta,
ut, tuis promissiónibus se commíttens
et ipsíus Fílii tui córpore recreátus,
ad regnum tuum progrediátur in pace.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 6, 51 517/3

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi.
Si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum;
panis autem, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 517/4

Deus, qui nobis in hoc sǽculo peregrínis
Christi tui corpus éxhibes aliméntum
et pátriam inquisitúris singuláre munímen,
fratrem nostrum N. dignáre hoc divíno fovére solácio,
ut spe firmus ad æternitátem exsultatiónis advéniat.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 517/5

Sacrifícium nostrum, Pater sancte, intuére benígnus,
ut Agnum tibi paschálem repræséntet,
cuius pássio paradísi iánuas reserávit,
et fámulum tuum N.
in munus grátia tua introdúcat ætérnum.
Per Christum.

PRÆFATIO 517/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui manna de cælis præstito nutrivísti pópulum per desértum,
nec tamen illum a morte líberum voluísti,
ut solum Christum nobis tráderes panem vivum
vitæque nobis alimóniam immortális.

Ipse namque itíneris nostri
ad tui contemplatiónem se viáticum destinávit:
in témporis huius tribulatióne solácium,
venerándum cæléstis convívii sacraméntum,
et germen glóriæ absque fine manéntis.

Adventúrum ígitur Dóminum fidénti gáudio præstolántes,
te cum ángelis et sanctis páriter collaudámus,
tuæque maiestáti hymnum dícimus,
sine cessatióne clamántes:

CONFRACTORIUM 1 Cor 11, 26 517/7

Quotiescúmque manducábitis panem hunc
et cálicem bibétis,
mortem Dómini annuntiátis, donec véniat.

TRANSITORIUM 517/8

Te deprecámur, magnum redemptórem,
quem Pater misit óvium pastórem.
Tu es Christus Dóminus salvátor,
qui de María vírgine es natus.
Hunc sacrosánctum cálicem suméntes,
ab omni culpa líbera nos semper.

POST COMMUNIONEM 517/9

Dómine, qui es salus in te credéntium sempitérna,
præsta, quǽsumus, ut fámulus tuus N.,
cæléstî pane potúque reféctus,
in regnum lúminis et vitæ cum securitáte pervéniat.
Per Christum.

Extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates et festa apostolorum, missa in qua sacri ordines conferuntur hoc modo ordinari potest:

a) ad ingressam, post evangelium, ad confractorium et ad transitorium dicantur antiphonæ quæ infra ponuntur;

b) orationes et præfationes seligantur quæ sunt magis aptæ ex iis, quæ infra proponuntur pro episcopo (pp. 998-1001), pro sacerdotibus vel in conventibus sacerdotalibus (p. 1006 et p. 1044), pro ministris Ecclesiæ (p. 1011);

c) lectiones sumantur ex iis quæ pro his celebrationibus indicantur, cum facultate eas adhibendi, saltem ex parte, etiam diebus quibus missa ritualis prohibetur;

d) hæc missa dicitur cum colore albo vel rubro.

INGRESSA Io 12, 26 518/1a

Qui mihi minístrat, me sequátur, dicit Dóminus,
et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

vel (quando fit ordinatio sacerdotum): Lc 4, 18 518/1b

Spíritus Dómini super me;
propter quod unxit me
evangelizáre paupéribus,
misit me prædicáre captívis remissiónem.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Tim 6, 14 518/3

Serva mandátum sine mácula,
irreprehensíbile usque in advéntum
Dómini nostri Iesu Christi.

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 518/6a
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos diaconátus (vel presbyterátus, vel episcopátus)
órdinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípiàs,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

CONFRACTORIUM Io 15, 15 518/7

Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid fáciat dóminus eius;
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

TRANSITORIUM Io 17, 17a-18 518/8

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte.
Sicut me misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum,
dicit Dóminus.

9 MISSÆ PRO SPONSIS

1 IN CELEBRATIONE MATRIMONII

Quoties matrimonium intra missam celebratur, dicitur, cum sacris vestibus coloris albi, missa pro sponsis. Occurrente tamen dominica vel sollemnitate, dicitur missa de die, retentis in ea benedictione super sponsam et sponsum atque, pro opportunitate, formula propria benedictionis finalis.

Cum tamen liturgia verbi celebrationi matrimonii aptata magnam vim habeat in catechesi de ipso sacramento et de muneribus coniugum tradenda, quando missa pro sponsis prohibetur (nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitates Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, vel aliæ sollemnitates de præcepto servandæ), una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione matrimonii prævisis. In dominicis insuper temporis Nativitatis et « per annum », si missa in qua celebratur matrimonium a communitate parœciali non participatur, dici potest etiam integra missa pro sponsis.

Si matrimonium celebratur tempore Adventus vel Quadragesimæ aliisve diebus indolem pænitentialem præ se ferentibus, parochus sponsos moneat, ut rationem habeant peculiaris naturæ horum temporum liturgicorum.

519 I

INGRESSA Cf. Ps 19, 3.5 519/1

Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto,
et de Sion tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum,
et omne consílium vestrum adímpleat.

SUPER POPULUM 519/2a

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugále vínculum consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum,
præsta, quæsumus, his fámulis tuis
ut, quod fide percípiunt, ópere persequántur.
Per eúndem Dóminum.

vel: 519/2b

Deus, qui in humáno génere creándo
unitátem inter virum et mulíerem esse voluísti,
fámulos tuos, qui coniugáli sunt fœdere copulándi,
uníus vínculo dilectiónis astrínge,
ut, quos in caritáte fructificáre largíris,
ipsíus caritátis testes esse concédas.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 519/3

Deus Israel coniúngat vos,
et ipse sit vobíscum,
qui misértus est duóbus únicis.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 519/4

Hos fámulos tuos, Deus,
in te solo réspice confidéntes,
tuǽque dignáre grátiæ munéribus cumuláre,
ut in suo servent conúbio dilectiónis afféctum,
et, cum e terréna domo transíerint,
ad gáudia felíciter introducántur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 519/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
pro sacra conúbii lege munus oblátum,
et, cuius largítor es óperis,
próvidus quoque esto dispósitor.
Per Christum.

PRÆFATIO 519/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui fœdera nuptiárum blando concórdiæ iugo
et insolúbili pacis vínculo nexuísti,
ut multiplicándis adoptiónum fíliis
sanctórum conubiórum fecúnditas pudíca servíret.

Tua enim, Dómine, providéntia,
tuáque grátia ineffabílibus modis utrúmque dispénsas,
ut, quod generátio ad mundi prodúxit ornátum,
regenerátio ad Ecclésiæ perdúcat augméntum,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem cum ángelis et cælítibus univérsis
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 519/6a
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam maiestátem exórat,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et, sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic [tuo múnere desideráta súbole gaudére profícias,
atque] ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria sponsi et sponsæ fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 519/6b

...et univérso clero.
Tuis quoque, Dómine, comitáre præsídiis,
hanc novam in Christo famíliam tuæ múnere caritátis exórtam,
ut, grátiæ sacraménti fidélis semper exsístens,
[ac dono fecunditátis ornáta]
Ecclésiam tuam in sanctitátem ædificáre mereátur.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 519/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius,
tuorúmque famulórum, Dómine, recordáre benígnus,
quos in Christo Fílio tuo coniugáli vínculo nexuísti,
ut concórdi dilectióne ipsíus signum caritátis exhíbeant.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 519/6d

...sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
horúmque famulórum tuórum,
qui providéntiæ tuæ consílio,
conúbii sacraménto gratiáque suscépta,
ad sanctimóniam in Christo fidéli ac mútua caritáte conténdunt,
et cuncti pópuli tui...

CONFRACTORIUM Eph 5, 32 519/7

Sacraméntum hoc magnum est,
ego autem dico de Christo et ecclésia.

ORATIO SUPER SPONSAM ET SPONSUM

Dicto Pater noster et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur.

In invitatorio, si unus ex sponsis vel ambo non communicant, omittantur verba Christi córporis et sánguinis sacraménto.

In oratione Deus, qui potestáte, possunt omitti, pro opportunitate, duæ ex tribus paragraphis Deus, qui potestáte; Deus, qui tam excellénti; Deus, per quem múlier; ea tantum retenta paragrapho, quæ respondeat lectioni missæ.

In ultima paragrapho huius orationis, verba uncis inclusa omitti possunt, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint superadulti.

Sacerdos stans, manibus iunctis, dicit:

Dóminum, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur, 519/7a
ut super hanc fámulam suam,
quæ huic sponso nupsit in Christo,
benedictiónem grátiæ suæ cleménter effúndat,
et, quos fœdere sancto coniúnxit,
[Christi córporis et sánguinis sacraménto]
una fáciat caritáte concórdes.

Et omnes per breve tempus in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

Deus, qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta fecísti;
qui, dispósitis universitátis exórdiis
et hómine ad tuam facto sapiénter imáginem,
inseparábile viro mulíeris adiutórium condidísti,
ut iam non duo essent, sed una caro,
docens quod unum placuísset institui
numquam licére disiúngi;

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugálem cópulam consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum;

Deus, per quem múlier viro dilectióne coniúngitur,
et socíetas, principáliter ordináta, ea benedictióne donátur,
quæ sola nec per peccáti pœnam originális intériit,
nec per dilúvii est abláta senténtiam:

respícere super hanc fámulam tuam dignáre propítius,
quæ, maritáli iuncta consórtio,
tua se éxpetit benedictióne muníri:
sit in ea grátia dilectiónis et pacis,
imitatríxque sanctárum permáneat feminárum,
quarum in Scriptúris glória prædicátur.

Confídat in ea cor viri sui,
qui, parem sóciam et grátiæ vitæ coherédem agnóscens,
eam honóre débito prosequátur,
eóque díligat semper amóre,
quo Christus suam diléxit Ecclésiam.

Et nunc te, Dómine, deprecámur,
ut hi fámuli tui nexi fídei mandatísque permáneant,
et, uni thoro iuncti,
morum sint integritáte conspícui;
evangélii róbore communíti,
bonum Christi testimónium ómnibus maniféstent;
[in súbole sint fecúndi,
sint paréntes virtútibus comprobáti;
vídeant ambo suórum fílios filiórum]
et, dies optátæ demum senectútis adépti,
ad beatórum vitam et ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 519/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 519/9

Huius, Dómine, sacrifícii virtúte,
institúta providéntiæ tuæ pio favóre comitáre,
ut, quos sancta societáte iunxísti,
[et uno pane unóque cálice satiásti,]
una étiam fácias caritáte concórdes.
Per Christum.

Deus Pater ætérnus in mútuo vos servet amóre concórdes,
ut pax Christi hábitet in vobis,
et in domo vestra sine cessatióne permáneat.
℟. Amen.

Benedictiónem habeátis in fíliis,
ab amícis solácium,
veræ pacis cum ómnibus increméntum.
℟. Amen.

Caritátis Dei testes sitis in mundo,
ut, quos afflícti et egéni benígnos invénerint,
in ætérna Dei tabernácula vos grati aliquándo recípiant.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟. Amen.

INGRESSA Cf. Ps 144, 2. 9 520/1

Per síngulos dies benedícam tibi, Dómine,
et laudábo nomen tuum in sǽculum
et in sǽculum sǽculi,
quia suávis es univérsis,
et miseratiónes tuæ super ómnia ópera tua.

SUPER POPULUM 520/2

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto propítius,
et super hos fámulos tuos
grátiam tuam benígnus effúnde,
ut, qui apud tua coniungúntur altária,
in mútua semper caritáte firméntur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 520/3

Deus Israel coniúngat vos,
et ipse sit vobíscum,
qui misértus est duóbus únicis.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 520/4

Institúta providéntiæ tuæ, Dómine, pio favóre comitáre,
et, quos per Ecclésiam Christi sponsam
legítima societáte conéctis,
in augméntis grátiæ longéva pace custódi.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 520/5

Múnera, quæ tibi, Dómine, lætántes offérimus,
benígnus assúme,
et, quos sacraménti fœdere coniunxísti,
patérna iúgiter pietáte custódi.
Per Christum.

PRÆFATIO 520/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia novum nexuísti cum tuo pópulo testaméntum,
ut, quem mortis illíus et resurrectiónis mystério redemísses,
divínæ in ipso fáceres natúræ consórtem,
eiúsque in cælis glóriæ coherédem.

Cuius piíssimam grátiæ largitátem
in viri significásti mulierísque conúbio,
ut ad ineffábile tui amóris ac sapiéntiæ
nos revocáret quod ágitur sacraméntum.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 520/6a
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam maiestátem exórat,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et, sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic [tuo múnere desideráta súbole gaudére profícias,
atque] ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria sponsi et sponsæ fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 520/6b

... et univérso clero.
Tuis quoque, Dómine, comitáre præsídiis
hanc novam in Christo famíliam tuæ múnere caritátis exórtam,
ut, grátiæ sacraménti fidélis semper exsístens,
[ac dono fecunditátis ornáta]
Ecclésiam tuam in sanctitátem ædificáre mereátur.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 520/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius,
tuorúmque famulórum, Dómine, recordáre benígnus,
quos in Christo Fílio tuo coniugáli vínculo nexuísti,
ut concórdi dilectióne ipsíus signum caritátis exhíbeant.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 520/6d

...sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
horúmque famulórum tuórum,
qui providéntiæ tuæ consílio,
conúbii sacraménto gratiáque suscépta,
ad sanctimóniam in Christo fidéli ac mútua caritáte conténdunt,
et cuncti pópuli tui...

CONFRACTORIUM Eph 5, 32 520/7

Sacraméntum hoc magnum est,
ego autem dico de Christo et ecclésia.

ORATIO SUPER SPONSAM ET SPONSUM

Dicto Pater noster et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur.

In invitatorio, si unus ex sponsis vel ambo non communicant, omittantur verba Christi córporis sanguinísque partícipes.

In oratione Pater sancte omitti potest, pro opportunitate, una ex duabus paragraphis Pater sancte; Deus, qui, ad amóris, ea tantum retenta paragrapho, quæ respondeat lectioni missæ. Omitti quoque possunt verba uncis inclusa, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint superadulti.

In ultima paragrapho huius orationis verba uncis inclusa omittantur, si unus ex sponsis vel ambo non communicant.

Sacerdos stans, manibus iunctis, dicit:

Super hos sponsos, qui, matrimónium ineúntes, 520/7a
ad altáre divínæ salútis accédunt,
ut [Christi córporis sanguinísque partícipes]
mútua semper dilectióne nectántur,
Dóminum deprecémur.

Et omnes per breve tempus in silentio orant.

Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

Pater sancte,
qui, cum hóminem ad tuam fáceres poténter imáginem,
másculum et féminam condidísti,
ut vir et múlier, in carnis et cordis unitáte coniúncti,
suum in mundo munus implérent;

Deus, qui, ad amóris tui consílium revelándum,
in mútua dilectióne sponsórum
fœdus illud voluísti mirabíliter adumbrári,
quod ipse cum pópulo tuo iníre dignátus es,
ut, sacraménti significatióne compléta,
in tuórum fidélium coniugáli consórtio
Christi et Ecclésiæ patéret nuptiále mystérium,
super hos fámulos tuos [N. et N.]
déxteram tuam, quǽsumus, propitiátus exténde.

Præsta, Dómine, ut in huius quod íneunt sacraménti consórtio,
inter se amóris tui dona commúnicent,
et, præséntiæ tuæ signum ínvicem ostendéntes,
cor unum fiant et ánima una.
Da étiam, Dómine, ut domum, quam confidénter ædíficant,
sancta quoque operatióne susténtent,
[suósque formátos fílios evangélica disciplína
cælésti famíliæ tuæ prǽparent cooptándos].

Hanc ígitur fámulam tuam N.
tuis dignéris benedictiónibus cumuláre,
ut, uxóris complens múnera atque matris,
casta suam domum dilectióne refóveat,
et grátia semper exórnet affábili.
Hunc étiam fámulum tuum N.
cæléste, Dómine, benedictióne proséquere,
ut maríti fidélis patrísque próvidi digne persólvat offícia.

[Concéde, Pater sancte, fons vitæ totiúsque lætítiæ,
ut, qui coram te coniúgio copuláti
ad mensam tuam cúpiunt propinquáre,
ad cæléste aliquándo convívium intráre mereántur.]
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 520/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 520/9

Mensæ tuæ partícipes efféсti,
te, Dómine, súpplices exorámus,
ut, qui nuptiárum sacraménto iungúntur,
tibi semper adhǽreant,
et tuum homínibus nomen annúntient.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 520/10

Deus Pater omnípotens sua vobis gáudia largiátur,
[et vos in fíliis óptimis benedícat].
℟ Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.
℟ Amen.

Spíritus Dei sanctus suam delectábilem caritátem
in corda vestra semper effúndat.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

INGRESSA Ps 89, 14. 17ab 521/1

Reple nos mane, Dómine, misericórdia tua,
et exsultábimus et delectábimur ómnibus diébus nostris.
Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.

SUPER POPULUM 521/2

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut hi fámuli tui, nuptiárum iungéndi próvido sacraménto,
in fide, quam profiténtur, accréscant,
et tuam Ecclésiam váleant súbole ditáre fidéli.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 521/3

Deus Israel coniúngat vos,
et ipse sit vobíscum,
qui misértus est duóbus únicis.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 521/4

Hos fámulos tuos, Deus,
in te solo réspice confidéntes,
tuǽque dignáre grátiæ munéribus cumuláre,
ut in suo servent conúbio dilectiónis afféctum,
et, cum e terréna domo transíerint,
ad gáudia felíciter introducántur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 521/5

Oblatiónibus nostris, Dómine, propitiáre cleménter,
quas tibi pro his fámulis tuis
sancto copulátis fœdere perhibémus,
ut salútis mystériis
in mútua caritáte tuóque amóre firméntur.
Per Christum.

PRÆFATIO 521/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui hóminem tuæ dono cónditum pietátis
ad tantum culmen voluísti dignitátis extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;
quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ benevoléntiæ tuæ partícipem esse concédas.

Cuius conúbii sancti mystérium
dum tuæ signum dilectiónis exsístit,
amórem ineffabíliter sacrat humánum,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem cum ángelis et cælítibus univérsis
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 521/6a
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam maiestátem exórat,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias,
et, sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic [tuo múnere desideráta súbole gaudére profícias,
atque] ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria sponsi et sponsæ fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 521/6b

...et univérso clero.
Tuis quoque, Dómine, comitáre præsídiis
hanc novam in Christo famíliam tuæ múnere caritátis exórtam,
ut, grátiæ sacraménti fidélis semper exsístens,
[ac dono fecunditátis ornáta]
Ecclésiam tuam in sanctitátem ædificáre mereátur.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 521/6c

Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius,
tuorúmque famulórum, Dómine, recordáre benígnus,
quos in Christo Fílio tuo coniugáli vínculo nexuísti,
ut concórdi dilectióne ipsíus signum caritátis exhíbeant.
Omnes fílios tuos...

In Prece eucharistica quarta: 521/6d

...sed et totíus cleri,
et offeréntium,
et circumstántium,
horúmque famulórum tuórum,
qui providéntiæ tuæ consílio,
conúbii sacraménto gratiáque suscépta,
ad sanctimóniam in Christo fidéli ac mútua caritáte conténdunt,
et cuncti pópuli tui...

CONFRACTORIUM Eph 5, 32 521/7

Sacraméntum hoc magnum est,
ego autem dico de Christo et ecclésia.

ORATIO SUPER SPONSAM ET SPONSUM

Dicto Pater noster et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur. Omitti possunt verba uncis inclusa, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint superadulti.

Précibus nostris, fratres caríssimi, 521/7a
super hos sponsos benedictiónem Dei súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio,
quos ditávit conúbii sacraménto.

Et omnes per breve tempus in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

Pater sancte, mundi cónditor univérsi,
qui virum atque mulíerem
ad tuam creásti propítius imáginem,
eorúmque societátem tua voluísti benedictióne cumulári,
te pro hac sponsa humíliter deprecámur,
quæ hódie viro suo nuptiárum iúngitur sacraménto.

Super eam, Dómine, eiúsque vitæ consórtem
benedíctio tua copiósa descéndat,
[ut, dum mútuo conúbii múnere perfruúntur,
famíliam beáte fíliis Ecclesiámque multíplicent.]

Te laudent, Dómine, cum læta suscípiunt,
te quærant, Pater, cum mæróre torquéntur.
Te in labóribus sibi gáudeant adésse favéntem,
te leniéntem séntiant in necessitátibus propinquáre.
In cœtu sancto te precéntur humíliter,
tuos in mundo se testes perseveránter osténdant;
et, adépti prósperam senectútem,
cum hac amicórum, qua frequéntia coronántur,
ad cæléstia felíciter regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 521/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 521/9

Concéde, quǽsumus, Dómine, auctor salútis et vitæ,
ut accépti virtus sacraménti
in his fámulis tuis sumat augméntum,
et hóstiæ, quam obtúlimus,
a nobis ómnibus percipiátur efféctus.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 521/10

Dóminus Iesus, qui núptiis in Cana adésse dignátus est,
suam largiátur vobis benedictiónem vestrísque propínquis.

℟. Amen.

Ipse, qui Ecclésiam diléxit in finem,
amórem suum in corda vestra indesinénter effúndat.

℟. Amen.

Det vobis Dóminus,
ut, suæ resurrectiónis fidem sine timóre testántes,
beátam spem exspectétis in gáudio.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟. Amen.

In anniversariis matrimonii, præsertim vero in XXV et L anniversario, dici potest, quando permittuntur missæ pro variis necessitatibus, missa pro gratiis Deo reddendis (pp. 1103-1106), vel missæ quæ infra ponuntur.

INGRESSA Ps 19, 3. 5 522/1
Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto,
et de Sion tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum,
et omne consílium vestrum adímpleat.

SUPER POPULUM 522/2
Deus, creátor ómnium,
qui virum et féminam in princípio condidísti,
ut vínculum constitúerent coniugále,
uniónem horum famulórum tuórum bénedic et confírma,
ut coniunctiónis Christi cum Ecclésia
imáginem semper perfectiórem exhíbeant.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 522/3
Deus Israel coniúnxit vos,
ipse sit semper vobíscum.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 522/4
Institúta providéntiæ tuæ, Dómine, pio favóre comitáre,
et, quos per Ecclésiam Christi sponsam
societáte legítima nexuísti,
in augméntis grátiæ longéva pace custódi.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 522/5
Deus, qui a látere Christi sánguinem et aquam manáre fecísti
ad humánæ regeneratiónis significánda mystéria,
múnera nostra in gratiárum actiónem
pro his fámulis tuis dignáre suscípere,
et eórum coniúgium tuis donis ómnibus munerári.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 522/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui hóminem tuæ dono cónditum pietátis
ad tantum culmen voluísti dignitátis extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;
quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ benevoléntiæ tuæ
partícipem esse concédas.

Cuius conúbii sancti mystérium
dum tuæ signum dilectiónis exsístit,
amórem ineffabíliter sacrat humánum,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem cum ángelis et sanctis ómnibus te laudámus,
et hymnum glóriæ tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Pro opportunitate, seligi potest etiam alia præfatio missarum pro sponsis (pp. 923, 929 et 934).

CONFRACTORIUM Ps 106, 1 522/7

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sæculum misericórdia eius.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 522/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 522/9a

Supérno cibo, Dómine, potúque reféctis,
his fámulis tuis in gáudio et caritáte corda diláta,
ut sit eórum domus sedes honestátis et pacis,
et ómnibus ad consolatiónes páteat caritátis.
Per Christum.

vel, cum coniuges non communicantur: 522/9b

Concéde, quǽsumus, Dómine, auctor salútis et vitæ,
ut accépti virtus sacraménti
in his fámulis tuis sumat augméntum,
et hóstiæ, quam obtúlimus,
a nobis ómnibus percipiátur efféctus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 19, 3.5 523/1

Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto,
et de Sion tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum,
et omne consílium vestrum adímpleat.

SUPER POPULUM 523/2

Dómine, qui hos fámulos tuos
matrimónii nexu indissolúbili coniunxísti,
et animórum communióne dignátus es
inter labóres et gáudia sustentáre,
eórum, quǽsumus, auge et purífica caritátem,
ut mútua [cum prole sua] sanctificatióne læténtur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 523/3

Deus Israel coniúnxit vos,
ipse sit semper vobíscum.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 523/4

Hos fámulos tuos, Deus,
in te solo réspice confidéntes,
tuǽque dignáre grátiæ munéribus cumuláre,
ut in suo servent conúbio dilectiónis afféctum,
et, cum e terréna domo transíerint,
ad gáudia felíciter introducántur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 523/5

Hæc múnera, Dómine, dignánter assúme,
quæ pro his fámulis tuis
in gratiárum offérimus actiónem,
ut exínde pacem et gáudium abundánter exháuriant.
Per Christum.

PRÆFATIO 523/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui hóminem tuæ dono cónditum pietátis
ad tantum culmen voluísti dignitátis extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;
quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ benevoléntiæ tuæ
partícipem esse concédas.

Cuius conúbii sancti mystérium
dum tuæ signum dilectiónis exsístit,
amórem ineffabíliter sacrat humánum,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem cum ángelis et sanctis ómnibus te laudámus,
et hymnum glóriæ tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Pro opportunitate, seligi potest etiam alia præfatio missarum pro sponsis (pp. 923, 929 et 934).

CONFRACTORIUM Ps 106, 1 523/7

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 523/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 523/9a

Deus, qui ad mensam famíliæ tuæ hos cóniuges
[cum líberis et amícis] propítius admisísti,
da eis sic alácriter
in mútuam communiónem fortitérque procédere,
ut usque ad cæléste convívium tuo múnere coniungántur.
Per Christum.

vel, cum coniuges non communicantur:

Concéde, quǽsumus, Dómine, auctor salútis et vitæ, 523/9b
ut accépti virtus sacraménti
in his fámulis tuis sumat augméntum,
et hóstiæ, quam obtúlimus,
a nobis ómnibus percipiátur efféctus.
Per Christum.

INGRESSA Ps 19, 3. 5 524/1

Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto,
et de Sion tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum,
et omne consílium vestrum adímpleat.

SUPER POPULUM 524/2

Deus, Pater omnípotens,
dignáre hos cóniuges cleménter aspícere
[cum súbole sua, quam ad vitam fidémque genuérunt]
pro bonis longǽvæ conversatiónis opéribus,
et eórum fructíferam bénedic senectútem,
sicut eórum caritátis primítias
sacraménto mirábili confirmásti.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Tob 7, 15; 8, 19 524/3

Deus Israel coniúnxit vos,
ipse sit semper vobíscum.
Et nunc, Dómine, fac eos plénius benedícere te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 524/4

Hos fámulos tuos, Deus,
in te solo réspice confidéntes,
tuǽque dignáre grátiæ munéribus cumuláre,
ut in suo servent conúbio dilectiónis affléctum,
et, cum e terréna domo transíerint,
ad gáudia felíciter introducántur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 524/5

Hæc múnera, Deus, dignánter assúme,
quæ pro his fámulis tuis
in gratiárum offérimus actiónem,
qui tot annos una simul fídei sinceritáte vixérunt,
et ómnia bona unitátis et pacis a tua póstulant largitáte.
Per Christum.

PRÆFATIO 524/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui hóminem tuæ dono cónditum pietátis
ad tantum culmen voluísti dignitátis extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;
quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ benevoléntiæ tuæ
partícipem esse concédas.

Cuius conúbii sancti mystérium
dum tuæ signum dilectiónis exsístit,
amórem ineffabíliter sacrat humánum,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem cum ángelis et sanctis ómnibus te laudámus,
et hymnum glóriæ tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Pro opportunitate, seligi potest etiam alia præfatio missarum pro sponsis (pp. 923, 929 et 934).

CONFRACTORIUM Ps 106, 1 524/7

Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 25. 27 524/8

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam exhibéret sibi sanctam et immaculátam.

POST COMMUNIONEM 524/9

Mensæ tuæ pasti delíciis, te, Dómine, deprecámur,
ut hos cóniuges in sancta senectúte custódias,
donec ambos plenos diérum
ad tuum admíttas cæléste convívium.
Per Christum.

525 10 IN BENEDICTIONE ABBATIS ET ABBATISSÆ

Hæc missa dicitur cum colore albo.

INGRESSA Io 15, 16 525/1

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 525/2

Concéde, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.,
quem elegísti huius N. communitátis abbátem,
ut factis et doctrína ad ea quæ recta sunt
fratrum suórum ánimos moderétur,
quátenus ætérnæ remuneratiónis mercédem
a te, Pastóre piíssimo,
una cum ipsis lætus accípiat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 525/3

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 525/4

Fámulum tuum N. spíritu sapiéntiæ, Pater, adímple,
quem ad hanc famíliam regéndam instruendámque vocásti,
nosque beneplácito tuo fac semper accéptos,
atque grátia tua in vocatiónis nostræ fidelitáte confírma.
Per Christum.

SUPER OBLATA 525/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
tuórum múnera famulórum,
et præsta, ut, seípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
vera humilitáte, obœdiéntia et pace
iúgiter repleántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 525/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 20, 28 525/7

Fílius hóminis non venit ministrári sed ministráre
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

TRANSITORIUM Io 10, 10b 525/8

Ego veni, ut vitam hábeant
et abundántius hábeant.

POST COMMUNIONEM 525/9

Famíliam tuam, Dómine, réspice miserátus,
et nos, qui fídei celebrávimus cum humilitáte mystérium,
fac per sémitas evangélii indesinénter cúrrere,
ac te in ómnibus confitéri.
Per Christum.

11 IN CONSECRATIONE VIRGINUM

Hæc missa dicitur cum colore albo.

526 I

INGRESSA Ps 30, 15-16a 526/1

In te sperávi, Dómine;
dixi: Deus meus es tu,
in mánibus tuis sortes meæ.

SUPER POPULUM 526/2

Deus, qui Unigénitum Fílium tuum
ex Matre semper vírgine
nobis in carne dignátus es míttere,
his ancíllis tuis perseverántiam
in strénuo virginitátis concéde propósito,
ut Sponsum præstolári sciant cum spe certíssima
sempitérni in ipso fídei suæ prǽmii consequéndi.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Mt 25, 10 526/3

Veniénte sponso, prudens virgo præparáta
introívit cum eo ad núptias.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 526/4

His ancíllis tuis, Dómine,
quæ vírginum hódie consecratiónem
te suscípiunt largiénte,
concéde, quǽsumus,
ut Christum sponsum per viam crucis
perseveránti consílio prosequántur,
et in Ecclésiæ servítio
ipsum Dóminum adventúrum
cum gáudio dilectiónis exspéctent.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 526/5

In hæc múnera, Dómine,
et in has ancíllas tuas, quæ tibi se dédicant,
inténde placátus,
et, sicut Christus in hoc sacrifício quod commemorámus
per crucis solitúdinem nos redémit,
præsta, ut ipsæ libénter a mundo se séparent,
tuǽque penítius confórment salvíficæ voluntáti.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 526/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui pródiens in terras, ut nobis amíssa reférret,
puriórem carnis suæ generatiónem reperíre non pótuit,
quam ut habitatióni própriæ aulam Vírginis dedicáret,
in qua et Dei templum esset et immaculátæ sacrárium castitátis.

Unde fecunditátem illam cum gáudio celebrámus,
quæ de sancti Spíritus virtúte procédit,
et opus mirabíliter salútis exténdit
ab ipso Fílio tuo nostróque Dómino revelátum.

Cum quo univérsa collætátur Ecclésia
ætérnis tuis clementibúsque consíliis
suos cernens libénter fílios adhærére,
et choris angélicis coniúncta tibi cóncinit reverénter:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 526/6a
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
ártius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum gloriόse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria virginum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 526/6b

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quas spiritáli hódie unctióne sacrásti;
ut, caritátis et fídei accénsis lampádibus,
tibi et pópulo tuo constánter desérviant,
Christi sponsi exspectántes advéntum.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 526/6c

... et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 526/6d

... sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quas hódie divíno cúltui
et hóminum servítio perpétuo dicásti,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM 526/7

Corpus tuum frángitur, Christe;
calix benedícitur.
Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam,
ad salvándas ánimas, Deus noster.

TRANSITORIUM 526/8

Christus nobis sit cibus,
potúsque noster sit fides;
læti bibámus sóbriam
ebrietátem Spíritus.

POST COMMUNIONEM 526/9

De hoc, Dómine, dilectiónis convívio grátias referéntes,
quǽsumus, ut has tuas fámulas tueáris,
quæ tibi integritátis suæ stúdium dedicárunt,
ut ad cæléstem quondam mensam
Christi sponsi ac regis sui mereántur intráre.
Qui vivit.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 526/10

Dóminus Deus noster,
Pater caritátis et glóriæ,
qui sigíllum in corde vestro pósuit in baptísmo,
et illud hac renováre consecratióne dignátur,
vos ipse perfíciat,
et in fide válido vigóre confírmet.
℟ Amen.

Christus Dóminus,
qui sibi sponsáli vínculo vos coniúnxit,
exspectatiónem vestram verbo suo refovére dignétur,
ut eum semper mereámini cum gáudio meditári,
et eius advéntum ómnibus speráre moméntis.
℟ Amen.

Spíritus sanctus,
qui supervénit in Vírginem,
quique corda vestra hódie suo sacrávit illápsu,
ad Dei Ecclesiǽque servítium vos veheménter accéndat.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

INGRESSA Ps 104, 4-5a 527/1

Quǽrite Dóminum et poténtiam eius,
quǽrite fáciem eius semper.
Mementóte mirabílium eius, quæ fecit.

SUPER POPULUM 527/2

Deus, qui candóre sic vírginum delectáris,
ut Matrem Fílii tui volúeris tali honóre iúgiter præfulgére,
et illárum chorum Agni præ céteris esse sequácem,
da famulábus istis plenum in te dilectiónis afféctum,
ut lætæ mereántur a Christo sponso in cæléstibus coronári.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Mt 19, 29 527/3

Omnis, qui relíquit domos
vel fratres aut soróres aut patrem aut matrem
aut fílios aut agros
propter nomen meum,
céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 527/4

Da, quǽsumus, Dómine,
his famulábus tuis,
quibus virginále infudísti propósitum,
efféctum inchoáti óperis consummátum,
et, ut plenitúdinem tibi váleant offérre perféctam,
inítia sua perdúcere mereántur ad finem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 527/5

Oblátis hóstiis, quǽsumus, Dómine,
his famulábus tuis
perseverántiam suscépti propósiti
benígnus accómmoda,
ut, apértis iánuis, summi Regis advéntu,
regnum cæléste cum lætítia mereántur intráre.
Per Christum.

PRÆFATIO 527/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Quando adhibetur Prex eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 527/6a
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
ártius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria virginum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 527/6b

...et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quas spiritáli hódie unctióne sacrásti;
ut, caritátis et fídei accénsis lampádibus,
tibi et pópulo tuo constánter deséviant,
Christi sponsi exspectántes advéntum.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 527/6c

... et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 527/6d

... sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quas hódie divíno cúltui
et hóminum servítio perpétuo dicásti,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM Ap 19, 7. 9 527/7

Gaudeámus et exsultémus
et demus glóriam Dómino Deo nostro,
quia venérunt núptiæ Agni.
Beáti qui ad cenam nuptiárum Agni vocáti sunt.

TRANSITORIUM Ps 41, 2 527/8

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

POST COMMUNIONEM 527/9

Sacris, Dómine, repléti munéribus,
súpplices deprecámur,
ut harum famulárum tuárum conversátio
et proféctui constánter fáveat societátis humánæ
et ad Ecclésiæ indesinénter profíciat increméntum.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 527/10

Omnípotens Pater,
beátæ virginitátis propósitum,
quod pectóribus vestris infúndit,
sua inviolátum protectióne custódiat.
℟ Amen.

Dóminus Iesus,
qui sacrárum vírginum corda
sponsáli fœdere sibi iungit,
mentes vestras divíni verbi satióne fecúndet.
℟ Amen.

Spíritus sanctus,
qui supervénit in Vírginem,
quique corda vestra hódie suo sacrávit illápsu,
ad Dei Ecclesiǽque servítium vos veheménter accéndat.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

12 IN PROFESSIONE RELIGIOSORUM

Hæc missa dicitur cum colore albo.

528 1 IN DIE PRIMÆ PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

INGRESSA Cf. Ps 39, 8-9 528/1

Ecce vénio, Dómine,
ut fáciam voluntátem tuam.
Vólui legem tuam in médio cordis mei.

SUPER POPULUM 528/2

Deus, qui frátribus (soróribus) his nostris
sectándi Christi préssius propósitum tribuísti,
éxitum ipsis incépti itíneris concéde felícem,
ut suæ devotiónis munus tibi mereántur offérre perféctum.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 118, 1-2 528/3

Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.
Beáti, qui servant testimónia eius,
in toto corde exquírunt eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 528/4

Stúdium, Dómine,
fratrum nostrórum (sorórum nostrárum) propítius intuére,
quo angústum fidénter iter perfectiónis arrípiunt,
ut in sancto servítio tuo hílares semper gradiántur et fortes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 528/5

Dignáre, Dómine, oblatiónes et preces
quas exhibémus excípere,
religiósæ professiónis famulórum tuórum (famulárum tuárum)
primórdia celebrántes,
quorum primítiæ in fructus ubérrimos tua grátia convertántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 528/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit
regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Dici potest etiam præfatio prioris missæ in consecratione virginum (p. 948).

In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas commemoratur:

I PRO VIRIS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 528/6a
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe
et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio
mereántur admítti.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 528/6b

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi devóte dicárunt,
et concéde, ut ad te semper corda mentésque érigant,
noménque tuum gloríficent.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 528/6c

... pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
sincéra mente tibi se devinxérunt,
et fac, ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam man,féstent
Christi redemptióne comparátam.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 528/6d

... sed et totíus cleri,
et istórum fratrum,
qui professióne fidéli
hódie tibi ártius consecrántur,
et offeréntium,
et circumstántium...

II PRO MULIERIBUS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium: 528/6e

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
ártius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professarum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 528/6f

...et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ propter te ómnia reliquérunt,
ut te in ómnibus invenírent,
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 528/6g

...pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 528/6h

...sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quæ sacro religiónis pígnore
tibi sincéro corde se hódie consecrárunt,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM Ap 19, 7. 9 528/7

Gaudeámus et exsultémus
et demus glóriam Dómino Deo nostro,
quia venérunt núptiæ Agni.
Beáti qui ad cenam nuptiárum Agni vocáti sunt.

TRANSITORIUM Mc 3, 35 528/8

Qui fécerit voluntátem Dei,
hic frater meus et soror mea et mater est.

POST COMMUNIONEM 528/9

Lætíficent nos, Dómine, sumpta mystéria,
quorum virtúte, quǽsumus, hi fámuli tui (hæ fámulæ tuæ)
inchoáta religiónis múnera constánter adímpleant,
et líberam tibi exhíbeant servitútem.
Per Christum.

Deus, bonárum inspirátor voluntátum,
vestra fóveat consília animósque corróboret,
ut, quæ promisístis, íntegra fide constantíque servétis.
℟ Amen.

Ipse concédat vobis,
ut artam viam, quam elegístis,
in Christo gáudio percurrátis,
ónera fratrum cum exsultatióne portántes.
℟ Amen.

Cáritas Dei famíliam ex vobis effíciat
in nómine Dómini congregátam,
quæ Christi amóris reddat imáginem.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

2 IN DIE PROFESSIONIS PERPETUÆ

529 I

INGRESSA Ps 121, 1-2 529/1

Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
In domum Dómini íbimus.
Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem.

SUPER POPULUM 529/2

Deus, qui in his fámulis (famulábus) tuis
baptísmatis grátiam tanta voluísti frondére virtúte,
ut Fílii tui vestígia gressu sequi propióre conténderent,
concéde, ut, in evangélicam ipsi (ipsæ)
perfectiónem iúgiter incumbéntes,
Ecclésiæ adáugeant sanctitátem,
eiúsque váleant vigórem apostólicum confirmáre.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 16, 24 529/3

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 529/4

Vota, Dómine, famulórum tuórum (famulárum tuárum)
cleménti pietáte confírma,
qui (quæ) perféctæ prósequi trámitem conversatiónis inténdunt,
ut tibi soli nunc et in cælis semper adhǽreant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 529/5

Famulórum tuórum (Famulárum tuárum), Dómine,
múnera et vota benígnus assúme,
et evangélica illos (illas) consília profiténtes
tua in dies potióre caritáte confírma.
Per Christum.

PRÆFATIO 529/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit
regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Dici potest etiam præfatio prioris missæ in consecratione virginum (p. 948).

In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas commemoratur:

I PRO VIRIS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 529/6a
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe
et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio
mereántur admítti.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 529/6b

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde, ut ad te semper corda mentésque érigant,
noménque tuum gloríficent.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 529/6c

... pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac, ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam manìféstent
Christi redemptióne comparátam.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 529/6d

... sed et totíus cleri,
et istórum fratrum,
qui professióne perpétua
hódie tibi ártius consecrántur,
et offeréntium,
et circumstántium...

II PRO MULIERIBUS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 529/6e
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
ártius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professarum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 529/6f

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ propter te ómnia reliquérunt,
ut te in ómnibus invenírent,
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 529/6g

... pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 529/6h

... sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quæ sacro religiónis pígnore
tibi perpétuo se hódie consecrárunt,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM Gal 2, 19b-20a 529/7

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.

TRANSITORIUM Io 12, 24 529/8

Amen, amen dico vobis:
Nisi granum fruménti
cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.

POST COMMUNIONEM 529/9

Divínis mystériis veneránter assúmptis,
te, Dómine, súpplices deprecámur,
ut hos fámulos tuos (has fámulas tuas),
sacra tibi oblatióne devínctos (devínctas),
et sancti Spíritus igne succéndas
et Fílio tuo perénni communióne consócies.
Qui vivit.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 529/10

Deus, bonárum inspirátor voluntátum,
vestra fóveat consília animósque corróboret,
ut, quæ promisístis, íntegra fide constantíque servétis.
℟ Amen.

Ipse concédat vobis,
ut artam viam, quam elegístis,
in Christi gáudio percurrátis,
ónera fratrum cum exsultatióne portántes.
℟ Amen.

Cáritas Dei famíliam ex vobis effíciat
in nómine Dómini congregátam,
quæ Christi amóris reddat imáginem.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

INGRESSA Mt 19, 21 530/1

Si vis perféctus esse, vade,
vende, quæ habes, et da paupéribus,
et habébis thesáurum in cælo;
et veni, séquere me, dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 530/2

Dignáre, Dómine, sancte Pater,
famulórum tuórum (famulárum tuárum)
benígnus confirmáre propósitum,
ut baptísmatis grátia,
quam novis cúpiunt néxibus roborári,
plenum in eis sumat efféctum,
quo débitum cultum tuæ retríbuant maiestáti,
et apostólico Christi regnum ardóre dilátent.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 65, 13-14a 530/3

Introíbo in domum tuam in holocáustis;
reddam tibi vota mea,
quæ protulérunt lábia mea.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 530/4

Qui (Quæ) tibi vocánti tota se virtúte dicárunt,
hos (has), Dómine, fámulos tuos (fámulas tuas)
inúnda tuæ grátiæ largitáte,
ut angústam perfectiónis viam lætis gréssibus prosequántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 530/5

Múnera famulórum tuórum (famulárum tuárum),
Dómine, cleménter assúme,
atque in sacraméntum redemptiónis ipsa convérte,
ut, quos (quas) ad Fílium tuum préssius imitándum
patérna dispensatióne vocásti,
donis sancti Spíritus replére dignéris.
Per Christum.

PRÆFATIO 530/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Dici potest etiam præfatio prioris missæ in consecratione virginum (p. 948).

In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas commemoratur:

I PRO VIRIS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 530/6a
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio mereántur admítti.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 530/6b

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,

qui hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde,
ut ad te semper corda mentésque érigant,
noménque tuum gloríficent.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 530/6c

...pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac, ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam manRéstent
Christi redemptióne comparátam.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 530/6d

...sed et totíus cleri,
et istórum fratrum,
qui professióne perpétua
hódie tibi ártius consecrántur,
et offeréntium,
et circumstántium...

II PRO MULIERIBUS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 530/6e
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
ártius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professarum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 530/6f

... et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine,
istárum sorórum,
quæ propter te ómnia reliquérunt,
ut te in ómnibus invenírent,
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 530/6g

... pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 530/6h

... sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quæ sacro religiónis pígnore
tibi perpétuo se hódie consecrárunt,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM Io 15, 15 530/7

Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid facit dóminus eius;
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

TRANSITORIUM Ps 33, 9 530/8

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

POST COMMUNIONEM 530/9

Lætíficet sic nos, Dómine,
confirmáti propósiti hodiérna sollémnitas
ac divíni sacraménti veneránda percéptio,
ut geminátum devotiónis munus,
tua grátia largiénte,
in Ecclésiæ hominúmque servítium
veheménti caritáte compéllat.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ 530/10

Deus, sancti consílii inspirátor et auctor,
sua vos constánter grátia tueátur,
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.
℟ Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes testimónium signúmque perspícuum.
℟ Amen.

Et víncula, quibus Christo
vos néxuit peramánter in terris,
in cælórum benígnus mansióne perpétuet.
℟ Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

INGRESSA Ps 121, 1-2 531/1a

Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
In domum Dómini íbimus.
Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem.

vel Mt 19, 21 531/1b

Si vis perféctus esse, vade,
vende, quæ habes, et da paupéribus,
et habébis thesáurum in cælo;
et veni, séquere me, dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 531/2

**Deus, rerum dispósitor et hóminum moderátor,
réfove hos fílios tuos (has fílias tuas),
qui (quæ) oblatiónem sui cúpiunt confirmáre,
ut Ecclésiæ mystério in dies ártius coniungántur,
et humánæ famíliæ salúti devoveántur impénsius.
Per Dóminum.**

POST EVANGELIUM Mt 16, 24 531/3a

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam
et sequátur me, dicit Dóminus.

vel Ps 65, 13-14a 531/3b

Introíbo in domum tuam in holocáustis;
reddam tibi vota mea,
quæ protulérunt lábia mea.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 531/4

**Dómine, qui ómnia pro te relinquéntibus
céntuplum in præsénti vitámque largíris ætérnam,
renovátam frátribus (soróribus) nostris
tanti tui múneris concéde lætítiam,
qui (quæ) perféctius te díligant,
donec te pleníssime potiántur.
Qui vivis.**

SUPER OBLATA 531/5

Pópuli tui, Dómine, múnera propítius intuére,
quæ fratres nostri (soróres nostræ)
sui oblatióne cúmulant innováta,
eósque eásque magis ad Fílii tui imáginem usque confórmans,
nobis ómnibus in sacraméntum æternitátis
temporália dona convérte.
Per Christum.

PRÆFATIO 531/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Dici potest etiam præfatio prioris missæ in consecratione virginum (p. 948).

In Precibus eucharisticis, professorum oblatio secundum has formulas commemoratur:

I PRO VIRIS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum innovátæ professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;

ut qui, te largiénte,
vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio mereántur admítti.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professorum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 531/6b

...et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie fidéliter sui oblatiónem cúpiunt innováre,
et concéde, ut ad te semper corda mentésque érigant,
noménque tuum gloríficent.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 531/6c

...pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis víncula
sincéro corde confirmáre peróptant,
et fac, ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam maniféstent
Christi redemptióne comparátam.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 531/6d

...sed et totíus cleri,
et istórum fratrum,
qui professiónis suæ propósita
fidéli mente renováre conténdunt,
et offeréntium,
et circumstántium...

II PRO MULIERIBUS

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 531/6e
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum innovátæ professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine, placátus áccipe et propitiátus sanctífica;

ut quæ, te largiénte,
ártius se Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

Quando adhibetur alia Prex eucharistica, memoria professarum fit hoc modo:

In Prece eucharistica secunda: 531/6f

...et univérso clero.
Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ propter te ómnia reliquérunt,
ut te in ómnibus invenírent,
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.
Meménto étiam...

In Prece eucharistica tertia: 531/6g

...pópulo acquisitiónis tuæ.
Confortáre quoque, Dómine, in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ Fílium tuum pia student devotióne sectári,
evangélicæ vitæ testimónium
atque fratérnæ dilectiónis exhibéntes.
Votis huius famíliæ...

In Prece eucharistica quarta: 531/6h

...sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quæ sacrum religiónis pignus
hódie renováre conténdunt,
et offeréntium,
et circumstántium...

CONFRACTORIUM Gal 2, 19b-20a 531/7a

Christo confíxus sum cruci:
vivo autem iam non ego,
vivit vero in me Christus.

vel Io 15, 15 531/7b

Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid facit dóminus eius;
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

TRANSITORIUM Io 12, 24 531/8a

Amen, amen dico vobis:
Nisi granum fruménti
cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.

vel Ps 33, 9 531/8b

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

POST COMMUNIONEM 531/9

**Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
súpplices te rogámus,
ut hi fámuli tui (hæ fámulæ tuæ),
qui (quæ), supérna grátia tantum confísi (confísæ),
árdua propósita renovárunt,
Christi virtúte roboréntur,
et sancti Spíritus muniántur auxílio.
Per eúndem Christum.**

532 4 IN XXV VEL L ANNIVERSARIO PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

Cantus et præfatio sumuntur, pro opportunitate, ab una e missis præcedentibus (pp. 955-970).

SUPER POPULUM 532/2

Dómine, Deus fidélis,
da nobis grátias tibi cum devotióne persólvere
pro tuæ erga fratrem nostrum (sorórem nostram) N.
benignitátis indíciis,
qui (quæ) accéptum a te donum
hódie renováre conténdit.
Róbora in eo (ea) perféctæ spíritum caritátis,
ut glóriæ tuæ operíque salútis
in dies váleat fervéntius inservíre.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 532/4

Stúdium, Dómine,
fratris nostri (sorória nostræ) N. propítius intuére,
quo angústum fidénter iter perfectiónis arrípuit,
ut in sancto servítio tuo hílaris semper gradiátur et fortis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 532/5

Súscipe, Dómine, una cum munéribus nunc delátis,
quam sui oblatiónem hódie
frater noster (soror nostra) N. confirmáre desíderat,
et per virtútem sancti Spíritus
imágini dilécti Fílii tui
ámplius eum (eam) conformáre dignéris.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 532/9

Súmpsimus, Dómine, corpus et sánguinem Fílii tui,
quæ in iucúnda celebratióne huius anniversárii contulísti,
ac te pro fratre nostro (soróre nostra) N. humíliter exorámus,
ut incépti ad te ducéntis itíneris
felícem progréssum váleat obtinére.
Per Christum.

13 IN DIE DEDICATIONIS ECCLESIÆ

533 1 IN DEDICATIONE ECCLESIÆ

Hæc missa dicitur cum colore albo.

INGRESSA Cf. 1 Reg 8, 22. 29 533/1

Dómine, sint óculi tui apérti super domum istam die ac nocte,
ut exáudias nos in loco,
in quo iussísti invocári nomen tuum.

SUPER POPULUM 533/2

Omnípotens sempitérne Deus,
super hunc locum grátiam tuam dignáre largus effúndere,
et ómnibus te invocántibus auxílii tui munus impénde,
ut hic verbi tui et sacramentórum virtus
ómnium fidélium corda confírmet.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 62, 6 533/3

Fundaménta tua, Sion, non moveántur, dicit Dóminus.
Supra muros tuos salutáre præsídium,
et in ingréssu portárum tuárum permanébit lætítia et gáudium.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 533/4

Quǽsumus, Deus omnípotens, supplicántes,
ut hoc in loco,
quem indígni nómini tuo humilésque dicávimus,
cunctis peténtibus aures tuæ pietátis accómmodes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 533/5

Accépta tibi sint, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ,
ut pópulus tuus, in hanc domum sanctam cum pietáte convéniens,
his mystériis salútem perpétuam consequátur.
Per Christum.

PRÆFATIO 533/6a

In ritu dedicationis:

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, Pater ætérne, grátias ágere.

Qui templum glóriæ tuæ univérsum mundum esse fecísti,
ut nomen tuum clarificarétur ubíque,
sed et loca non rénuis tibi sacrári divínis apta mystériis.

Hanc ergo oratiónis domum, humáno labóre constrúctam,
maiestáti tuæ cum lætítia dedicámus,
in qua veri Templi adumbrátur mystérium,
et cæléstis Ierúsalem prænotátur imágo.

Corpus enim Fílii tui, ex alma Vírgine generátum,
templum tibi sacrátum mirabíliter effecísti,
in quo divinitátis inhabitáret ineffábilis plenitúdo.

Ecclésiam autem voluísti sanctam constitúere civitátem,
super apostolórum ædificátam stábile fundaméntum,
summo angulári lápide ipso Christo Iesu;
sed eléctis quoque lapídibus construéndam,
Spíritu vivificátis, caritáte coniúnctis,
ubi tu ómnis ómnibus eris per sǽcula sempitérna,
et Christi lumen perénne fulgébit.

Per quem nos, Dómine, cum ángelis cunctísque cælítibus
te confitémur, in exsultatióne dicéntes:

In aliis missis: 533/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui templum hoc hodiérna festivitáte collústras,
quod tibi dicátum vota nostra súscipit et devotiónis obséquia
ad salútis humánæ mystéria celebránda.

Sed et Ecclésiam illam gloriósam suo nitóre figúrat,
quam mýsticis ornátum virtútibus de terris mittis ad cælum.

Hæc est enim, Dómine, mater fecúnda vivéntium,
et ómnibus in te credéntibus
sacraméntum vitæ salutísque perpétuæ.

Hæc est sponsa Agni tui, ipsíus honóre illustráta mirábili,
pro qua, clementíssime Pater,
Unigénitus tuus crucem pértulit adversariúmque devícit.

Unde, et a dextris tuis in cæléstibus constitúta
ac suórum filiórum decoráta virtúte,
maiestátem tuam trina voce interpelláre non cessat.

Quam et omnis chorus célebrat angelórum
eísque sociátus cœtus noster sine fine colláudat:

In Prece eucharistica prima, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, 533/6a
sed et famulórum tuórum,
qui hanc ecclésiam [in honórem N. N.]
fidéli tibi ánimo obtulérunt
vel indefésso ædificárunt labóre,
quǽsumus, Dómine, ut placátus suscípias.
[Per Christum Dóminum nostrum. Amen.]

In intercessionibus Precis eucharisticæ tertiæ, post verba pópulo acquisitiónis tuæ, dicitur:

Votis huius famíliæ, quæ hanc tibi dicat ecclésiam, 533/6b
adésto propítius:
sit ei domus salútis et aula cæléstium sacramentórum;
hic résonet evangélium pacis,
et sacra mystéria celebréntur,
quibus fidéles tui, verbo vitæ ac divína grátia instrúcti,
per temporálem civitátem peregrinántes
ad ætérnam Ierúsalem perveníre mereántur,
in qua omnes fílios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus adiúngas.
Fratres nostros defúnctos...

CONFRACTORIUM Eph 2, 19 533/7

Iam non estis extránei et ádvenæ,
sed estis concíves sanctórum et doméstici Dei.

TRANSITORIUM Cf. 1 Petr 2, 4-5a 533/8

Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum,
coram Deo eléctum, pretiósum,
et ipsi tamquam lápides vivi ædificámini
domus spirituális in sacerdótium sanctum.

POST COMMUNIONEM

533/9

His sacris quæ súmpsimus, Dómine,
tuam in méntibus nostris multíplica claritátem,
ut, qui te in templo sancto et ubíque
in spíritu ac veritáte fiduciáliter adorámus,
in domo glóriæ tuæ cum eléctis tandem ómnibus collætémur.
Per Christum.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

Deus, cæli et terræ dóminus atque rector,
qui ad huius domus dedicatiónem vos hódie congregávit,
ipse vos cælésti benedictióne fáciat abundáre.
℟ Amen.

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum sancti Spíritus non indígnum,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in suo Fílio congregári.
℟ Amen.

Quátenus, felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum sanctis ómnibus possidére.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

Cantus sumuntur ex missa in dedicatione ecclesiæ (pp. 976-978).

SUPER POPULUM 534/2

Deus, qui ad Fílium tuum in ara crucis exaltátum
ómnia tráhere voluísti,
cælésti grátia tuos perfúnde fidéles
hanc tibi mensam altáris rite dicántes,
ad quam eos in unum enútries congregátos,
et in dies constítues plebem tibi Spíritus effusióne sacrátam.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 534/4

Quǽsumus, Deus omnípotens, supplicántes,
ut de hoc altári,
quod indígni nómini tuo humilésque dicávimus,
cunctis peténtibus aures tuæ pietátis accómmodes.
Per Christum.

SUPER OBLATA 534/5

Quǽsumus, Dómine, Deus noster,
Spíritus tuus sanctus super hoc altáre descéndat,
qui et pópuli tui dona sanctíficet
et suméntium corda dignánter emúndet.
Per Christum.

PRÆFATIO 534/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus sacérdos et hóstia vera salútis efféctus,
sacrifícii, quod ipse tibi vóluit in ara crucis offérre,
memoriále nobis præcépit in perpétuum celebráre.

Ideo pópulus tuus hoc eréxit altáre,
quod tibi, Dómine, dicámus in gáudio.

Hic est vere locus excélsus,
ubi Christi sacrifícium in mystério iúgiter perhibétur,
tibi laus perfécta tribúitur,
ac nostra fit redémptio manifésta.

Hic domínica mensa parátur,
ad quam fílii tui, Christi córpore roboráti,
in unam sanctámque congregántur Ecclésiam.

Hic possunt Spíritum tuum hauríre fidéles
de flumínibus a Christo, spiritáli petra, manántibus,
per quem et ipsi fiunt oblátio sancta, vivum altáre.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et cælítibus univérsis
te confitémur in exsultatióne dicéntes:

POST COMMUNIONEM

534/9

Da nobis, Dómine, tuis semper altáribus inhærére,
ubi sacraméntum sacrifícii celebrátur,
ut, fide et caritáte coniúncti,
dum Christo refícimur,
transformémur in Christum.
Qui vivit.

BENEDICTIO IN FINE MISSÆ

534/10

Deus, qui regáli sacerdótio vos exórnat,
tríbuat ut, munus vestrum sancte perficiéntes,
Christi sacrifícium digne participáre valeátis.
℟ Amen.

Et, qui ad unam mensam vos cóngregat
unóque pane restáurat,
ex vobis cor unum unámque ánimam dignétur effícere.
℟ Amen.

Ut eos, quibus Christum annuntiátis,
ad Christum trahátis vestræ dilectiónis exémplo.
℟ Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus sanctus.
℟ Amen.

MISSAE ET ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

Commoditatis causa plures proponuntur missæ cum omnibus elementis, nempe cantibus, orationibus et præfationibus. Attamen sacerdoti licet, pro opportunitate, cantus, orationes et præfationes inter se commutare, eligendo ex ipsis textus, qui sub respectu pastorali aptiores videntur, mutatis tamen genere aut numero.

1 Una simul colliguntur in hac parte missæ et orationes, quæ in pluribus rerum adiunctis adhiberi possunt, pro variis necessitatibus aut occasionibus.

2 Semper licet sacerdoti omnes orationes et præfationes huius seriei, vel etiam solam orationem super populum, in missa de feriis « per annum » adhibere.

I PRO SANCTA ECCLESIA

1 PRO ECCLESIA UNIVERSALI

535 I

INGRESSA Eph 1, 22-23 535/1

Omnia subiécit Deus sub pédibus Christi,
et ipsum dedit caput supra ómnia Ecclésiæ,
quæ est corpus ipsíus, plenitúdo eius,
qui ómnia in ómnibus adimplétur.

SUPER POPULUM 535/2

Deus, qui regnum Fílii tui ubíque terrárum dilatári
providéntia mirábili statuísti,
et omnes hómines tuæ redemptiónis esse partícipes,
da, ut universális salútis tua sit Ecclésia sacraméntum,
et tuæ in hómines caritátis maniféstet operetúrque mystérium.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 67, 27 535/3

In ecclésiis benedícite Deo,
Dómino, vos de fóntibus Israel.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 535/4

Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas,
auge eam cotídie credéntium puritáte,
et divínæ grátiæ infusióne multíplica,
ut, malórum ómnium impugnatióne repúlsa,
in tranquillitáte pacis et fídei
tuo semper ditáta múnere gloriétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 535/5

Plebis tibi sacrátæ múnera, Deus, réspice miserátus,
et credéntium in te multitúdini huius sacraménti virtúte concéde,
ut genus eléctum, regále sacerdótium,
et acquisitiónis tibi pópulus esse mereátur.
Per Christum.

PRÆFATIO 535/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui consílio mirábili tibi templum illud, quod nos sumus,
constánter ædíficas,
et Ecclésiam toto orbe diffúsam
in domínici compágem córporis facis semper augéri,
cæléсti civitáte Ierúsalem
in pacis visióne compléndam.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Eph 5, 25-26 535/7

Christus diléxit ecclésiam
et seípsum trádidit pro ea,
ut illam sanctificáret
mundans lavácro aquæ in verbo.

TRANSITORIUM Cf. Eph 5, 29-30 535/8

Christus nutrit et fovet ecclésiam,
quia membra sumus córporis eius.

POST COMMUNIONEM 535/9

Deus, qui tuis Ecclésiam pascis et róboras sacraméntis,
concéde nobis cæléсti nunc dape reféctis,
ut, caritátis tuæ documéntis iúgiter obsequéntes,
salútis instruméntum humáno efficiámur consórtio
vitǽque ferméntum.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

1 PRO ECCLESIA UNIVERSALI

536 II

INGRESSA Cf. 1 Tim 3, 15 536/1
Domus Dei est ecclésia Dei vivi,
colúmna et firmaméntum veritátis.

SUPER POPULUM 536/2
Deus, qui in Fílii tui testaménto
ex ómnibus géntibus unum tibi pópulum
in Spíritu congregáre non désinis,
concéde, ut Ecclésia tua
cum hóminum família tibi fidélis incédat,
et velut ánima societátis humánæ
in Christo renovándæ semper exsístat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 21, 26 536/3
Apud te laus mea in ecclésia magna;
vota mea reddam in conspéctu timéntium Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 536/4
Maiestátem tuam, Deus, supplíciter exorámus,
ut ab Ecclésia tua, quidquid est nóxium, tua virtúte repéllas,
et, quod eídem est salutáre, tua cleméntia largiáris.
Per Christum.

SUPER OBLATA 536/5
Múnera quæ tibi offérimus, Dómine,
súscipe benígnus et præsta,
ut Ecclésia tua,
de látere Christi in cruce dormiéntis exórta,
ex huius participatióne mystérii
suam iúgiter háuriat sanctitátem,
qua semper vivat suóque digne conversétur auctóre.
Qui vivit.

PRÆFATIO 536/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Christi sponsam Ecclésiam,
Spíritus operánte virtúte, sanctíficas,
ut, innumerábili prole mater exsúltans,
in glóriam tuam collocétur in cælis.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes·

CONFRACTORIUM Ap 22, 17 536/7

Et Spíritus et sponsa dicunt: Veni!
Et qui audit, dicat: Veni!
Et qui sitit, véniat;
qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

TRANSITORIUM Ap 2, 10c-11 536/8

Esto fidélis usque ad mortem,
et dabo tibi corónam vitæ.
Qui habet aurem,
áudiat quid Spíritus dicat ecclésiis.
Qui vícerit, non lædétur a morte secúnda.

POST COMMUNIONEM 536/9

Sacraménto Fílii tui recreáti, te, Dómine, deprecámur,
ut Ecclésiæ tuæ operatiónem fecundáre dignéris,
qua salutáris mystérii plenitúdinem
paupéribus sine intermissióne revélas,
quos ad tui regni vocásti præcípuam portiónem.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

1 PRO ECCLESIA UNIVERSALI

537 III

INGRESSA Ap 7, 9-10 537/1

Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat,
ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis
stantes ante thronum et in conspéctu Agni;
et clamábant voce magna dicéntes:
Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.

SUPER POPULUM 537/2

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut de unitáte Patris et Fílii et sancti Spíritus adunáta
Ecclésia tua semper ea plebs sancta permáneat,
quæ tuæ sanctitátis et unitátis
mundo réseret sacraméntum,
et ad perfectiónem ipsum tuæ caritátis addúcat.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 149, 1 537/3

Cantáte Dómino cánticum novum;
laus eius in ecclésia sanctórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 537/4

Ecclésia tua, quǽsumus, Dómine,
cæléstis grátiæ gáudeat ubertáte,
qua in Christi iúgiter fidelitáte permáneat,
et eius regno dénique munerétur ætérno.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 537/5

Imménsæ memoriále caritátis tui Fílii celebrántes,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut Ecclésiæ tuæ ministério sacrosáncto
ipsíus óperis fructus toti mundo profíciat ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 537/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui unam de géntibus congregátam Ecclésiam
ineffábili sibi caritáte copulávit;
cuius mystérium domínici sacraménto córporis figurátur,
nobísque celebritáte præsénti efficáciter exercétur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 2, 7 537/7

Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat ecclésiis.
Vincénti dabo ei édere de ligno vitæ,
quod est in paradíso Dei.

TRANSITORIUM Ap 2, 17a 537/8

Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat ecclésiis.
Vincénti dabo ei de manna abscóndito.

POST COMMUNIONEM 537/9

Deus, qui mirábili sacraménto
Ecclésiæ fortitúdinem tríbuis et solámen,
da pópulo tuo per hæc sancta Christo iúgiter adhærére,
ut, temporálibus munéribus quæ gerit,
tuum in libertáte regnum ædíficet sempitérnum.
Per eúndem Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

1 PRO ECCLESIA UNIVERSALI

538 IV

INGRESSA Ap 21, 2 538/1

Civitátem sanctam Ierúsalem novam
vidi descendéntem de cælo a Deo,
parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

SUPER POPULUM 538/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus revelásti,
ópera misericórdiæ tuæ pia benignitáte custódi,
ut Ecclésia sancta, toto orbe diffúsa,
stábili fide in confessióne tui nóminis persevéret.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 34, 18 538/3

Confitébor tibi in ecclésia magna,
in pópulo multo laudábo te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 538/4

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
plácita vota contínuo favóre proséquere,
ut providéntiæ tuæ munéribus foveátur in témpore,
et beáta æternitáte dénique munerétur in cælis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 538/5

Deus, qui eódem sacrifício Ecclésiam tuam iúgiter sanctíficas,
quo eam mundáre dignátus es,
da, ut se tibi ófferat cum Christo suo cápite incessánter uníta,
et pura tibi semper voluntáte concórdet.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 538/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per ipsum enim nos ad agnitiónem tuæ veritátis
mísericors adduxísti,
ut efficerémur unius fídei et baptísmi vínculo corpus eius.

Per ipsum quoque Spíritum sanctum tuum
in cunctis géntibus es largítus,
qui, in diversitáte donórum
mirábilis operátor et unitátis efféctor,
fílios adoptiónis inhábitat,
totámque replet et moderátur Ecclésiam.

Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 3b 538/7

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus!
Et habitábit cum eis,
et ipsi pópuli eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

TRANSITORIUM Ap 19, 7 538/8

Gaudeámus, et exsultémus
et demus glóriam Dómino Deo nostro,
quia venérunt núptiæ Agni,
et uxor eius præparávit se.

POST COMMUNIONEM 538/9

Refectióne sancta nutrítam,
gubérna, quæsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam,
ut, poténti moderatióne diécta,
et increménta libertátis accípiat
et in religiónis integritáte persístat.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

539 2 PRO LIBERTATE ECCLESIÆ

SUPER POPULUM 539/2

Pater ac Dómine, qui novam verámque mundo libertátem
tui evangélio Fílii contulísti,
Ecclésiam tuam ab iníquis vexatiónibus miserátus exsólve,
ut verbum salvántis grátiæ expedíta váleat homínibus nuntiáre.
Per eúndem Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 539/4

Deus, fortitúdo nostra, præsta Ecclésiæ tuæ,
ut álacri spe et animósa virtúte Christi evangélium fateátur,
qui mórtuus est,
ut veritáti testimónium perhibéret,
et pro regno patiéntes promísit futúros esse beátos.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 539/5

Deus, qui in Christi sacrifício
perféctam adoratiónem in spíritu et veritáte sumpsísti,
Ecclésiæ tuæ te invocándi libertátem gaudiúmque largíre,
teque in donis grátiæ et redemptiónis pro ómnibus celebrándi.
Per eúndem Christum.

POST COMMUNIONEM 539/9

Da nobis, Pater clementíssime,
in fide et spe sacrifícii Christi semper observáre memóriam,
qui semetípsum pro nobis trádidit liberándis,
et ómnibus homínibus communiónis vínculo coniungéndis.
Qui vivit.

540 3 PRO ECCLESIA LOCALI

INGRESSA 1 Petr 2, 9 540/1

Vos estis genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta, pópulus in acquisitiónem,
ut virtútes annuntiétis eius,
qui de ténebris
vos vocávit in admirábile lumen suum.

SUPER POPULUM 540/2

Deus, qui in síngulis per orbem Ecclésiis
unam et cathólicam Ecclésiam maniféstas,
plebi tuæ concéde benígnus ita pastóri suo coniúngi
atque in sancto se Spíritu congregáre,
ut digne universitátem pópuli tui reférre
et præséntiæ Christi esse váleat instruméntum.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Is 62, 12 540/3

Vocábunt eos Pópulus sanctus,
Redémpti a Dómino;
Tu autem vocáberis
Quæsíta, Cívitas non derelícta.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 540/4

Grátiæ tuæ donum, Deus, Pater omnípotens,
in hac Ecclésiæ tuæ portióne placátus adáuge,
ut sua fáciat unitáte ac pace salútis mystérium maniféstum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 540/5

Deus, qui eódem sacrifício Ecclésiam tuam iúgiter sanctíficas,
quo eam mundáre dignátus es,
da, ut se tibi ófferat cum Christo suo cápite incessánter uníta,
et pura tibi semper voluntáte concórdet.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 540/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui diléctam hanc tui pópuli portiónem,
assíduis ita dignáris donis grátiæ sustinére,
ut suo concórditer antístiti sociáta
fídei caritatísque communiónem cum Ecclésia séntiat univérsa.

Quare, sancti tui Spíritus ditáta munéribus,
præsens in terris éfficit magnum Christi mystérium
eiúsque salútis.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 3b 540/7

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus!
Et habitábit cum eis,
et ipsi pópuli eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

TRANSITORIUM Ap 19, 7 540/8

Gaudeámus, et exsultémus
et demus glóriam Dómino Deo nostro,
quia venérunt núptiæ Agni,
et uxor eius præparávit se.

POST COMMUNIONEM 540/9

Vígeant in hac Ecclésia tua, Dómine,
et iúgiter perséverent
intégritas fídei et in fratérna caritáte munda relígio,
et, quam Fílii tui córpore et verbo tuo nutríre non désinis,
eam quoque tuis ne cesses gubernáre præsídiis.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

541 4 PRO PAPA

præsertim in anniversario electionis

INGRESSA Mt 16, 18-19a 541/1

Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam;
et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam.
Tibi dabo claves regni cælórum.

SUPER POPULUM 541/2a

Deus, qui providéntiæ tuæ consílio
super beátum Petrum, céteris apóstolis præpósitum,
Ecclésiam tuam ædificáre voluísti,
réspice ad papam nostrum N., et concéde propítius,
ut, cui Petri pontifícium commisísti,
ipse pópulo tuo sit unitátis fídei et communiónis
visíbile fundaméntum.
Per Dóminum.

vel: 541/2b

Deus, ómnium fidélium pastor et rector,
fámulum tuum N. propítius réspice,
quem pastórem univérsæ Ecclésiæ tuæ præésse voluísti;
da ei, quǽsumus, verbo et exémplo quibus præest profícere,
ut ad vitam, una cum grege sibi crédito,
pervéniat sempitérnam.
Per Dóminum.

vel: 541/2c

Deus, qui in apóstoli Petri successióne
fámulum tuum N. elegísti totíus tui gregis esse pastórem,
supplicánti pópulo concéde propítius,
ut, qui Christi vices gerit in terris,
fratres ipse confírmet,
et omnis Ecclésia cum eo commúnicet
in vínculo unitátis, amóris et pacis,
quátenus in te, animárum pastóre,
omnes veritátem et vitam assequántur ætérnam.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 22, 32 541/3

Ego rogávi pro te,
ut non defíciat fides tua.
Et tu, aliquándo convérsus,
confírma fratres tuos.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 541/4

Omnípotens sempitérne Deus,
fámulo tuo N. summo pontífici miserére propítius,
et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ,
ut, te donánte, tibi plácita cúpiat et tota virtúte perfíciat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 541/5

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus,
et una cum papa nostro N.,
ómnium óvium pastóre tuárum,
Ecclésiam tuam assídua protectióne gubérna.
Per Christum.

PRÆFATIO 541/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sanctis tuis laudáre mirábilem,
per quos potíssimum Unigéniti tui sacrum corpus exórnas,
et Ecclésiæ tuæ fundaménta constítuis.

Ipsam enim, in patriárchis et prophétis
sapiénter antíquo fœdere præparátam,
novíssimis tempóribus in apóstolis præcípue condidísti.

Sed et beátum Petrum ex illis es dignátus elígere,
qui, Christi tui divinitátis confessióne conspícuus,
cæléstis superædificándæ domus ab ipso petra fíeri mererétur.

Qui étiam illum totíus tui gregis
sic præsulem custodémque fecísti,
ut fratres quoque suos valéret iúgiter confirmáre,
et, a Fílio tuo regni clávibus insignítus,
quicquid ipse statuísset in terris,
servatúrum te, Pater, sciret in cælis.

Pro cuius honóre et glória singulári,
maiestáti tuæ hæc festa persólvimus,
et choris angélicis sociámur, sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Io 10, 14 541/7

Ego sum pastor bonus: et cognósco meas,
et cognóscunt me meæ.

TRANSITORIUM Io 21, 15. 17 541/8

Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Dómine, tu ómnia scis, tu cognóscis quia amo te.
Pasce oves meas.

POST COMMUNIONEM 541/9

Mensæ cæléstis partícipes effécti,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut huius virtúte mystérii
Ecclésiam tuam in unitáte et caritáte confírmes,
et fámulum tuum N.,
cui pastorále munus pro cunctis óvibus tradidísti,
una cum commísso sibi grege salves semper et múnias.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

542 5 PRO EPISCOPO

præsertim in anniversario ordinationis

INGRESSA Cf. Ez 34, 11. 23-24 542/1

Visitábo oves meas, dicit Dóminus,
et suscitábo pastórem,
qui pascat eas;
ego autem Dóminus ero eis in Deum.

SUPER POPULUM 542/2a

Deus, pastor ætérne fidélium,
qui Ecclésiæ tuæ
multíplici dispensatióne præes et amóre domináris,
da, quǽsumus, fámulo tuo N.,
quem tuo pópulo præfecísti,
ut gregi, cuius est pastor,
Christi legatióne moderétur,
et fidélis sit doctrínæ magíster,
sacri cultus sacérdos ministérque regíminis.
Per eúndem Dóminum.

vel: 542/2b

Deus, ómnium fidélium pastor et rector,
fámulum tuum N. propítius réspice,
quem pastórem Ecclésiæ N. præésse voluísti;
da ei, quǽsumus, verbo et exémplo quibus præest profícere,
ut ad vitam, una cum grege sibi crédito,
pervéniat sempitérnam.
Per Dóminum.

vel: 542/2c

Fámulo tuo N., quǽsumus, Dómine,
quem gregi tuo præfecísti
in apostolórum successióne pascéndo,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ pietatísque concéde,
ut, pópulum sibi créditum fidéliter gubérnans,
Ecclésiæ in mundo ædíficet sacraméntum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ier 31, 10 542/3

Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt,
et dícite: Qui dispérsit Israel, congregábit eum
et custódiet eum sicut pastor gregem suum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 542/4

Omnípotens sempitérne Deus,
fámulo tuo N. pontífici nostro, miserére propítius,
et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ,
ut, te donánte, tibi plácita cúpiat et tota virtúte perfíciat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 542/5

Hæc oblátio, Dómine, pro fámulo tuo N. deláta
sit tibi munus accéptum,
et, quem sacerdótem magnum in tuo pópulo suscitásti,
apostolicárum virtútum munéribus
ad gregis proféctum exórna.
Per Christum.

PRÆFATIO 542/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Unigénitum tuum sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam hómines mánuum impositióne
singulári éligit bonitáte,
ut eos ministérii sui sacri consórtes effíciat.

Qui sacrifícium redemptiónis humánæ,
eius nómine, repræséntent,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te ac fratrum salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 10, 11. 14 542/7

Ego sum pastor bonus:
bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus.
Ego sum pastor bonus;
et cognósco meas, et cognóscunt me meæ.

TRANSITORIUM Mt 20, 28 542/8

Fílius hóminis non venit ministrári sed ministráre
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

POST COMMUNIONEM 542/9

Huius, Dómine, virtúte mystérii,
in fámulo tuo N. epíscopo nostro grátiæ tuæ dona multíplica,
ut et tibi digne ministérium pastorále persólvat
et fidélis dispensatiónis ætérna præmia consequátur.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

543 6 PRO ELIGENDO PAPA VEL EPISCOPO

INGRESSA Cf. 1 Sam 2, 35 543/1

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciat;
et ædificábo ei domum fidélem,
et ambulábit coram me cunctis diébus.

SUPER POPULUM 543/2

Deus, qui, pastor ætérnus,
gregem tuum custódia moderáris assídua,
eum imménsa concédas (huic) Ecclésiæ tua pietáte pastórem,
qui tibi sanctitáte pláceat,
et sollicitúdine nobis prosit inténta.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ier 3, 15 543/3

Dabo vobis pastóres iuxta cor meum,
et pascent vos sciéntia et doctrína,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 543/4

Concéde, Dómine, sanctæ Ecclésiæ cathólicæ
(huic sanctæ Ecclésiæ tuæ)
eum pontíficem et pastórem,
qui exémplo bonórum óperum
ánimas suórum ínstruat subditórum,
et ætérnæ remuneratiónis mercédem,
cum crédito sibi grege,
a te piíssimo pastóre percípiat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 543/5

Tuæ nobis, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat,
ut, per sacra múnera quæ tibi reverénter offérimus,
gratum maiestáti tuæ pastórem
sanctæ (huic) præésse gaudeámus Ecclésiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO 543/6a

Pro papa

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sanctis tuis laudáre mirábilem,
per quos potíssimum Unigéniti tui sacrum corpus exórnas,
et Ecclésiæ tuæ fundaménta constítuis.

Ipsam enim, in patriárchis et prophétis
sapiénter antíquo fœdere præparátam,
novíssimis tempóribus in apóstolis præcípue condidísti.

Sed et beátum Petrum ex illis es dignátus elígere,
qui, Christi tui divinitátis confessióne conspícuus,
cæléstis superædificándæ domus ab ipso petra fíeri mererétur.

Qui étiam illum totíus tui gregis
sic præsulem custodémque fecísti,
ut fratres quoque suos valéret iúgiter confirmáre,
et, a Fílio tuo regni clávibus insignítus,
quicquid ipse statuísset in terris,
servatúrum te, Pater, sciret in cælis.

Pro cuius honóre et glória singulári,
maiestáti tuæ hæc festa persólvimus,
et choris angélicis sociámur, sine fine clamántes:

vel, pro episcopo: 543/6b

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Unigénitum tuum sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam hómines mánuum impositióne
singulári éligit bonitáte,
ut eos ministérii sui sacri consórtes effíciat.

Qui sacrifícium redemptiónis humánæ,
eius nómine, repræséntent,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te ac fratrum salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Petr 5, 4 543/7

Cum apparúerit Princeps pastórum,
percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam.

TRANSITORIUM Io 15, 16 543/8

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos
et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 543/9

Reféctos, Dómine, córporis et sánguinis
Unigéniti tui salubérrimo sacraménto,
nos mirífica tuæ maiestátis grátia
de illíus pastóris concessióne lætíficet,
qui et plebem tuam virtútibus ínstruat
et fidélium mentes evangélica veritáte perfúndat.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

544 7 PRO CONCILIO VEL SYNODO

INGRESSA Act 2, 42. 47 544/1

Erant perseverántes in doctrína apostolórum,
et communicatióne, in fractióne panis et orationibus,
collaudántes Deum et habéntes grátiam ad omnem plebem.
Dóminus autem augébat, qui salvi fíerent cotídie in idípsum.

SUPER POPULUM 544/2

Ecclésiæ tuæ, Dómine, rector et custos,
infúnde, quǽsumus, fámulis tuis
spíritum intellegéntiæ, veritátis et pacis,
ut, quæ tibi sunt plácita,
toto corde cognóscant,
et quæ sunt ágnita
tota virtúte secténtur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Cor 12, 4. 7 544/3

Divisiónes gratiárum sunt,
idem autem Spíritus.
Unicuíque datur manifestátio Spíritus ad utilitátem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 544/4

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris,
da spíritum sapiéntiæ quibus dedísti régimen disciplínæ,
ut plebs tua ad veritátis agnitiónem
et sanctitátis plénius ducátur augméntum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 544/5

Réspice, clementíssime Deus, múnera servórum tuórum,
et grátiam illis tuæ lucis impénde,
ut, quæ recta sunt in óculis tuis ipsísque salúbria,
veráciter intéllegant et fiduciáliter exsequántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 544/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui unam de géntibus congregátam Ecclésiam
ineffábili sibi caritáte copulávit;
cuius mystérium domínici sacraménto córporis figurátur,
nobísque celebritáte præsénti efficáciter exercétur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Col 3, 14-15a 544/7

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis.
Et pax Christi dominétur in córdibus vestris.

TRANSITORIUM 544/8

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

POST COMMUNIONEM 544/9

Da, quǽsumus, miséricors Deus,
ut sancta quæ súmpsimus
fámulos tuos in veritáte confírment,
et illos fáciant tui nóminis honórem exquírere.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

545 8 PRO SACERDOTIBUS

INGRESSA Lc 4, 18 545/1

Spíritus Dómini super me;
propter quod unxit me
evangelizáre paupéribus,
misit me prædicáre captívis remissiónem.

SUPER POPULUM 545/2

Deus, qui Unigénitum tuum
summum constituísti et in ætérna sǽcula sacerdótem,
præsta, ut, quos tuórum dispensatóres mysteriórum elégit,
fidéles in accépto ministério inveniántur impléndo.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Petr 5, 2 545/3

Páscite, qui est in vobis, gregem Dei,
providéntes non coácto sed spontánee secúndum Deum,
neque turpis lucri grátia sed voluntárie.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 545/4

Dómine Deus noster,
qui in regéndo pópulo tuo ministério úteris sacerdótum,
tríbue illis perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut fidéli conversatióne
tuam váleant in Christo glóriam procuráre.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 545/5

Deus, qui sacerdótes tuos sacris altáribus
tuóque pópulo ministráre voluísti,
huius sacrifícii virtúte concéde propítius,
ut eórum servítium tibi iúgiter sit accéptum,
et fructum qui máneat in tua váleat Ecclésia semper afférre.
Per Christum.

PRÆFATIO 545/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui Unigénitum tuum sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam hómines mánuum impositióne
singulári éligit bonitáte,
ut eos ministérii sui sacri consórtes effíciat.

Qui sacrifícium redemptiónis humánæ,
eius nómine, repræséntent,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te ac fratrum salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Petr 5, 10 545/7

Deus omnis grátiæ,
qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam
in Christo Iesu,
módicum passos ipse perfíciet,
confirmábit, solidábit, fundábit.

TRANSITORIUM Io 17, 17a. 18 545/8

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte.
Sicut me misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 545/9

Sacerdótes tuos, Dómine, et omnes fámulos tuos
hóstia, quam súmpsimus, divína vivíficet,
ut, perpétua tibi caritáte coniúncti,
digne tuæ mereántur óbsequi maiestáti.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

9 PRO SEIPSO SACERDOTE

præsertim in missis quæ sine populo celebrantur

546 I

SUPER POPULUM 546/2

Deus, qui non própriis suffragántibus méritis,
sed sola ineffábilis tuæ grátiæ largitáte
me famíliæ tuæ præésse voluísti,
tríbue me tibi digne persólvere ministérium sacerdotális offícii,
plebíque commíssæ, te in ómnibus gubernánte,
ætérnam concéde comparáre salútem.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 546/4

Quem pópulum, Dómine, tua mihi dignátio commendávit,
audet tibi deprecátio mea in cordis humilitáte commíttere,
ut cælésti grátia repleátur, et glória potiátur ætérna.
Per Christum.

SUPER OBLATA 546/5

Deus, diérum temporúmque potens et benígne moderátor,
collátis in me per grátiam tuam propitiáre munéribus,
et præséntis oblatiónis virtúte
in hunc dírige cor plebis et sacerdótis afféctum,
ut nec pastóri obœdiéntia gregis,
nec gregi desit cura pastóris.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 546/9

Omnípotens sempitérne Deus,
orígo cunctárum et perféctio virtútum,
da mihi huius participatióne mystérii
et exercére quæ recta sunt et prædicáre quæ vera,
ut instructiónem grátiæ tuæ
et agéndo præbeam fidélibus et docéndo.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

9 PRO SEIPSO SACERDOTE

præsertim in missis quæ sine populo celebrantur

547 II

SUPER POPULUM 547/2

Aures précibus meis, clementíssime Deus, tuæ pietátis inclína,
et grátia sancti Spíritus ita cor meum illúmina,
ut tuis mystériis digne mérear ministráre,
atque fidéliter Ecclésiæ tuæ servíre,
teque ætérna caritáte dilígere.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 547/4

Mihi, Dómine Deus, ovibúsque meis
grátiam tuam benígnus effúnde,
ut illis in glóriam tuam diligéntius ipse semper impéndar,
et verbis exemplísque meis éædem profíciat in salútem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 547/5

Súscipe, Deus omnípotens, hæc múnera,
quæ tibi offérimus veneránter,
et, respíciens Christum tuum, sacerdótem simul et hóstiam,
da, ut, eius sacerdótii párticeps factus,
oblatiónem spiritálem me tibi placéntem semper exhíbeam.
Per eúndem Christum.

POST COMMUNIONEM 547/9

Pane cæléstí confirmátum
et novi testaménti cálice congaudéntem,
fac me, Pater sancte, tibi servíre fidéliter,
et in salútem hóminum vitam fórtiter devotéque consúmere.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

9 PRO SEIPSO SACERDOTE

in anniversario propriæ ordinationis
præsertim in missis quæ sine populo celebrantur

548 III

SUPER POPULUM 548/2

Pater sancte, qui me ad communiónem
cum ætérno Christi tui sacerdótio
et ad Ecclésiæ tuæ ministérium nullis meis méritis elegísti,
præsta, ut evangélii strénuus ac mitis prædicátor exsístam,
et fidélis mysteriórum tuórum dispensátor invéniar.
Per eúndem Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 548/4

Qui me, Deus, ad tua peragénda mystéria
ex homínibus assumpsísti,
da, ut securitáte fídei, spei lætítia,
dulcédine tibi sérviam caritátis,
donec, sacerdótio digne functus in terris,
eódem in cælis ad aram Agni pérfruar sempitérno.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 548/5

Pro nostræ servitútis augménto
sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus,
ut, quod imméritis contulísti, propítius exsequáris.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 548/9

Ad glóriam, Dómine, tui nóminis
ánnua festa répetens sacerdotális exórdii,
mystérium fídei cum lætítia celebrávi,
ut sim in veritáte,
quod in sacrifício mýstice pertractávi.
Per Christum.

549 10 PRO MINISTRIS ECCLESIÆ

SUPER POPULUM 549/2

Deus, qui minístros Ecclésiæ tuæ docuísti
non ministrári velle, sed frátribus ministráre,
illis, quǽsumus, concéde
et in actióne sollértiam
et cum mansuetúdine ministérii in oratióne constántiam.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 549/4

Omnípotens sempitérne Deus,
cuius Spíritu totum corpus Ecclésiæ
sanctificátur et régitur,
exáudi nos pro univérsis ministériis supplicántes,
ut grátiæ tuæ múnere
ab ómnibus tibi fidéliter serviátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 549/5

Pater sancte, cuius Fílius discipulórum vóluit pedes laváre,
ut nobis præbéret exémplum,
súscipe, quǽsumus, nostræ múnera servitútis,
et præsta, ut, nosmetípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
humilitátis spíritu et diligéntiæ repleámur.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 549/9

Concéde fámulis tuis, Dómine, cælésti cibo potúque replétis,
ut, ad glóriam tuam et salútem credéntium procurándam,
fidéles inveniántur evangélii,
sacramentórum caritatísque minístri.
Per Christum.

550 11 PRO VOCATIONIBUS AD SACROS ORDINES

INGRESSA Mt 9, 38 550/1

Rogáte Dóminum messis,
ut mittat operários in messem suam,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 550/2

Deus, qui pastóres pópulo tuo providére voluísti,
spíritum in Ecclésia tua fortitúdinis et pietátis effúnde,
qui dignos altáribus tuis éxcitet minístros,
et evangélii tui mansuétos ac fortes effíciat assertóres.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 4, 35b 550/3

Ecce dico vobis: Leváte óculos vestros
et vidéte regiónes,
quia albæ sunt ad messem!
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 550/4

Deus, qui nosti tua nos solum grátia posse salvári,
plúrimos éxcita, quǽsumus, in sacerdotále opus idóneos,
qui digne illam, tuo movénte Spíritu, váleant dispensáre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 550/5

Plebis tuæ, quǽsumus, Dómine,
preces et múnera benígnus inténde,
ut dispensatóres mysteriórum tuórum ubérius augeántur,
et in amóre tuo iúgiter persevérent.
Per Christum.

PRÆFATIO 550/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Iesum tuæ Fílium dilectiónis.

Qui próvido consílio Dóminum messis rogáre nos iússit,
ut in víneam suam operários míttere dignarétur,
ne umquam in sǽculi peregrinatióne deésset,
qui peténtibus párvulis panem doctrínæ frángeret salutáris,
vel egéntibus redemptiónis grátias dispensáret.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 16 550/7

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 1 Io 3, 16 550/8

In hoc nóvimus caritátem,
quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit;
et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

POST COMMUNIONEM 550/9

Cæléstis mensæ pane refécti,
te, Dómine, deprecámur,
ut, hoc sacraménto caritátis, illa sémina maturéscant,
quæ magna in agrum Ecclésiæ tuæ largitáte dispérgis,
quátenus multi sorte sibi éligant
tibi in frátribus ministráre.
Per Christum.

551 12 PRO RELIGIOSIS

INGRESSA Mt 19, 21 551/1
Si vis perféctus esse, vade,
vende, quæ habes, et da paupéribus,
et veni, séquere me,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 551/2
Deus, omnis boni propósiti inspirátor atque perféctor,
concéde, ut, qui tibi se totos relíctis ómnibus devovérunt,
glóriæ tuæ et frátribus suis
in spíritu paupertátis et cordis humilitáte desérviant.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 16, 24 551/3
Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam et sequátur me,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 551/4
Qui semetípsos abnegántes, Dómine,
se tuo servítio líberos dedicárunt,
eos magna lætítia, quǽsumus, suæ vocatiónis adímple,
et in novos fac, ut ipsi fructus sanctitátis accréscant.
Per Christum.

SUPER OBLATA 551/5
Sanctífica, quǽsumus, Dómine,
per hæc sancta, quæ tibi offérimus,
fámulos tuos, quos in tuo nómine congregásti,
ut, fidéliter tibi sua vota reddéntes,
Christo tuo sequéla hǽreant singulári.
Qui tecum.

PRÆFATIO 551/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 19, 27-29 551/7

Amen dico vobis
quod vos, qui reliquístis ómnia
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis
et vitam ætérnam possidébitis,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 12, 24-25 551/8

Amen, amen dico vobis:
Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.
Qui amat ánimam suam, perdit eam,
et qui odit ánimam suam in hoc mundo,
in vitam ætérnam custódiet eam.

POST COMMUNIONEM 551/9

Servos tuos, Dómine, in amóre tuo congregátos
et de uno participántes pane cælésti,
da unánimes consideráre ínvicem
in provocatiónem caritátis operúmque bonórum,
ut sua sancta conversatióne
Christi veri testes exhibeántur ubíque.
Qui vivit.

552 13 PRO VOCATIONIBUS AD VITAM RELIGIOSAM

INGRESSA Mt 19, 21 552/1

Si vis perféctus esse, vade,
vende, quæ habes, et da paupéribus,
et veni, séquere me, dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 552/2a

Pater sancte, qui, licet fidéles omnes
ad perfectiónem caritátis invítas,
multos tamen excitáre non désinis,
qui Fílii tui vestígia préssius persequántur,
concéde, ut, quos in hanc sortem elégeris,
signum regni tui móribus suis osténdant
Ecclésiæ mundóque perspícuum.
Per Dóminum.

vel, ab ipsis religiosis dicenda: 552/2b

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
propítius réspice et nova prole semper amplífica,
ut et fílios suos ad propósitam perfectiónem caritátis addúcere
et ad hóminum salútem efficáciter váleat laboráre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 16, 24 552/3

Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum
et tollat crucem suam et sequátur me,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 552/4

Spíritu tuo, Dómine, fílios ádmove miserátus,
qui virtútum cúlmina éxpetant sitiénter,
ut, perfectiónis stúdio ac religiósæ déditi caritáti,
ad ædificatiónem Ecclésiæ
váleant in lætam quoque súbolem germináre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 552/5

Múnera quæ tibi offérimus, Pater sancte, súscipe miserátus,
et ómnibus, qui Fílium tuum per artam viam imitári
læta sibi mente propónunt,
communiónem concéde fratérnam et spíritus libertátem.
Per Christum.

PRÆFATIO 552/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
virginitátem prædicávit regni mystérium esse cælórum,
suáque conversatióne dócuit fastígium castitátis.

Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœ́diens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.

Qui ómnia propter te in sǽculo relinquéntes
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius,
et in cælis confirmávit habitúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum ángelis ómnibus sanctísque lætántes,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Mt 19, 27-29 552/7

Amen dico vobis quod vos, qui reliquístis ómnia
et secúti estis me,
céntuplum accipiétis
et vitam ætérnam possidébitis.

TRANSITORIUM Io 12, 24-25 552/8

Amen, amen dico vobis:
Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit,
multum fructum affert.
Qui amat ánimam suam, perdit eam,
et qui odit ánimam suam in hoc mundo,
in vitam ætérnam custódiet eam.

POST COMMUNIONEM 552/9a

Fámulos tuos, Dómine, spiritáli cibo potúque confírma,
ut, evangélicæ fidéles vocatióni semper exstántes,
præcláram ubíque Fílii tui imáginem repræséntent.
Qui vivit.

vel, ab ipsis religiosis dicenda: 552/9b

Huius, Dómine, virtúte sacraménti, da nobis, quǽsumus,
perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut tuæ mundo possímus caritátis testimónium perhibére,
et bona, quæ sola non amittúntur, semper inquírere.
Per Christum.

553 14 PRO APOSTOLICA ACTUOSITATE

INGRESSA 1 Petr 2, 9 553/1

Vos estis genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta, pópulus in acquisitiónem,
ut virtútes annuntiétis eius,
qui de ténebris
vos vocávit in admirábile lumen suum.

SUPER POPULUM 553/2

Deus, qui evangélii virtútem misísti véluti ferméntum in mundum,
concéde fidélibus tuis,
qui in sæculáribus vitam agunt tua dispensatióne negótiis,
ut spíritu christiáno per temporália múnera
regnum Fílii tui perseveránter instáurent.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM 1 Petr 2, 10 553/3

Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei;
qui non consecúti misericórdiam,
nunc autem misericórdiam consecúti.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 553/4

Sit omnis pópulus tuus, Dómine, immortálibus rebus inténtus,
ut nullis a te mundi negótiis distrahátur,
et per ipsa terréna atque cilívia
semper cæléstia conténdat acquírere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 553/5

Huius oblatiónis, Dómine, concéde virtúte,
ut fámuli tui, quos ad apostolátum tuum vocáre non désinis,
mundum Christi spíritu imbuéntes,
ferax semen sanctificatiónis exsístant.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 553/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper grátias ágere,
Deus omnípotens atque clemens,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius hoc miríficum fuit opus per paschále mystérium,
ut de peccáto et mortis iugo ad hanc glóriam vocarémur,
qua nunc genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta et acquisitiónis pópulus dicerémur,
et tuas, Pater, annuntiarémus ubíque virtútes,
qui nos ad tuum admirábile lumen de ténebris advocásti.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Petr 2, 5 553/7

Ipsi tamquam lápides vivi ædificámini
domus spirituális
in sacerdótium sanctum
offérre spiritáles hóstias
acceptábiles Deo per Iesum Christum.

TRANSITORIUM Cf. Eph 1, 4 553/8

Elégit nos Deus in Christo ante mundi constitutiónem,
ut essémus sancti et immaculáti
in conspéctu eius in caritáte.

POST COMMUNIONEM 553/9

De plenitúdine grátiæ tuæ, Dómine,
cæléstì fidéles tui convívio roboréntur,
quos rebus sæculáribus déditos,
testes quoque dispónis evangélicæ veritátis,
ut spíritu Christi válide ímbuant temporália
fidentérque confóveant.
Per eúndem Christum.

554 15 PRO INSTITUTIONE CHRISTIANA

INGRESSA Lc 2, 52 554/1

Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte
et grátia apud Deum et hómines.

SUPER POPULUM 554/2

Deus, fons vitæ et grátiæ,
nostro præbe múneri institutiónis auxílium,
quo tuæ voluntátis consílium in fílios nostros
prosequáris et ímpleas,
ut in Christo crescant et firméntur,
ad cuius imáginem sunt creáti.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 118, 4-5 554/3

Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis.
Utinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas!

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 554/4

Tríbue, Dómine, púeris nostris
in famíliis suis et in cívium societáte
sensum dilectiónis ac pietátis in te et próximos inveníre,
ut tua in eis vocátio felíciter convaléscat,
ipsíque líberis humanísque córdibus
delecténtur frátribus deservíre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 554/5

Hæc múnera, Dómine, offérimus humíliter deprecántes,
ut adulescéntes nostri,
ad Christi caritátem
eiúsque vitæ donatiónem pro frátribus erudíti,
ad suam in próximum oblatiónem
illum imitántes libéntius assuéscant.
Qui vivit.

PRÆFATIO 554/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Pater omnípotens atque clemens,
per Christum Fílium tuum et Dóminum nostrum.

Qui et est imágo, ad quam hóminem tua virtúte creásti,
et nostræ vitæ perfectíssimum exémplar exsístit.

In ipso namque nostra debet humánitas consummári,
et ita a malis absólvi,
atque in caritátem gratiámque succréscere,
ut plene tuæ erga nos vocatiónis ad vitam mystérium compleátur.

Sed et idem Fílius tuus, factus homo
et in família enutrítus humána,
ad nostros erudiéndos fílios
et formam se præbet et adiuménta concédit,
ut váleant, sicut ipse,
sapiéntia atque grátia felíciter adaugéri.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Col 1, 9-10 554/7

Impleámur agnitióne voluntátis Dei
in omni sapiéntia et intelléctu spiritáli,
ut ambulémus digne Dómino per ómnia placéntes,
in omni ópere bono fructificántes et crescéntes in sciéntia Dei.

TRANSITORIUM 1 Io 5, 3-4 554/8

Hæc est cáritas Dei, ut mandáta eius servémus;
et mandáta eius grávia non sunt,
quóniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum;
et hæc est victória, quæ vicit mundum: fides nostra.

POST COMMUNIONEM 554/9

Cáritas, Dómine, quam ex Christi háusimus mystério salutári,
in spem ac dilectiónem nostrórum corda réseret filiórum,
nostróque simul óperi auxiliétur,
ut verbis et exémplis ánimos ædificémus.
Per eúndem Christum.

555 16 IN PROFESSIONE FIDEI ADULESCENTIUM

INGRESSA 2 Petr 3, 18 555/1

Créscite in grátia et in cognitióne Dómini nostri
et Salvatóris Iesu Christi.
Ipsi glória et nunc et in diem æternitátis.

SUPER POPULUM 555/2

Deus, Pater sancte, qui nos congregásti,
ut vitam nostram verbo tuo vivífico collustráres,
dignáre nos cotídie próvidus moderári,
ut iuxta evangélium iúgiter per sémitam Christi
alácriter ambulémus.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 118, 1-2 555/3

Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.
Beáti, qui servant testimónia eius,
in toto corde exquírunt eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 555/4

Dono fídei, Dómine,
quod nostris benígnus córdibus infudísti,
ita nos, quǽsumus,
da nunc et semper in dulcédine vívere caritátis,
ut numquam eórum obliviscámur,
quos tu díligis nobísque fratres tua pietáte donásti.
Per Christum.

SUPER OBLATA 555/5

His, Dómine, cum munéribus sacrifícii
nostram tibi totam offérimus voluntátem,
quo magis nos idóneos tuæ propósito dilectiónis effícias,
quod pro nobis in Christo Iesu dignánter a sǽculo statuísti.
Qui vivit.

PRÆFATIO 555/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, Pater sancte, grátias ágere,
de illis præcípue, quæ in nobis tua pietáte fecísti,
et usque modo péragis donórum largitióne munificus.

Nos enim ad vitam eduxísti dilectióne patérna,
et, suum cuíque nomen amánter attríbuens,
munus illi vitæ próprium tua vocatióne signásti.

Sed et nobis tuum misísti Fílium salvatórem,
ut nos quærens óbvius inveníret,
et singuláris nobíscum amicítiæ fœdus iníceret.

Cum illo voluísti nos dispensatióni salútis inténtos,
per illum álacres nos pacis operários elegísti,
tuǽque in illo nos dignátus es Ecclésiæ cooptáre,
cui dedísti ut tuum in hoc mundo evangélium nuntiáret.

Et ídeo cum ángelis sanctísque cælórum
et iustis ómnibus, qui sunt in orbe terrárum,
sócia exsultatióne tuam glóriam cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Th 2, 12 555/7

Ambulémus digne Deo,
qui vocávit nos in suum regnum et glóriam.

TRANSITORIUM 1 Io 5, 3-4 555/8

Hæc est cáritas Dei, ut mandáta eius servémus;
et mandáta eius grávia non sunt,
quóniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum;
et hæc est victória, quæ vicit mundum: fides nostra.

POST COMMUNIONEM 555/9

Redeúntibus ad nostra, Dómine, cælésti pane reféctis,
da, ut numquam a via salútis, Christo tuo unigénito, secedámus,
sed et amícus ipse máneat in ætérnum,
qui hoc mystério sacrosáncto ad te nos prǽparat perfruéndum.
Qui vivit.

556

17 PRO CHRISTIANA SENECTUTE

INGRESSA Ps 70, 5-6. 9 556/1

Tu es exspectátio mea, Dómine;
Dómine, spes mea a iuventúte mea.
Super te innixus sum ex útero,
de ventre matris meæ tu es suscéptor meus;
in te laus mea semper.
Ne proícias me in témpore senectútis;
cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

SUPER POPULUM 556/2

Omnípotens ac sempitérne Deus,
qui ad tuum salútis consílium adimpléndum
longitúdinem diérum annorúmque dispénsas,
his fámulis tuis tríbue miserátus,
ut álacres in tui verbi intellegéntia docilésque semper accréscant.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 89, 12 556/3

Dinumeráre dies nostros sic doce nos, Dómine,
ut inducámus cor ad sapiéntiam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 556/4

Deus, qui omne vitæ nostræ tempus
tuam vis grátiam computári,
da tuis his fíliis ánimo te liberióre dilígere,
et extra mundi vanitátes in sapiéntia cordis excréscere,
ut Ecclésiam verbo et ópere cum fidúcia securitátis ædíficent.
Per Christum.

SUPER OBLATA 556/5

Propter Christi sacrifícium,
qui se tradens pro frátribus
tuam implévit perfectíssime voluntátem,
hos fidéles, Pater, confírma et ab omni pravitáte purífica,
ut a te concéssa grátiæ múnera
in fructus óptimos váleant exercére.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 556/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui fámulis tuis longitúdinem diérum præbes
tuæ dilectiónis indícium,
cum tempus illud quod prǽterit largiáris,
in quo tamen ætérnitas quæ pérmanet delitéscit.

Iúgiter enim eiúsdem Christi tui nos grátia comitáris,
ut ætáte progrediénte in tua simus stábiles caritáte,
tuǽque vocatiónis consílium impleámus alácriter.

Licet ergo vires córpori forte defíciant,
numquam tua cessat píetas ínnovans et indúlgens,
quin et dona tui Spíritus auget impénsius,
ut spe securióres in dies tibi fidéli Dómino propinquémus.

Tanti benefícii mémores te mérito collaudámus,
et, gáudia præstolántes confidénter ætérna,
hymnis cǽlitum exsultántibus ánimis sociámur,
maiestáti tuæ sine cessatióne clamántes:

CONFRACTORIUM Sal 91, 2-3. 5 556/7

Bonum est confitéri Dómino
et psállere nómini tuo, Altíssime,
annuntiáre mane misericórdiam tuam
et veritátem tuam per noctem.
Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua,
et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

TRANSITORIUM Cf. Lc 24, 29 556/8

Mane nobíscum, Dómine,
quóniam advesperáscit
et iam dies inclinátur.
Mane cum tua grátia,
cum tua benignitáte,
mystériis atque verbis.
Mane consólans, ádiuvans
omnes qui te confiténtur;
mane nunc et in ætérnum.

POST COMMUNIONEM 556/9

Fons vitæ atque gáudii, Deus,
mane cum fámulis tuis,
quos sanctis épulis roborásti,
eísque concédens seréno fidúciæ spíritu esse constántes,
quod desit víribus,
tua dignáre dilectióne complére.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

18 PRO UNITATE CHRISTIANORUM

557 I

INGRESSA Io 10, 14-15 557/1
Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ,
dicit Dóminus.
Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem;
et ánimam meam pono pro óvibus.

SUPER POPULUM 557/2
Omnípotens sempitérne Deus,
qui dispérsa cóngregas et congregáta consérvas,
ad gregem Fílii tui placátus inténde,
ut, quos unum baptísma sacrávit,
eos et fídei iungat intégritas
et vínculum sóciet caritátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Eph 4, 5-6 557/3
Unus Dóminus, una fides, unum baptísma;
unus Deus et Pater ómnium,
qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 557/4
Pleniórem Spíritus tui grátiam, amátor hóminum, Dómine,
super nos benígnus effúnde,
et præsta, ut, digne qua nos vocásti vocatióne ambulántes,
testimónium veritátis exhibeámus homínibus,
et ómnium credéntium unitátem
in pacis fidéntes vínculo consectémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 557/5
Qui una semel hóstia, Dómine,
adoptiónis tibi pópulum acquisísti,
unitátis et pacis in Ecclésia tua
propítius nobis dona concéde.
Per Christum.

PRÆFATIO 557/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per ipsum enim nos ad agnitiónem tuæ veritátis
misericors adduxísti,
ut efficerémur uníus fídei et baptísmi vínculo corpus eius.

Per ipsum quoque Spíritum sanctum tuum
in cunctis géntibus es largítus,
qui, in diversitáte donórum
mirábilis operátor et unitátis efféctor,
fílios adoptiónis inhábitat,
totámque replet et moderátur Ecclésiam.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 11b 557/7

Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quod dedísti mihi,
ut sint unum sicut nos,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM 1 Cor 10, 17 558/8

Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus,
omnes enim de uno pane participámur.

POST COMMUNIONEM 557/9

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra commúnio,
sicut fidélium in te præsígnat salutáre consórtium,
sic in Ecclésia tua unitátis operétur efféctum.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

18 PRO UNITATE CHRISTIANORUM

558 **II**

INGRESSA Act 1, 14 558/1

Erant discípuli perseverántes unanímiter in oratióne
cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

SUPER POPULUM 558/2

Deus, qui diversitátem géntium
in confessióne tui nóminis adunásti,
da nobis et velle et posse quæ præcipis,
ut pópulo ad regnum tuum vocáto
una sit fides méntium et píetas actiónum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Eph 4, 5-6 558/3

Unus Dóminus, una fides, unum baptísma;
unus Deus et Pater ómnium,
qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 558/4

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
placátus inténde,
et præsta, ut corda nostra
in tua laude et sincéra pæniténtia coniungántur,
quátenus, christianórum divisióne subláta,
in perfécta Ecclésiæ communióne
ad regnum tuum lætántes properémus ætérnum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 558/5

Salútis nostræ memoriále devotíssime celebrántes,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut hoc sacraméntum pietátis
fiat unitátis nobis signum et vínculum caritátis.
Per Christum.

PRÆFATIO 558/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per ipsum enim nos ad agnitiónem tuæ veritátis
misericors adduxísti,
ut efficerémur uníus fídei et baptísmi vínculo corpus eius.

Per ipsum quoque Spíritum sanctum tuum
in cunctis géntibus es largítus,
qui, in diversitáte donórum
mirábilis operátor et unitátis efféctor,
fílios adoptiónis inhábitat,
totámque replet et moderátur Ecclésiam.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 11, 51c-52 558/7

Iesus moritúrus erat,
et non tantum pro gente
sed et ut fílios Dei, qui erant dispérsi,
congregáret in unum.

TRANSITORIUM Col 3, 14-15 558/8

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis.
Et pax Christi dominétur in córdibus vestris,
ad quam et vocáti estis in uno córpore.

POST COMMUNIONEM 558/9

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, huius sacrifícii virtúte divína,
una fácias in te credéntes pietáte concórdes.
Per Christum.

18 PRO UNITATE CHRISTIANORUM

559 III

INGRESSA Eph 4, 4 559/1

Unum corpus et unus Spíritus,
sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ.

SUPER POPULUM 559/2

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, propítius réspice,
et Spíritus tui super ipsum dona cleménter effúnde,
ut in veritátis iúgiter amóre succréscat,
et perféctam christianórum unitátem
stúdio perquírat et ópere.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Eph 4, 5-6 559/3

Unus Dóminus, una fides, unum baptísma;
unus Deus et Pater ómnium,
qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 559/4

Ubertátem misericordiárum tuárum, Dómine, revéla super nos
et christianórum divisiónes rémove providénter,
ut Ecclésia tua signum inter natiónes clárius appáreat elevátum,
et mundus tuo Spíritu illustrátus,
in Christum credat propénsius, quem misísti.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 559/5

Quam tibi, Dómine, offérimus hóstia
et purificatiónem cónferat spiritálem
et omnes uno baptísmate sociátos
eorúndem mysteriórum partícipes tandem effíciat.
Per Christum.

PRÆFATIO 559/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per ipsum enim nos ad agnitiónem tuæ veritátis
mísericors adduxísti,
ut efficerémur unius fídei et baptísmi vínculo corpus eius.

Per ipsum quoque Spíritum sanctum tuum
in cunctis géntibus es largítus,
qui, in diversitáte donórum
mirábilis operátor et unitátis efféctor,
fílios adoptiónis inhábitat,
totámque replet et moderátur Ecclésiam.

Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 13, 35 559/7

In hoc cognóscent omnes quia mei discípuli estis:
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

TRANSITORIUM Io 17, 21. 23a 559/8

Omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me
et ego in te, ut et ipsi in nobis sint.
Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum.

POST COMMUNIONEM 559/9

Sacraménta Christi tui suméntes, quǽsumus, Dómine,
ut in Ecclésia tua sanctificatiónis grátiam rénoves quam dedísti,
et omnes, qui gloriántur nómine christiáno,
in unitáte fídei tibi servíre mereántur.
Per eúndem Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

19 PRO EVANGELIZATIONE POPULORUM

560 I

INGRESSA Mc 16, 15 560/1
Eúntes in mundum univérsum
prædicáte evangélium omni creatúræ,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 560/2
Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri
et ad agnitiónem pérgere veritátis,
réspice messem tuam multam,
et operários in eam mitte dignánter,
ut omni creatúræ evangélium prædicétur,
et plebs tua plúrima in via salútis caritatísque procédat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Gal 1, 15-16 560/3
Vocávit me Deus per grátiam suam,
ut reveláret Fílium suum in me,
ut evangelizárem illum in géntibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 560/4
Deus, qui Fílium tuum lumen verum in mundum misísti,
Spíritum promissiónis effúnde,
qui veritátis sémina córdibus íngerat
fideíque súscitet sanctificátor obséquium,
ut omnes, regeneráti baptísmo,
in unum pópulum tuum íngredi mereántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 560/5
Réspice, Dómine, in fáciem Christi tui,
qui pro ómnibus redemptiónem trádidit semetípsum,
ut per eum ab ortu solis usque ad occásum
nomen tuum magnificétur in géntibus,
et una ubíque maiestáti tuæ exhibeátur oblátio.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 560/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui próvido consílio Dóminum messis rogáre nos iussit,
ut in víneam suam operários míttere dignarétur,
ne umquam in sǽculi peregrinatióne deésset,
qui peténtibus párvulis panem doctrínæ frángeret salutáris,
vel egéntibus redemptiónis grátias dispensáret.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 66, 2-3 560/7

Deus misereátur nostri et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos,
ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum.

TRANSITORIUM Cf. Mt 28, 20 560/8

Docéte omnes gentes
serváre quæcúmque mandávi vobis,
dicit Dóminus.
Ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.

POST COMMUNIONEM 560/9

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

19 PRO EVANGELIZATIONE POPULORUM

561 **II**

INGRESSA Eph 3, 8 561/1

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc:
géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi.

SUPER POPULUM 561/2

Deus, qui Ecclésiam tuam salútis sacraméntum
cunctis géntibus esse voluísti,
ut usque in fines sæculórum
opus Christi salutíferum persevéret,
tuórum éxcita corda fidélium,
ut ad omnem creatúram salvándam
matúrius séntiant se vocári,
quátenus ex ómnibus natiónibus
tibi pópulus exsúrgat et crescat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 1 Cor 9, 22b-23 561/3

Omnibus ómnia factus sum,
ut áliquos útique fácerem salvos.
Omnia autem fácio propter evangélium,
ut compárticeps eius effíciar.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 561/4

Deus, qui Fílium tuum lumen verum in mundum misísti,
Spíritum promissiónis effúnde,
qui veritátis sémina córdibus íngerat
fideíque súscitet sanctificátor obséquium,
ut omnes, regeneráti baptísmo,
in unum pópulum tuum íngredi mereántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 561/5

Múnera, Dómine, supplicántis Ecclésiæ
in conspéctum maiestátis tuæ ascéndant accépta,
cui pro mundi salúte totíus
grata éxstitit Fílii tui pássio gloriósa.
Qui vivit.

PRÆFATIO 561/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui próvido consílio Dóminum messis rogáre nos iussit,
ut in víneam suam operários míttere dignarétur,
ne umquam in sǽculi peregrinatióne deésset,
qui peténtibus párvulis panem doctrínæ frángeret salutáris,
vel egéntibus redemptiónis grátias dispensáret.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 95, 3-4a 561/7

Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius.
Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.

TRANSITORIUM Ps 116, 1-2 561/8

Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli.
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum.

POST COMMUNIONEM 561/9

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine,
mensæ tuæ participátio salutáris,
ut, quam Unigénitus tuus operátus est in cruce salútem,
omnes gentes Ecclésiæ tuæ sacraménto
gratánter accípiant.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

562 20 PRO CHRISTIANIS PERSECUTIONE VEXATIS

INGRESSA 1 Petr 2, 21b 562/1

Christus passus est pro vobis
vobis relínquens exémplum,
ut sequámini vestígia eius.

SUPER POPULUM 562/2

Deus, qui inscrutábili providéntia
passióni Fílii tui vis Ecclésiam sociári,
fidélibus tuis propter nomen tuum in tribulatióne versántibus
spíritum patiéntiæ caritatísque concéde,
ut promissiónum tuárum fidi inveniántur testes atque veráces.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 73, 19-20 562/3

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem;
exsúrge, Dómine, et iúdica causam tuam,
et ne obliviscáris voces quæréntium te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 562/4

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admítte,
ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis,
secúra tibi sérviat libertáte.
Per Christum.

SUPER OBLATA 562/5

Súscipe, quæsumus, Dómine, nostræ preces humilitátis et hóstias,
ut, qui tibi fidéliter serviéntes
persecutiónes hóminum patiúntur,
gáudeant se Christi Fílii tui sacrifício sociári,
et sua in cælis inter electórum nómina séntiant esse scripta.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 562/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia per Fílii tui salutíferam passiónem
totus orbis sensum confiténdæ tuæ maiestátis accépit,
dum crucis admiránda poténtia
iudícium mundi et potéstas émicat Crucifíxi.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mc 8, 35 562/7

Qui volúerit ánimam suam salvam fácere,
perdet eam;
qui autem perdíderit ánimam suam propter me et evangélium,
salvam eam fáciet.

TRANSITORIUM Cf. Mt 5, 11-12 562/8

Beáti estis, cum maledíxerint vobis
et persecúti vos fúerint propter me,
dicit Dóminus.
Gaudéte et exsultáte,
quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

POST COMMUNIONEM 562/9

Per huius sacraménti virtútem
fámulos tuos, Dómine, in veritáte confírma,
et fidélibus tuis pósitis in tribulatióne concéde,
ut, crucem sibi post tuum Fílium baiulántes,
inter advérsa iúgiter váleant christiáno nómine gloriári.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

563 21 IN CONVENTU SPIRITUALI VEL PASTORALI

INGRESSA Mt 18, 20 563/1

Ubi sunt duo vel tres
congregáti in nómine meo,
ibi sum in médio eórum,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 563/2

Deus, cuius Fílius ómnibus in nómine suo congregátis
seípsum affutúrum esse promísit,
præsta, ut illum nobíscum mereámur habére præséntem,
et abundáre in córdibus nostris
grátiam et misericórdiam experiámur et pacem.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Is 62, 12 563/3

Vocábunt eos Pópulus sanctus, Redémpti a Dómino;
tu autem vocáberis Quæsíta, Cívitas non derelícta.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 563/4

Spíritum intellegéntiæ et veritátis,
quǽsumus, Dómine, nobis benígnus infúnde,
ut, quæ tibi sunt plácita toto corde noscámus,
et quæ novérimus
unánimi voluntátum consensióne sectémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 563/5

Respíciat, quǽsumus, cleméntia tua, Dómine,
tuórum múnera famulórum,
ut, quæ sunt in óculis tuis salutária atque recta,
et veráciter intéllegant et fiduciáliter eloquántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 563/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, ópere ad quod eum míseras consummáto,
Spíritum et ipse misit, ut régeret ac docéret Ecclésiam,
tuúmque daret fidélibus intellégere et participáre mystérium.

Et ídeo cum cælórum virtútibus
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Col 3, 14-15a 563/7

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis.
Et pax Christi dominétur in córdibus vestris.

TRANSITORIUM 563/8

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

POST COMMUNIONEM 563/9

Da nobis, mísericors Deus,
ut sancta, quæ súmpsimus,
et nos in tua voluntáte confírment
et testes ubíque veritátis effíciant.
Per Christum.

564 22 PRO SPIRITUALIBUS EXERCITIIS

INGRESSA 2 Tim 1, 9 564/1

Deus nos salvos fecit et vocávit vocatióne sancta,
non secúndum ópera nostra
sed secúndum propósitum suum et grátiam,
quæ data est nobis in Christo Iesu
ante témpora sæculária.

SUPER POPULUM 564/2

Deus Pater, qui ut sancti essémus et immaculáti,
in Christo Fílio tuo nos benigníssimus elegísti,
corda nostra ad tuum audiéndum verbum résera
tuóque Spíritu ínnova salutári,
ut dilectiónis tuæ consílium et agnóscere valeámus
et fidéliter adimplére.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 94, 8 564/3

Utinam hódie vocem Dómini audiátis:
nolíte obduráre corda vestra, sicut in Meríba
secúndum diem Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri;
probavérunt me, etsi vidérunt ópera mea.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 564/4

Misericórdia tua, Dómine,
nos omni benedictióne répleat et exórnet,
ut, evangélica suscipiéntes alácriter documénta,
ducem salutémque nostram Christum
sincéris ac lætis ánimis prosequámur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 564/5

Huius virtúte sacrifícii, Dómine,
quod tibi reverénter offérimus,
fidéles tuos ad te convérte,
et ab omni culpa vetustátis emúnda,
ut novam in Spíritu Christi vitam confidénter incípiant.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 564/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ad Spíritus tui vocem
nos húmili fidentíque corde cónvocas audiéndam,
ut tantæ grátiæ mótibus dóciles pareámus,
ac nostra magis Fílio tuo conversátio conformétur.

In ipso enim nos prædestinásti miséricors univérsos,
ut secúndum donatiónes tuas in via fídei graderémur,
quæ spem incénderet et caritáte iúgiter operarétur in nobis.

Ad te ígitur, culmen sanctitátis perfectíssimum, contendéntes,
de tua virtúte semper adiuvánte confídimus,
et cum ángelis tibi iubilámus, in exsultatiónis voce cantántes:

CONFRACTORIUM Cf. Eph 4, 1 564/7

Digne, fratres, ambulémus, vocatióne,
qua a Dómino vocáti sumus.

TRANSITORIUM 1 Cor 1, 30 564/8

Vos estis in Christo Iesu,
qui factus est sapiéntia nobis a Deo
et iustítia et sanctificátio et redémptio.

POST COMMUNIONEM 564/9

Dómine sancte, qui pientíssimus ad Christi mensam
nos fílios advocásti,
tua in nobis dona patérna benignitáte custódi,
atque vocatióni tuæ nos dóciles iúgiter fidelésque consérva.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

23 IN CONVENTIBUS VEL EXERCITIIS SACERDOTALIBUS

565 I

INGRESSA Mt 28, 18b-19 565/1

Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra,
dicit Dóminus.
Eúntes ergo docéte omnes gentes,
baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus sancti.

SUPER POPULUM 565/2

Deus, qui ad communiónem sacerdótii Unigéniti tui
una cum epíscopo presbýteros advocásti,
præsta nobis, quǽsumus,
ut, toto dilectiónis ardóre speíque de tua grátia firmitáte,
ad consílium salútis, quæ est in Christi mystério,
incumbámus expléndum.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Tim 6, 14 565/3

Serva mandátum sine mácula
irreprehensíbile usque in advéntum Dómini nostri Iesu Christi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 565/4

Tuis, Dómine, presbýteris concéde propítius,
ut, sacerdotáli múneri fidéliter adhæréntes,
testes sint in mundo verbi tui gratiǽque veráces.
Per Christum.

SUPER OBLATA 565/5

Salútis mystério serviéntibus
da, Pater, ita Spíritu sancto refovéri,
qui, a te donátus, in nobis habitáre dignátur,
ut vocatiónem tuam, qua nos vocásti, fidéliter conservémus,
et mercédem servi boni a reditúro Christo Dómino præstolémur.
Qui vivit.

PRÆFATIO 565/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui per ordinántem epíscopum atque mitténtem
dignáris quoque promovére presbýteros,
ut Christo regi ac sacerdóti sérviant et magístro.

Sed et eius salútis ministério illos sociáre dispónis,
ut orta Ecclésia e Spíritu illíus, qui est mórtuus ac surréxit,
iugis in mundo atque læta succréscat,
et pópulus ipsa Dei, corpus Christi
vivúmque templum eiúsdem Spíritus construátur.

Tantæ ígitur mémores tuórum múnerum largitátis,
maiestáti tuæ débitum réddimus veneratiónis offícium,
et cum ángelis et sanctis concínimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Eph 4, 11-12 565/7

Ipse Christus sanctos instrúxit in opus ministérii,
in ædificatiónem sui córporis.

TRANSITORIUM Io 15, 15 565/8

Iam non dico vos servos,
quia servus nescit quid facit dóminus eius,
vos autem dixi amícos,
quia ómnia, quæ audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

POST COMMUNIONEM 565/9

Cæléstí múnere recreátis Spíritum nobis, Dómine,
virtútis et dilectiónis largíre propítius,
ut, fortitúdine tua iúgiter roboráti,
non erubescámus verbum tuum cum fidúcia nuntiáre,
nec tribulatiónem humíliter pro evangélio sustinére.
Per Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

23 IN CONVENTIBUS VEL EXERCITIIS SACERDOTALIBUS

566 II

INGRESSA Cf. 1 Tim 6, 11 566/1

Tu, o homo Dei, sectáre iustítiam, pietátem, fidem,
caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem.

SUPER POPULUM 566/2

Tuis, Dómine, propítius concéde presbýteris,
ut Christi sacerdótis ac pastóris fiant séduli humilésque minístri,
et eius mirum salútis opus in hoc sǽculo prosequántur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. 2 Tim 1, 7 566/3

Non dedit nobis Deus spíritum timóris
sed virtútis et dilectiónis et sobrietátis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 566/4

Fons omnis bonitátis, Deus,
dignáre grátiam illam in tuis resuscitáre presbýteris,
quæ ipsos elégit tuóque confórmes fecit Fílio redemptóri,
ut commíssæ sibi famíliæ tuæ ministério
semper páteat cor eórum.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 566/5

Quod tibi ófferunt, Dómine, tui presbýteri
sacrifícium dignáre suscípere,
ut unitátem áugeat caritatémque fidélium,
quos regunt tamquam Unigéniti tui vicárii
eiúsque testes dilectiónis in illos.
Qui vivit.

PRÆFATIO 566/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim est Verbum tuum,
quod nutrit tuum pópulum ac susténtat;
ipse tuæ auctor grátiæ,
quæ semper quærit et ad conversiónem ádvocat peccatóres.

Ut autem miseratiónis tuæ consílium singuláre,
in eius morte ac resurrectióne mirabíliter consummátum,
terrénæ peregrinatiónis témpore permanéret,
apóstolos ipse in Spíritu est dignátus elígere.

Quin et epíscopos in eódem Spíritu modo órdinat atque mittit,
eorúmque sacerdótii partícipes sociósque presbýteros,
ut in fratérnæ gáudiis unitátis
illíus essent verbi gratiǽque ómnibus adminístri.

Quo dono Ecclésiæ tuæ prǽstito te gratíssimi celebrámus,
et cum beátis stántibus ad Agni altáre concínimus,
una lætítiæ voce sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 15, 26 566/7

Cum vénerit Paráclitus,
quem ego mittam vobis a Patre,
Spíritum veritátis, qui a Patre procédit,
ille testimónium perhibébit de me.

TRANSITORIUM Io 15, 13 566/8

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

POST COMMUNIONEM 566/9

Qui hoc sacrifício, Deus, Christi Dómini celebrávimus caritátem,
quǽsumus, ut ipsa
in mútua presbyterórum tuórum dilectióne patéscat,
et in tui testimónium et in plebis ædificatiónem
eórum ministério commendátæ.
Per eúndem Christum.

I PRO SANCTA ECCLESIA

23 IN CONVENTIBUS VEL EXERCITIIS SACERDOTALIBUS

567 III

INGRESSA 2 Tim 1, 9 567/1
Deus nos salvos fecit et vocávit vocatióne sancta,
non secúndum ópera nostra
sed secúndum propósitum suum et grátiam,
quæ data est nobis
in Christo Iesu ante témpora sæculária.

SUPER POPULUM 567/2
A Christi fidénter electióne suscéptum,
ministérium impénsius tibi, Dómine, commendámus,
ut, in verbo et doctrína sollícite laborántes,
evangélium grátiæ tuæ ad increméntum Ecclésiæ
efficáciter nuntiémus.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Iac 1, 21 567/3
Abiciéntes omnem immundítiam et abundántiam malítiæ,
in mansuetúdine suscipiámus ínsitum verbum,
quod potest salváre ánimas nostras.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 567/4
Deus ac Pater omnípotens,
da, ut presbýteri tui servíre tibi Dómino gloriéntur,
et, in te mites corde sperántes,
iustítiam quærant pacísque sint operatóres
in sua communitáte veráces.
Per Christum.

SUPER OBLATA 567/5
Hæc múnera súscipe, Deus,
quæ sacerdotális vitæ nostræ oblatiónem rite signíficent,
in tui regni servítium
nostrǽque cum Christo communiónis augméntum,
qui suo vóluit sacrifício servus esse,
ac vitam pro ómnibus immoláre.
Qui vivit.

PRÆFATIO 567/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui per ordinántem epíscopum atque mitténtem
dignáris quoque promovére presbýteros,
ut Christo regi ac sacerdóti sérviant et magístro.

Sed et eius salútis ministério illos sociáre dispónis,
ut orta Ecclésia e Spíritu illíus qui est mórtuus ac surréxit,
iugis in mundo atque læta succréscat,
et pópulus ipsa Dei, corpus Christi
vivúmque templum eiúsdem Spíritus construátur.

Tantæ ígitur mémores tuórum múnerum largitátis,
maiestáti tuæ débitum réddimus veneratiónis offícium,
et cum ángelis et sanctis concínimus, sine fine dicéntes:

Seligi potest etiam præfatio præcedentis missæ.

CONFRACTORIUM Eph 4, 1 567/7

Digne, fratres, ambulémus vocatióne,
qua a Dómino vocáti sumus.

TRANSITORIUM 1 Cor 1, 30 567/8

Vos estis in Christo Iesu,
qui factus est sapiéntia nobis a Deo
et iustítia et sanctificátio et redémptio.

POST COMMUNIONEM 567/9

Domínici, Deus, celebrátio sacrifícii
pastorálem in tuis presbýteris róboret caritátem,
ut in tui glóriam fratrúmque salútem
tibi suam, exémplo Christi, tradant perpétuo voluntátem.
Qui vivit.

II PRO REBUS PUBLICIS

568 24 PRO PATRIA VEL CIVITATE

SUPER POPULUM 568/2

Deus, qui mirábili consílio univérsa dispónis,
quas pro pátria nostra tibi fúndimus preces benígnus exáudi,
ut sapiéntia moderatórum et honestáte concívium
ordo et iustítia confirméntur,
atque fiat perpétua cum pace prospéritas.
Per Dóminum.

569 25 PRO REM PUBLICAM MODERANTIBUS

SUPER POPULUM 569/2

Omnípotens sempitérne Deus,
in cuius manu sunt hóminum corda et iura populórum,
réspice benígnus ad eos, qui nos in potestáte moderántur,
ut pacis secúritas ubíque terrárum
et prospéritas géntium religionísque libértas,
te largiénte, consístant.
Per Dóminum.

570 26 PRO CŒTU MODERATORUM NATIONUM

SUPER POPULUM 570/2

Deus, qui miro órdine cuncta dispónis
et ineffabíliter moderáris,
réspice propítius in congregátos rectóres natiónum,
eísque spíritum tuæ sapiéntiæ cleménter infúnde,
ut in commúnem salútem et pacem constítuant univérsa,
atque a tua numquam voluntáte discédant.
Per Dóminum.

II PRO REBUS PUBLICIS

571 27 PRO SUPREMO NATIONIS MODERATORE

SUPER POPULUM 571/2

Deus, cui humánæ desérviunt potestátes,
da fámulo tuo N.
prósperum suæ dignitátis efféctum,
in qua, te semper timens tibíque placére conténdens,
pópulo sibi crédito líberam órdinis tranquillitátem
iúgiter procúret et servet.
Per Dóminum.

II PRO REBUS PUBLICIS

572 28 PRO POPULORUM PROGRESSIONE

SUPER POPULUM 572/2

Deus, qui cunctis géntibus unam dedísti oríginem dúcere
unámque in famíliam congregári,
tuæ caritátis ardóre in fratres omnes corda nostra perfúnde,
ut bonis, quæ affluénter tríbuis univérsis,
et sínguli perficiántur
et iusta firmétur in hóminum societáte progréssio.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 572/4

Deus, qui hóminem egrégia dignitáte prædítum condidísti,
da, quǽsumus, iuxta providéntiam tuam
sic populórum ordinatiónem ubíque dispóni,
ut sínguli ac cœtus omnes váleant
ad melióra in tua dilectióne procédere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 572/5

Præsta, Dómine, Ecclésiæ tuæ oblatióne suscépta,
ut spíritu filiórum Dei omnes hómines repleántur,
quátenus, æquátis sórtibus in caritáte sincéra,
una fiat in tua pace família populórum.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 572/9

Uno, Dómine, pane refécti,
quo humánam famíliam semper instáuras,
quǽsumus, ut ex uníus participatióne sacraménti,
válidum ac purum hauriámus amórem
et ad progrediéntes pópulos adiuvándos
et ad opus iustítiæ in caritáte geréndum.
Per Christum.

II PRO REBUS PUBLICIS

573 29 PRO PACE SERVANDA

INGRESSA Cf. Is 26, 12-13 573/1

Dómine Deus noster, pacem da nobis,
ómnia enim reddidísti nobis.
Dómine Deus noster, pósside nos;
Dómine, præter te álium non nóvimus;
nomen tuum nominámus, ne derelínquas nos.

SUPER POPULUM 573/2a

Deus, qui pacíficos revelásti fílios tuos esse vocándos,
præsta, quǽsumus,
ut illam instaurémus sine intermissióne iustítiam,
quæ sola firmam pacem spóndeat et verácem.
Per Dóminum.

vel: 573/2b

Deus, cónditor mundi,
sub cuius arbítrio ómnium sæculórum ordo decúrrit,
adésto propítius invocatiónibus nostris,
et tranquillitátem pacis præséntibus concéde tempóribus,
ut in láudibus misericórdiæ tuæ
incessábili exsultatióne lætémur.
Per Dóminum.

vel: 573/2c

Deus pacis, immo pax ipsa,
quam discórdans ánimus non capit,
quam mens cruénta non récipit,
præsta, ut qui concórdes sunt,
boni perseverántiam tueántur,
qui discórdes sunt, mali oblivióne sanéntur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Mac 1, 3-5 573/3

Orémus ad Deum mundo corde et ánimo cupiénti,
dum ad usque donet pacem,
et exáudiat preces nostras,
et reconcíliet se nobis;
in témpore angústiæ non nos derelínquat.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 573/4

Deus, qui patérnam geris curam ómnium,
concéde propítius,
ut hómines, quibus unam dedísti sapiénter oríginem,
et famíliam unam in pace constítuant
et fratérnis semper ánimis uniántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 573/5

Christi, pacífici Regis, sacrifícium salutáre,
his sacramentórum signis oblátum,
quibus pax et únitas designántur,
ad concórdiam, quǽsumus, Pater, profíciat,
inter omnes tuos fílios confirmándam.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 573/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In quo ómnia instauráre tibi complácuit,
et de plenitúdine eius nos omnes accípere tribuísti.

Cum enim in forma Dei esset, exinanívit semetípsum,
ac per sánguinem crucis suæ pacificávit univérsa;
unde exaltátus est super ómnia,
et ómnibus obtemperántibus sibi
factus est causa salútis ætérnæ.

Et ídeo cum cælórum virtútibus te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM 573/7

Pax in cælo, pax in terra,
pax in omni pópulo,
pax sacerdótibus Ecclesiárum Dei.

TRANSITORIUM 573/8

Da pacem, Dómine Pater, sacerdótibus et levítis,
frangéntibus corpus Dómini;
da pacem régibus nostris et pópulo
suméntibus corpus Dómini.

POST COMMUNIONEM 573/9

Largíre nobis, quǽsumus, Dómine, spíritum caritátis,
ut, córpore Unigéniti tui atque sánguine vegetáti,
pacem inter omnes, quam ipse relíquit,
efficáciter nutriámus.
Per Christum.

II PRO REBUS PUBLICIS

574 30 AD PROMOVENDAM IUSTITIAM

INGRESSA 2 Petr 3, 13-14 574/1
Fratres, novos cælos et terram novam
secúndum promíssum Dómini exspectámus,
in quibus iustítia hábitat.
Propter quod, hæc exspectántes satágite
immaculáti et invioláti ei inveníri in pace.

SUPER POPULUM 574/2
Deus ætérne, qui sériem témporum
miránda et inscrutábili providéntia moderáris,
rénova, quǽsumus, Spíritu tuo fáciem terræ,
veréque nobis iustítiæ dilectiónem benígnus infúnde,
ut, ad humaniórem societátem instruéndam,
sincéris rectísque méntibus operémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Rom 15, 2; 14, 19 574/3
Unusquísque nostrum próximo pláceat
in bonum ad ædificatiónem.
Itaque, quæ pacis sunt, sectémur
et quæ ædificatiónis sunt in ínvicem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 574/4
Pater omnípotens,
qui hómines ad tuam imáginem cónditos,
iniústos tamen sæpe cónspicis ac divísos,
tui nos ímbue desidériis imitándi,
ac tuæ promovéndæ víribus caritátis,
ut secúrior ómnibus vita fluat et nova terra festínet accédere,
ubi tandem iustítia commorétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 574/5
Per hoc Iesu, Fílii tui, sacrifícium caritátis,
da nobis, Pater, ne nos ipsos amémus supérbe,
ne dissociémur insáne, sed, operósi regnum tuum exspectántes,
evangélii iustítiam suadeámus in mundo.
Per Christum.

PRÆFATIO 574/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In ipso enim creásti hómines univérsos
et caritáte illos ineffábili redemísti,
fílios tuos per grátiam adoptiónis instítuens,
ac Spíritus tui replens imménsa largitáte munéribus.

Unde præcipis ut fratérno se prosequántur amóre,
et Iesum imitántes, qui pro nobis trádidit semetípsum,
iustítiam próvehant audénter, quam ipse monstrávit.

Hinc et éxcitas ne própriæ cupiditátis cómmoda persequántur
et bona cum frátribus libénti corde commúnicent,
quæ pro ómnibus providentíssimus condidísti.
Ita namque, Pater, pacem quam desíderas operántur,
iustitiámque regni cælórum in veritáte prævéniunt.

Quam exspectántes te cum láudibus venerámur,
et cum ángelis ac sanctis in exsultatióne concínimus,
hymnum maiestáti tuæ sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Rom 15, 7 574/7

Suscipiámus ínvicem, fratres,
sicut et Christus suscépit nos,
in glóriam Dei.

TRANSITORIUM Rom 15, 5-6 574/8

Deus patiéntiæ et solácii
det vobis idípsum sápere in altérutrum
secúndum Christum Iesum,
ut unánimes uno ore glorificétis Deum
et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

POST COMMUNIONEM 574/9

Deus, qui æquitas es atque sánctitas sempitérna,
fac, ut in Ecclésia tua et ubíque
vera regnet communísque iustítia,
quia una grátia nos ad unum convívium congregávit.
Per Christum.

575 31 PRO CIVIUM LIBERTATE

INGRESSA Cf. Ps 71, 14; 76, 16a; 82, 19b 575/1
Ex oppressióne et violéntia rédime, Dómine, ánimas nostras;
rédime in bráchio tuo pópulum tuum,
quóniam tu solus Altíssimus super omnem terram.

SUPER POPULUM 575/2a
Deus, Cónditor ac Pater,
qui hóminem ad tuam fáciens imáginem,
dono libertátis exórnas,
da tuórum filiórum hanc semper éxcoli dignitátem,
ut, recta sciénter eligéntes,
tuum salútis consílium plena cómpleant ratióne.
Per Dóminum.

vel: 575/2b
A violéntia dignáre, Dómine, et a timóre tuos liberáre fidéles,
ut, sua exercéntes iura et libénter se cum céteris sociántes,
bonum persequántur commúne,
quod tu Creátor Patérque dispónis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 93, 22 575/3
Factus est nobis Dóminus in præsídium,
et Deus noster in rupem refúgii nostri.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 575/4
Præsta, Dómine, ut vera semper hómines libertáte fruántur,
eámque possint verbis et opéribus exercére,
ut álacri se stúdio sapiénter ædíficent,
et iustítiæ communiónem constítuant
tuæ consentáneam voluntáti.
Per Christum.

SUPER OBLATA 575/5
Christi sacrifício quo redémptus est mundus,
da nos, Dómine, in filiórum tuórum créscere libertátem,
ac diligénti cuiúsque stúdio bonum communitátis exquírere.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 575/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, hóminem condens fulgéntem honóre præcípuo,
per Fílium tuum donum illi tribuísti miríficum libertátis,
vitǽque vere líberæ cupídinem ómnibus indidísti,
quæ tuórum dignitáti filiórum
iuribúsque congrúeret populórum.

Sic enim est ante te plácitum, Pater ac redémptor,
ut nos non in servitúte crescámus,
quæ opus tuum déprimat vel corrúmpat,
sed in sapiénti nostro voluntátis offício,
quo ad similitúdinem tuam própius accedámus.

Nostram quoque liberatiónem in Christo ita fatémur augéri
et culmen plénius citiúsque perfectiónis attíngi,
quod tuum nobis consílium ætérna ratióne præstítuit.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 104, 43. 45 575/7

Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne,
eléctos suos in lætítia,
ut custódiant iustificatiónes eius,
et leges eius servent.

TRANSITORIUM Ps 99, 3 575/8

Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius.

POST COMMUNIONEM 575/9

Deus, qui ad Christi mensam fecísti
vitæ tuæ nos esse partícipes,
ne fílios tuos umquam destítuas donis ipsórum cóngruis dignitáti,
ut a te sibi constitútam perfectiónem mereántur attíngere.
Per eúndem Christum.

II PRO REBUS PUBLICIS

576 32 TEMPORE BELLI VEL EVERSIONIS

INGRESSA Cf. Ier 29, 11-14 576/1

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis
et non afflictiónis;
invocábitis me, et ego exáudiam vos,
et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

SUPER POPULUM 576/2

Deus misériсors et fortis,
qui bella cónteris deprimísque supérbos,
immanitátes a nobis et lácrimas dignáre festinánter arcére,
ut omnes in veritáte tui mereámur fílii nominári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 17, 5-7 576/3

Circumdedérunt me fluctus mortis,
funes inférni circumdedérunt me.
In tribulatióne mea invocávi Dóminum,
exaudívit de templo suo vocem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 576/4

Deus, auctor pacis et amátor,
quem nosse vívere, cui servíre regnáre est,
ab ómnibus impugnatiónibus nos prótege supplicántes,
ut, qui in tua defensióne confídimus,
nullíus hostilitátis arma timeámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 576/5

Memoráre, Dómine, Fílium tuum, qui est ipse pax,
ódia nostra suo sánguine peremísse,
et, mundi mala propitiátus aspíciens,
da, ut homínibus, quos díligis,
pacem hæc hóstia cum tranquillitáte restítuat.
Per Christum.

PRÆFATIO 576/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

In quo ómnia instauráre tibi complácuit,
et de plenitúdine eius nos omnes accípere tribuísti.

Cum enim in forma Dei esset, exinanívit semetípsum,
ac per sánguinem crucis suæ pacificávit univérsa;
unde exaltátus est super ómnia,
et ómnibus obtemperántibus sibi
factus est causa salútis ætérnæ.

Et ídeo cum cælórum virtútibus te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Eph 2, 17 576/7

Véniens Christus Iesus evangelizávit pacem vobis,
qui longe fuístis,
et pacem his, qui prope.

TRANSITORIUM Io 14, 27 576/8

Pacem relínquo vobis,
pacem meam do vobis, dicit Dóminus;
non quómodo mundus dat, ego do vobis.
Non turbétur cor vestrum, neque formídet.

POST COMMUNIONEM 576/9

Uno pane, qui cor hóminis confírmat, suáviter satiátis,
da nobis, Dómine, et belli furóres superáre felíciter,
et tuam amóris atque iustítiæ legem fírmiter custodíre.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

577 33 INITIO ANNI CIVILIS

Hæc missa dici nequit in sollemnitate octavæ Nativitatis, die 1 ianuarii.

INGRESSA Hebr 13, 8 577/1

Iesus Christus heri et hódie idem,
et in sǽcula!

SUPER POPULUM 577/2

Deus, qui, sine inítio et sine fine,
totíus es princípium creatúræ,
da nobis ita hunc annum transígere,
cuius tibi dedicámus exórdia,
ut et substántiis non egeámus
et fulgeámus opéribus sanctitátis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ex 34, 9 577/3

Obsecrámus, Dómine, ut gradiáris nobíscum,
et áuferas iniquitátes nostras atque peccáta,
nosque possídeas.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 577/4

Qui novum annum, Dómine,
novis nos gáudiis incípere concessísti,
tuæ quoque providéntiæ iúgiter comitáre munéribus,
ut fructus grátiæ in hereditátem ætérnam ubérrimos referámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 577/5

Sacrifícia quæ tibi offérimus,
ita tuis óculis, Dómine, sint accépta,
ut omnes, qui huius anni princípia cum lætítia celebrámus,
réliquum excúrsum eius in tua mereámur transígere caritáte.
Per Christum.

PRÆFATIO 577/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem efformásti,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces,
ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 66, 2 577/7

Deus misereátur nostri et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos.

TRANSITORIUM Ps 64, 12-13 577/8

Coronásti annum benignitáte tua,
et vestígia tua stillábunt pinguédinem.
Stillábunt páscua desérti,
et exsultatióne colles accingéntur.

POST COMMUNIONEM 577/9

Adésto, Dómine, pópulis,
qui sacra mystéria contigérunt,
ut toto huius anni decúrsu nullis perículis affligántur,
qui in tua semper protectióne confídunt.
Per Christum.

578 34 INITIO ANNI SCHOLASTICI AD POSTULANDAM SAPIENTIAM

INGRESSA Cf. Sir 24, 5; Sap 8, 1 578/1

O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi processísti,
attíngis a fine usque ad finem fórtiter,
suáviter disponénsque ómnia,
veni ad docéndum nos viam sciéntiæ.

SUPER POPULUM. 578/2a

Deus, qui mysteriórum tuórum arcána
nobis in Fílio revelásti,
fámulos tuos propítius intuére,
ut miræ Sapiéntiæ tuæ dignam in córdibus nostris
habitatiónem præparáre dignéris.
Per eúndem Dóminum.

vel: 578/2b

Deus, qui in Fílio tuo
únicum nobis veritátis Magístrum ac sapiéntiæ præstitísti,
da, ut eius verba vitæ háuriant nostræ mentes
et adímpleant voluntátes,
quátenus magístri atque discípuli,
ad tui laudem fratrúmque servítium,
íntima in lucem communióne procédant.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 36, 30-31a 578/3

Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
lex Dei eius in corde ipsíus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 578/4a

Deus, qui per coætérnam tibi Sapiéntiam
hóminem cum non esset, condidísti,
perditúmque misericórditer reformásti,
præsta, quǽsumus,
ut, eándem tota mente,
te spiránte intérius, diligéntes,
ad te toto corde currámus.
Per Christum.

vel: 578/4b

Deus, qui lucem de ténebris iussísti
sapiénti dispositióne splendéscere,
ipse tu lux in córdibus nostris semper esse dignáre,
ut ad claritátis tuæ sciéntiam provehámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 578/5

Sanctificétur, Dómine, tua cooperánte Sapiéntia,
huius nostræ devotiónis munus oblátum,
ut tibi placére possit ad laudem,
et nobis profícere ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 578/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui tui agnitiónem nóminis venerándi,
ac tuæ poténtiæ glóriam sempitérnæ,
nobis in coætérna tibi voluísti Sapiéntia reveláre,
ut, tuam confiténtes humíliter maiestátem,
tuísque mandátis fidéliter inhæréntes,
tecum veritátem et vitam felíciter habeámus ætérnam.

Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum ómnibus agmínibus angelórum
clamámus in gáudio, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 35, 10 578/7

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

TRANSITORIUM Io 8, 12b 578/8

Qui séquitur me, non ambulábit in ténebris,
sed habébit lucem vitæ,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 578/9

Per hæc, Dómine Deus, sancta quæ súmpsimus,
córdibus nostris Sapiéntiæ tuæ lumen infúnde,
ut, te veráciter agnoscéntes,
fidéliter diligámus.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

35 PRO HUMANO LABORE SANCTIFICANDO

579 I

INGRESSA Ps 89, 17ab. 16 579/1

Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.
Appáreat servis tuis opus tuum
et decor tuus fíliis eórum.

SUPER POPULUM 579/2a

Deus, qui mundánam creatúram fecísti per Verbum tuum
et eam hómini commisísti ad tuam imáginem excitáto,
præsta, ut, qui eníxe in labóres inténdunt,
tuum adímpleant in fide et alacritáte consílium,
et ad humánam in Christo liberatiónem
dignitatémque cotídie convaléscant.
Per eúndem Dóminum.

vel: 579/2b

Deus, qui humáno labóre imménsum creatiónis opus
iúgiter pérficis et gubérnas,
præsta, quǽsumus,
ut omnes hómines digno potiántur in æquitáte labóre,
quo ártius coniúncti suis váleant frátribus inservíre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Gen 1, 28a 579/3

Benedíxit Deus et ait: Créscite et multiplicámini
et repléte terram et subícite eam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 579/4

Labórem hóminis, Dómine, largíflua benedictióne sanctífica,
ut operári possint omnes ad próprium quisque ingénium
et ad bona commúnia provehénda,
sed et ad humánæ consociatiónis prosperitátem ac pacem,
in tuæ adoptiónis spíritu concitándas.
Per Christum.

SUPER OBLATA 579/5

Per hæc múnera, Deus, hóminis opus accípias,
Christi grátia confirmátum,
et, quæ menti nostræ industriǽque dona largíris,
præsta, ut in commúne conferántur
iuxta Iesu in omnes grátiæ caritátem.
Qui vivit.

PRÆFATIO 579/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos redémit
étiam in nazaréna domo suis mánibus laborándo,
hominísque insígnem tríbuit indústriæ dignitátem.

Quin et ab ipso perácto salútis mystério
opus nostrum sociáre dignátur,
quod, divínam complens mira dispositióne factúram,
íngerit nobis fide laborántibus et caritáte fidúciam
novos nos cælos novámque terram
per tuam grátiam præparáre.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 103, 27-28 579/7

Omnia a te exspéctant, Dómine,
ut des illis escam in témpore suo.
Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam,
implebúntur bonis.

TRANSITORIUM Col 3, 17 579/8

Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini Iesu
grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

POST COMMUNIONEM

579/9

Qui nos, Dómine, advocásti,
ut huius sacraménti múnera participémus
in humáni labóris frúctibus figuráta,
virtútes in nobis iustítiæ ac fraternitátis adáuge,
ut ad veram donórum tuórum communiónem
in Christi caritáte coléndam efficiámur idónei.
Qui vivit.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

35 PRO HUMANO LABORE SANCTIFICANDO

580 II

INGRESSA Ps 89, 17ab. 16 580/1

Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.
Appáreat servis tuis opus tuum
et decor tuus fíliis eórum.

SUPER POPULUM 580/2

Rerum cónditor Deus,
qui hóminem iussísti labóribus offícia sustinére,
da, ut opus quod incípimus huius vitæ prosit augméntis,
et regno Christi dilatándo tua benignitáte profíciat.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Gen 1, 28a 580/3

Benedíxit Deus et ait:
Créscite et multiplicámini
et repléte terram et subícite eam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 580/4

Labórem nostrum, Dómine,
tui semper Spíritus unctióne perfúnde,
ut, dum vitæ necessitátibus libénter tua dispositióne consúlimus,
in débitum tibi obséquium
nostra quævis operátio convertátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 580/5

Deus, qui humánum genus præséntium múnerum
et aliménto végetas et rénovas sacraménto,
nobis, quæsumus, tríbue miserátus,
ut eórum subsídium et corpóribus semper adsit et méntibus.
Per Christum.

PRÆFATIO 580/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos redémit étiam in nazaréna domo suis mánibus operándo,
hominísque insígnem tríbuit indústriæ dignitátem.

Quin et ab ipso perácto salútis mystério
opus nostrum sociáre dignátur,
quod, divínam complens mira dispositióne factúram,
íngerit nobis fide laborántibus et caritáte fidúciam
novos nos cælos novámque terram per tuam grátiam præparáre.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Cor 10, 17 580/7

Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus,
omnes enim de uno pane participámur.

TRANSITORIUM Col 3, 17 580/8

Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini Iesu
grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

POST COMMUNIONEM 580/9

Mensæ partícipes unitátis et caritátis effécti,
Dómine, te rogámus,
ut per ópera, quæ nobis impléndа mandásti,
et vitam sustentémus terrénam
et regnum tuum ædificémus in spíritu.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

35 PRO HUMANO LABORE SANCTIFICANDO

581 III

INGRESSA Ps 89, 17ab. 16 581/1

Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.
Appáreat servis tuis opus tuum
et decor tuus fíliis eórum.

SUPER POPULUM 581/2

Deus, qui naturálium rerum virtútes
hóminum labóri súbdere voluísti,
concéde propítius,
ut, opéribus nostris christiáno spíritu inténti,
sincéram caritátem cum frátribus exercére,
et creatióni divínæ perficiéndæ
præstáre óperam sóciam mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Gen 1, 28a 581/3

Benedíxit Deus et ait: Créscite et multiplicámini
et repléte terram et subícite eam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 581/4

Labórem quo fúngimur, Deus,
sanctíficet obœdiéntia nostra iucúnda,
ut omnis actus noster sacrifícium tibi fiat laudis et glóriæ,
ac mérita nobis pro æternitáte cúmulet et mercédem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 581/5

Súscipe, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ,
et præsta, ut per humánum quem tibi labórem offérimus,
óperi Christi redemptóris coniungámur et méritis.
Qui vivit.

PRÆFATIO 581/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui nos redémit étiam in nazaréna domo suis mánibus laborándo,
hominísque insígnem tríbuit indústriæ dignitátem.

Quin et ab ipso perácto salútis mystério
opus nostrum sociáre dignátur,
quod, divínam complens mira dispositióne factúram,
íngerit nobis fide laborántibus et caritáte fidúciam,
novos nos cælos novámque terram per tuam grátiam præparáre.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 144, 15 581/7

Oculi ómnium in te sperant, Dómine,
et tu das illis escam in témpore opportúno.

TRANSITORIUM Col 3, 17 581/8

Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini Iesu
grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

POST COMMUNIONEM 581/9

Gubérna, quǽsumus, Dómine, temporálibus adiuméntis
quos dignáris ætérnis recreáre mystériis.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

36 IN CONSERENDIS AGRIS

582 I

INGRESSA Ps 103, 23-24a 582/1
Exit homo ad opus suum
et ad operatiónem suam
usque ad vésperum.
Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

SUPER POPULUM 582/2
Deus, quo iuvánte,
sémina terræ mandámus tua multiplicánda virtúte,
concéde, ut, quæ nostris scimus deésse labóribus,
a te, qui das solus increméntum, suppleántur abúnde.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 89, 17ab. 16 582/3
Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.
Appáreat servis tuis opus tuum
et decor tuus fíliis eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 582/4
Deus, refúgium nostrum et virtus,
adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis,
et præsta, ut quod fidéliter pétimus
efficáciter consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 582/5
Deus, qui verus corporálium auctor es frúctuum
et spiritálium summus agrícola,
da, quǽsumus, labórum proféctus nostrórum,
ut fructus terræ capiámus abúnde,
et, quæ ab una providéntia sumunt princípium,
tuam semper cooperéntur ad glóriam.
Per Christum.

PRÆFATIO 582/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem efformásti,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces, ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 84, 13 582/7

Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.

TRANSITORIUM Ps 64, 12-13 582/8

Coronásti annum benignitáte tua,
et vestígia tua stillábunt pinguédinem.
Stillábunt páscua desérti,
et exsultatióne colles accingéntur.

POST COMMUNIONEM 582/9

Qui tuis nos, Dómine, réficis sacraméntis,
mánuum nostrárum adésto labóribus,
ut, qui in te vívimus, movémur et sumus,
terræ semínibus benedictióne concéssa,
de multiplicátis segétibus nutriámur.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

36 IN CONSERENDIS AGRIS

583 II

INGRESSA Ps 103, 23-24 583/1

Exit homo ad opus suum
et ad operatiónem suam
usque ad vésperum.
Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

SUPER POPULUM 583/2

Benedictiónem tuam, Dómine Deus,
super pópulum tuum propitiátus infúnde,
quátenus, dante te benignitátem,
terra nostra próferat fructus suos,
quibus ad honórem sancti tui nóminis
grata semper mente fruámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 89, 17ab. 16 583/3

Sit splendor Dómini Dei nostri super nos,
et ópera mánuum nostrárum confírma super nos.
Appáreat servis tuis opus tuum
et decor tuus fíliis eórum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 583/4

Deus, refúgium nostrum et virtus,
adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis,
et præsta, ut quod fidéliter pétimus
efficáciter consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 583/5

Nostris, Dómine, adésto munéribus,
ut, qui de granis fruménti deférimus tibi panem
in tui corpus Fílii transmutándum,
sémini terræ committéndo
a te concéssa benedictióne lætémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 583/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem efformásti,
et rerum ei subiecísti univérsa miracula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces, ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 84, 13 583/7

Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.

TRANSITORIUM Ps 64, 12-13 583/8

Coronásti annum benignitáte tua,
et vestígia tua stillábunt pinguédinem.
Stillábunt páscua desérti,
et exsultatióne colles accingéntur.

POST COMMUNIONEM 583/9

Concéde fidélibus tuis, omnípotens Deus,
cóngruam terræ frúctuum largitátem,
quibus temporáliter enutríti
spiritálibus quoque profíciant increméntis,
ut, quorum in hoc sacraménto pignus accepérunt,
bona consequántur ætérna.
Per Christum.

584 37 POST COLLECTOS FRUCTUS TERRÆ

INGRESSA Ps 66, 7-8 584/1

Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster.
Benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ.

SUPER POPULUM 584/2

Dómine, Pater bone,
qui terram hómini próvidus tradidísti,
concéde, ut frúctibus ex ea colléctis
vitam sustentáre possímus,
iisdémque ita semper utámur,
ut laudi tuæ et ómnium utilitáti, te opitulánte, profíciant.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 110, 4-5 584/3

Memóriam fecit mirabílium suórum,
miséricors et miserátor Dóminus.
Escam dedit timéntibus se;
memor erit in sǽculum testaménti sui.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 584/4

Grátias tibi reférimus, Dómine,
pro frúctibus, quos in salútem hóminum terra prodúxit,
quátenus, sicut illos
summæ tuæ temperaméntum providéntiæ comparávit,
ita de terra cordis nostri
germen iustítiæ et fructus caritátis fácias exoríri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 584/5

Sanctífica, Dómine, múnera,
quæ tibi de terra fructificánte
cum gratiárum actióne deférimus,
et, qui nobis terrenárum frugum tríbuis ubertátem,
fac mentes nostras cæléstí fertilitáte fecúndas.
Per Christum.

PRÆFATIO 584/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero ad tuam imáginem efformásti,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 144, 7 584/7

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt
et iustítia tua exsultábunt.

TRANSITORIUM Ps 103, 13b. 14c-15a 584/8

De fructu óperum tuórum, Dómine, sátias terram,
edúcens panem de terra,
et vinum, quod lætíficat cor hóminis.

POST COMMUNIONEM 584/9

Da, quǽsumus, Dómine, ut hoc mystério salutári
de percéptis terræ frúctibus tibi grátias exhibéntes,
eódem in nobis operánte, bona possímus cónsequi potióra.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

38 TEMPORE FAMIS, VEL PRO FAME LABORANTIBUS

585 I

INGRESSA Ps 73, 20a. 19 585/1

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

SUPER POPULUM 585/2

Deus, qui bonus et omnípotens ómnibus próvides creatúris,
efficácem da nobis dilectiónem
erga fratres cibórum inópiam patiéntes,
ut, fame depúlsa,
líbero ac secúro corde tibi váleant deservíre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 25, 35 585/3

Esurívi, et dedístis mihi manducáre;
sitívi, et dedístis mihi bíbere;
hospes eram, et collegístis me,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 585/4

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus,
et, quibus esuriéntibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges,
consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 585/5

Réspice, Dómine, oblatiónem,
quam tibi de tuis datis óptimis exhibémus,
ut, quæ divínæ abundántiam vitæ
et unitátem in caritáte signíficat,
ad æquam nos partitiónem
ac mútuum impéllat fraternitátis offícium.
Per Christum.

PRÆFATIO 585/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te creatórem ómnium de frúctibus glorificáre prætéritis,
et de ventúris exoráre supplíciter,
ut, cum de percéptis non invenímur ingráti,
de percipiéndis non iudicémur indígni.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Is 58, 7 585/7

Frange esuriénti panem tuum,
et egénos vagósque induc in domum tuam;
cum víderis nudum, óperi eum
et carnem tuam ne despéxeris.

TRANSITORIUM Mt 11, 28 585/8

Veníte ad me, omnes,
qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 585/9

Deus, Pater, omnípotens, súpplices te rogámus,
ut panis vivus, qui de cælo magna pietáte descéndit,
ad fratres ínopes nos róboret sublevándos.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

38 TEMPORE FAMIS, AB IPSIS ESURIENTIBUS DICENDA

586 II

INGRESSA Ps 73, 20a. 19b 586/1

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

SUPER POPULUM 586/2

Deus, qui mortem non fecísti
et escam éxhibes omni carni,
tuórum famem servórum miserátus expélle,
ut lǽtius corda nostra et expedítius tibi váleant deservíre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mt 25, 35 586/3

Esurívi, et dedístis mihi manducáre;
sitívi, et dedístis mihi bíbere;
hospes eram, et collegístis me;
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 586/4

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus,
et, quibus esuriéntibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges,
consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 586/5

Tibi, Dómine, de nostra egestáte
hæc múnera libénter offérimus,
a tua benignitáte supplíciter exorántes,
ut tuæ sint nobis largitiónis primítiæ salutáris.
Per Christum.

PRÆFATIO 586/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te creatórem ómnium de frúctibus glorificáre prætéritis,
et de ventúris exoráre supplíciter,
ut, cum de percéptis non invenímur ingráti,
de percipiéndis non iudicémur indígni.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Is 58, 7 586/7

Frange esuriénti panem tuum,
et egénos vagósque induc in domum tuam;
cum víderis nudum, óperi eum
et carnem tuam ne despéxeris.

TRANSITORIUM Mt 11, 28 586/8

Veníte ad me, omnes,
qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 586/9

Qui cibum cæléstem, Dómine, a tua largitáte suscépimus,
quǽsumus, ut spem nobis et robur sic cónferat ad labórem,
ut efficáciter nostris ac fratrum necessitátibus
subveníre possímus.
Per Christum.

587 39 PRO PROFUGIS ET EXSULIBUS

INGRESSA Cf. Ier 29, 11-14 587/1

Ego cógito cogitatiónes pacis
et non afflictiónis, dicit Dóminus;
invocábitis me, et ego exáudiam vos,
et redúcam captivitátem vestram
de cunctis locis.

SUPER POPULUM 587/2

Dómine, cui nullus est aliénus,
nemo ab opitulatióne longínquus,
prófugos et éxsules,
segregátos hómines puerósque dispérsos
propítius intuére,
ut illis a te réditus in pátriam,
nobis erga egénum et ádvenam benígnitas tribuátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 90, 11 587/3

Angelis suis Deus mandábit de te,
ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 587/4

Deus, qui tua nos semper providéntia comitáris,
in omnes extórres domo vel pátria,
quǽsumus, óculos benignitátis inténde,
ut in tranquíllam vitæ securitátem tua grátia reparéntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 587/5

Dómine, qui tuum voluísti Fílium pónere ánimam suam,
ut in unum tuos dispérsos fílios congregáret,
præsta, ut hæc pacífica oblátio
communiónem obtíneat animórum,
et caritátem ómnibus fraternitátis adáugeat.
Per Christum.

PRÆFATIO 587/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Ad cuius imménsam pértinet glóriam,
ut non solum mortálibus tua deitáte succúrreres,
sed de ipsa étiam mortalitáte nostra nobis remédium providéres,
et pérditos quosque, unde períerant, inde salváres.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 4, 18 587/7

Spíritus Dómini misit me
prædicáre captívis remissiónem.

TRANSITORIUM Soph 2, 7c 587/8

Visitábit eos Dóminus Deus eórum
et convértet sortem eórum.

POST COMMUNIONEM 587/9

Dómine, qui nos uno pane et uno cálice refecísti,
da nobis humanitátem in ádvenas ac derelíctos
sincéro corde sectári,
ut omnes in terra peregrinatiónis ambuláre páriter sentiámus.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

40 PRO CAPTIVITATE DETENTIS

588 I

SUPER POPULUM 588/2

Deus, cuius Fílius,
ad rediméndum genus humánum a captivitáte peccáti,
servi formam est dignátus accípere,
da fámulis tuis in vínculis constitútis,
ut illa libertáte potiántur, qua omnes hómines, fílios tuos,
mira voluísti largitáte donári.
Per eúndem Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 588/4

Deus, in te sperántium fortitúdo,
invocatiónibus nostris adésto propítius,
et, quia sine te nihil potest mortális infírmitas,
auxílium grátiæ tuæ largíre placátus,
ut, in advérsis semper invícti,
pro te exsístere valeámus,
et a tua numquam laude cessémus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 588/5

Humánæ redemptiónis, Dómine,
quod tibi offérimus sacraménto,
præsta, ut fámuli tui a captivitáte solvántur,
et eórum ánimæ perpétua gáudeant libertáte.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 588/9

Nostræ libertátis prétium recoléntes,
tuam, Dómine, pro frátribus nostris cleméntiam postulámus,
ut a vínculis solvántur ac tuæ iustítiæ servi fiant.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

40 PRO CAPTIVITATE DETENTIS

589 II

SUPER POPULUM 589/2

Deus, qui beátum Petrum apóstolum a vínculis absolútum
illǽsum abíre fecísti,
fámuli tui (famulórum tuórum) in captivitáte pósiti (positórum)
propítius miserére,
eúmque (eósque) cítius redíre permítte ad gáudia libertátis.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 589/4

Fámulum tuum (Fámulos tuos), quǽsumus, Dómine,
placátus inténde,
paritérque eum (eos) et a peccátis absólve propítius
et a cunctis éripe benígnus advérsis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 589/5

Super has, quǽsumus, Dómine,
hóstias benedíctio copiósa descéndat,
quæ captívo nostro (captívis nostris) láqueos pœnæ solvat,
et nos cito de eius (eórum) liberatióne lætíficet.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 589/9

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
et his sacraméntis, quæ súmpsimus,
fámulum tuum (fámulos tuos) a vínculis captivitátis absólve.
Per Christum.

590 41 PRO DETENTIS IN CARCERE

SUPER POPULUM 590/2

Omnípotens et miséricors Deus,
qui solus córdium secréta scrutáris,
iustúmque agnóscis et iustítiæ reddis iníquum,
exáudi nos pro fámulis tuis, qui cárcere detinéntur,
ut patiéntia et spe recreáti,
cítius váleant ad própria sine offensióne revérti.
Per Dóminum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

591 42 IN LAUDEM CONDITORIS TOTIUS NATURÆ

INGRESSA Ps 103, 24. 1 591/1

Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine!
Omnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua.
Bénedic, ánima mea, Dómino.
Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter!

SUPER POPULUM 591/2

Deus omnípotens ac próvide,
qui terram hómini sapiénter custodiéndam commisísti
atque náviter exercéndam,
fílios tuos mirándi consílii fac sócios,
quo cunctis ímperas et præsides creatúris,
ut déxtero illas et fecúndo labóre convértant
in nóminis tui glóriam hominúmque servítium.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 18, 1; 32, 9 591/3

Cæli enárrant glóriam Dei,
et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.
Ipse dixit, et facta sunt,
ipse mandávit, et creáta sunt.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 591/4

Pater sapiéntiæ ac bonitátis imménsæ,
qui hómini ad tuam imáginem cóndito
cælum terrámque donásti,
da nobis, ut creatiónis tuæ munéribus
non in supérbia et avarítia perfruámur,
sed in actióne semper húmili et álacri gratiárum
animísque ad fratrum ómnium necessitátes sollérter inténtis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 591/5

Súscipe, Dómine, in tuórum oblatiónes fidélium,
quæ múnera sapiéntiæ ac dilectiónis tuæ
creátor Patérque donásti,
et, sicut cotídie córpora nostra pro vita nútriunt temporáli,
ita, quǽsumus, tuo sanctificáta spíritu,
illa fúlciant pro cæléstí,
quam nobis in Christo universórum Dómino largiéris.
Qui vivit.

PRÆFATIO 591/6

Vere dignum et iustum est, Pater, tibi grátias ágere,
qui tuæ cotídie creatiónis miráculis nos deléctas,
ac tuárum opéribus mánuum nos exsultáre concédis.

In Christo enim, omnis primogénito ac specímine creatúræ,
verbum tuum omnípotens orbem cóndidit univérsum,
illum a princípio de níhilo ordinátim effíciens,
ut ipsum hómini commítteret divína imágine præfulgénti
et glória tua potíssimum inter mundána præcláro.

Hinc a sapiéntia tua magna et caritáte mirábili
terram ille súscipit incoléndam,
quam operósa cura prudentíque custódiat,
et iuxta legem tuam immútet prosperámque fecúndet,
unde spíritus lumen promat et córporis aliméntum,
suámque laudem nómini tuo éxprimat gratiórem.

Quin et in Fílio tuo, humána indúto carne pro nobis,
in novam extulísti eleménta ómnia dignitátem,
et illis eiúsdem Spíritum consílio largíris arcáno,
qui rédimit a malo et a peccáti líberat servitúte.

Quo grátiæ tuæ, Pater, múnere singulári,
cunctæ quas bonas vocásti ab orígine creatúræ
tuórum revelándam glóriam filiórum
ac novi cæli novǽque terræ præstolántur advéntum,
ubi ómnia instauráta a mortis corruptióne solvéntur,
ubi et homo habitábit resuscitátus in Christo.

Per quem te ángeli sanctíque colláudant,
eísque nos áddimus, maiestáti tuæ læta voce clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Col 1, 15-16 591/7

Tu es, Christe, imágo Dei invisíbilis,
primogénitus omnis creatúræ.
In te cóndita sunt univérsa
in cælis et in terra.

TRANSITORIUM Ps 91, 5; 32, 5b; 8, 2b. 6b 591/8

Delectásti me, Dómine, in factúra tua,
et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.
Misericórdia tua plena est terra.
Eleváta est magnificéntia tua super cælos,
glória et honóre coronásti fílium hóminis.

POST COMMUNIONEM 591/9

Deus, qui in convívio tuo
panem vitæ nobis Fílii tui corpus
ineffábili caritáte dispénsas,
eius amóre, qui nos redémit,
ac Spíritus sancti virtúte concéde,
ut crescat in nobis et consummétur
hoc germen resurrectiónis et glóriæ
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

43 PRO INFIRMIS

592 I

INGRESSA Ps 6, 3 592/1
Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum;
sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

SUPER POPULUM 592/2a
Fámulis tuis, Deus, quos infírmos Christus sibi néxuit
ac lugéntes prædicávit esse beátos,
spei consolatiónem, quǽsumus, tríbue miserátus,
et glóriam cum ipso Fílio tuo beatitúdinis sempitérnæ.
Qui tecum vivit.

vel: 592/2b
Omnípotens sempitérne Deus, salus ætérna credéntium,
pro infírmis tuis fámulis nos exáudi,
pro quibus misericórdiæ tuæ implorámus auxílium,
ut, réddita sibi sanitáte,
gratiárum tibi in Ecclésia tua réferant actiónes.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Is 53, 4 592/3
Vere languóres nostros Dóminus tulit,
et dolóres nostros ipse portávit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 592/4
Vota, Dómine, (horum) fidélium ægrotántium placátus assúme,
eorúmque dolórem in mundi salútem éffice pretiósum,
quem in Christi fide
bonorúmque spe cæléstium patiénter excípiunt.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 592/5
Sacrifícium, Pater sancte,
Unigéniti tui réspice delectatióne dulcíssima,
qui vere languóres nostros ídeo tulit infirmitatésque suscépit,
ut, compatiéntes cum ipso,
ad tuam glóriam pervenirémus ætérnam.
Per Christum.

PRÆFATIO 592/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui passiónes summa in nos dilectióne sustínuit,
ut et exémplo ad sua nos invitáret persequénda vestígia
et iter lucis nobis ac securitátis osténderet,
quo dolóris penítius inspicerémus mortísque mystérium,
sanctificaréntur angóres et futúra glória pararétur.

Sanans enim infirmitátes benígnus et morbos,
ipse regnum Dei nuntiávit homínibus advenísse;
ipse suæ torménta óbtulit passiónis,
ut ab omni nos iniquitáte redímeret;
ipse per hanc sémitam
vóluit in glóriam Patri intráre.

Unde te, Deus, per illum glorificámus in láudibus,
et cum ángelis ac sanctis magnificámus in cánticis,
una voce cum eis sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM 592/7

Exténde, quǽsumus, Pater, médicas manus,
et quod infírmum est cura,
quod dúbium est répara,
quod íntegrum, fide perseveránte, consérva.

TRANSITORIUM Col 1, 24b 592/8

Adímpleo ea, quæ desunt passiónum Christi,
in carne mea pro córpore eius,
quod est Ecclésia.

POST COMMUNIONEM 592/9

Grátia convívii tui, Dómine,
quod est futúræ germen glorificatiónis ac pignus,
tribulatiónes, quǽsumus,
(horum) fratrum nostrórum dolorésque susténtet,
ut, in eis providéntiæ tuæ consílio consummáto,
post témporis huius angóres,
tuæ glóriam revelatiónis accípiant.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

43 PRO INFIRMIS

593 II

INGRESSA Mc 6, 13 593/1

Dæmónia multa eiciébant Duódecim,
et ungébant óleo multos ægrótos et sanábant.

SUPER POPULUM 593/2

Deus, qui languóres nostros a tuo portári Fílio voluísti,
preces famulórum tuórum
pro frátribus ægrótis benígnus exáudi,
ut inter eos, qui beáti prædicántur, se séntiant numerátos,
et patiénti Christo préssius adhæréntes.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 21, 12. 20 593/3

Ne longe fias a me, quóniam tribulátio próxima est,
quóniam non est qui ádiuvet.
Tu autem, Dómine, ne elongáveris,
fortitúdo mea, ad adiuvándum me festína.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 593/4

Réspice, Dómine, fámulos tuos,
in infirmitáte sui córporis laborántes,
et ánimas réfove, quas creásti,
ut, morbi castigatiónibus emendáti,
contínuo se séntiant tua medicína salvátos.
Per Christum.

SUPER OBLATA 593/5

Deus, cuius nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt,
súscipe preces et hóstias,
quibus tuam pro frátribus ægrotántibus
misericórdiam implorámus,
ut, de quorum perículo metúimus,
de eórum salúte lætémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 593/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui passiónes summa in nos dilectióne sustínuit,
ut et exémplo ad sua nos invitáret persequénda vestígia,
et iter lucis nobis ac securitátis osténderet,
quo dolóris penítius inspicerémus mortísque mystérium,
sanctificaréntur angóres et futúra glória pararétur.

Sanans enim infirmitátes benígnus et morbos,
ipse regnum Dei nuntiávit homínibus advenísse;
ipse suæ torménta óbtulit passiónis,
ut ab omni nos iniquitáte redímeret;
ipse per hanc sémitam
vóluit in glóriam Patris intráre.

Unde te, Deus, per illum glorificámus in láudibus,
et cum ángelis ac sanctis magnificámus in cánticis,
una voce cum eis sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Is 53, 4 593/7

Ipse Christus infirmitátes nostras accépit,
et ægrotatiónes nostras portávit.

TRANSITORIUM Mt 25, 36 593/8

Nudus eram, et operuístis me, dicit Dóminus;
infírmus, et visitástis me;
in cárcere eram, et venístis ad me.

POST COMMUNIONEM 593/9

Deus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium,
auxílii tui super infírmos fámulos tuos osténde virtútem,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
Ecclésiæ tuæ sanctæ repræsentári mereántur incólumes.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

594 44 PRO MORIENTIBUS

INGRESSA Mt 26, 39 594/1

Prócidit Iesus in fáciem suam orans et dicens:
Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste;
verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

SUPER POPULUM 594/2

**Omnípotens et miséricors Deus,
qui humáno géneri, per ipsum mortis institútum,
áditum ætérnæ vitæ misericórditer reserásti,
réspice propítius tuum extrémo agóne fámulum laborántem,
ut, consociátus Fílii tui passióni
eiúsque cruóre signátus,
sine mácula tibi váleat præsentári.**
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 114, 3-4 594/3

Circumdedérunt me funes mortis,
et angústiæ inférni invenérunt me.
Tribulatiónem et dolórem invéni
et nomen Dómini invocábam:
O Dómine, líbera ánimam meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 594/4

**Deus, qui fídei tecum coniunctiónem tuo fámulo tribuísti,
concéde, ut per angórem córporis temporálem,
cívium societátem mereátur cónsequi supernórum.**
Per Christum.

SUPER OBLATA 594/5

**Súscipe, Deus, hóstiam, quam tibi pro fámulo tuo
in extrémo vitæ constitúto fidénter offérimus,
et da per eam univérsa illíus delícta purgári,
ut, qui in hac vita tuæ dispositiónis certámine commovétur,
in futúra réquiem consequátur ætérnam.**
Per Christum.

PRÆFATIO 594/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui passiónes summa in nos dilectióne sustínuit,
ut et exémplo ad sua nos invitáret persequénda vestígia,
et iter lucis nobis ac securitátis osténderet,
quo dolóris penítius inspicerémus mortísque mystérium,
sanctificaréntur angóres et futúra glória pararétur.

Sanans enim infirmitátes benígnus et morbos,
ipse regnum Dei nuntiávit homínibus advenísse;
ipse suæ torménta óbtulit passiónis,
ut ab omni nos iniquitáte redímeret;
ipse per hanc sémitam
vóluit in glóriam Patris intráre.

Unde te, Deus, per illum glorificámus in láudibus,
et cum ángelis ac sanctis magnificámus in cánticis,
una voce cum eis sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 4 594/7

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor
neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt.

TRANSITORIUM Io 6, 50 594/8

Hic est panis de cælo descéndens,
ut, si quis ex ipso manducáverit, non moriátur.

POST COMMUNIONEM 594/9

Per huius, Dómine, sacraménti virtútem,
fámulum tuum dignáre cleménter tua grátia sustinére,
ut in hora mortis contra se inimícum prævalére non vídeat,
sed cum ángelis tuis tránsitum habére mereátur ad vitam.
Per Christum.

595 45 TEMPORE TERRÆMOTUS

SUPER POPULUM 595/2

Deus, qui fundásti terram super stabilitátem suam,
parce metuéntibus, propitiáre supplícibus,
ut, treméntis terræ perículis pénitus amótis,
cleméntiam tuam iúgiter sentiámus,
et gratánter tibi serviámus tua protectióne secúri.
Per Dóminum.

596 46 AD PETENDAM PLUVIAM

SUPER POPULUM 596/2

Deus, in quo vívimus, movémur et sumus,
plúviam nobis tríbue congruéntem,
ut, præséntibus subsídiis sufficiénter adiúti,
sempitérna fiduciálius appetámus.
Per Dóminum.

597 47 AD POTULANDAM SERENITATEM

SUPER POPULUM 597/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos et castigándo sanas et ignoscéndo consérvas,
præsta supplícibus tuis,
ut optáta áeris serenitáte lætémur,
et pietátis tuæ donis
ad glóriam nóminis tui salutémque nostram semper utámur.
Per Dóminum.

598 48 AD REPELLENDAS TEMPESTATES

SUPER POPULUM 598/2

Deus, cuius nútui univérsa obœ́diunt eleménta,
dignáre, quǽsumus, terréntes sedáre procéllas,
ut in matériam tránseat laudis comminátio potestátis.
Per Dóminum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

49 IN QUACUMQUE NECESSITATE

599 I

INGRESSA Cf. Ion 2, 3; Ps 119, 1; Sap 3, 8 599/1

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus:
de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me,
exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

SUPER POPULUM 599/2

Deus, refúgium nostrum in labóribus,
in languóribus virtus, solámen in flétibus,
parce pópulo tuo, ut, dignis flagellatiónibus castigátus,
in tua dénique miseratióne respíret.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 2 Cor 1, 3-4a 599/3

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 599/4

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus,
et, quibus esuriéntibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges,
consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 599/5

Preces et oblatiónes nostras, Dómine, súscipe miserátus,
ut, qui nostrórum flagéllis percútimur peccatórum,
miseratiónis tuæ grátia liberémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 599/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius nos fides éxcitat, spes érigit, cáritas iungit.
Cuius miserátio gratuíta puríficat,
quos consciéntia reátus accúsat.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 106, 6 599/7

Redémpti a Dómino clamavérunt ad eum,
cum tribularéntur,
et de necessitátibus eórum erípuit eos.

TRANSITORIUM Mt 11, 28 599/8

Veníte ad me, omnes,
qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 599/9

Tribulatiónem nostram, quǽsumus, Dómine,
intuére propítius,
et indignatiónem tuam,
quam pro peccátis nostris iusta retributióne merémur,
per passiónem Fílii tui propitiátus avérte.
Qui vivit.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

49 IN QUACUMQUE NECESSITATE

600 **II**

INGRESSA Cf. Ps 43, 24-26 600/1

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine?
Exsúrge et ne repéllas in finem.
Quare fáciem tuam avértis,
oblivísceris tribulatiónis nostræ?
Adhǽsit in terra venter noster,
exsúrge, Dómine, ádiuva nos et líbera nos.

SUPER POPULUM 600/2

Omnípotens et miséricors Deus,
afflictiónem nostram propitiátus inténde,
et ita filiórum tuórum onus álleva fidémque confírma,
ut in patérna semper providéntia tua
sine dubitatióne confídant.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 17, 7 600/3

In tribulatióne mea invocávi Dóminum,
et ad Deum meum clamávi,
exaudívit de templo suo vocem meam,
et clamor meus in conspéctu eius introívit in aures eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 600/4

Deus, refúgium nostrum et virtus,
adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis,
et præsta, ut quod fidéliter pétimus,
efficáciter consequámur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 600/5

Súscipe, Dómine, múnera, quæ tibi fidénter offérimus,
et, quam mæróris amaritúdinem sustinémus,
in sacrifícium suavitátis convérte miséricors.
Per Christum.

PRÆFATIO 600/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius nos fides éxcitat, spes érigit, cáritas iungit.
Cuius miserátio gratuíta puríficat,
quos consciéntia reátus accúsat.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 106, 9; 21, 27 600/7

Satiávit Deus ánimam sitiéntem
et ánimam esuriéntem replévit bonis.
Edent páuperes et saturabúntur,
et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum.
Vivant corda eórum in sǽculum sǽculi!

TRANSITORIUM Io 16, 23b-24b 600/8

Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis
Pétite et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 600/9

Te, Dómine, súpplices exorámus,
ut, dápibus recreáti munitíque divínis,
et futúros labóres fórtiter ággredi valeámus
et fratres in pressúra pósitos impénsius confirmémus.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

50 PRO GRATIIS DEO REDDENDIS

601 I

INGRESSA Cf. Eph 5, 19-20 601/1

Cantáte et psállite in córdibus vestris Dómino,
grátias agéntes semper pro ómnibus,
in nómine Dómini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.

SUPER POPULUM 601/2

Deus, cuius misericórdiæ non est númerus,
et bonitátis infinítus est thesáurus,
piíssimæ maiestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus,
tuam semper cleméntiam exorántes,
ut, qui peténtibus postuláta concédis,
eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 137, 1 601/3

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 601/4

Deus, qui in te sperántibus dives semper osténderis,
præsta, ut, de percéptis munéribus tibi grátias exhibéntes,
benefícia tuæ largitátis potióra sumámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 601/5

Odórem, Dómine, sacrifícii huius
cum actiónibus súscipe gratiárum,
ut, quos exaudíre et incólumes serváre dignátus es,
ab omni in pósterum adversitáte custódias,
et in tuo servítio fácias et amóre concréscere.
Per Christum.

PRÆFATIO 601/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te creatórem ómnium de frúctibus glorificáre prætéritis,
et de ventúris exoráre supplíciter,
ut, cum de percéptis non invenímur ingráti,
de percipiéndis non iudicémur indígni.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Tob 13, 8a.c. 10 601/7

Benedícite Dóminum, omnes elécti,
ágite dies lætítiæ et confitémini illi.
Confitére Dómino in bono ópere
et bénedic regem sæculórum.

TRANSITORIUM Ps 115, 12-13 601/8

Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam
et nomen Dómini invocábo.

POST COMMUNIONEM 601/9

Omnípotens Deus, qui hoc pane vitæ
fámulos tuos dignáris et peccáti vínculo liberáre
et vires eórum tua pietáte refícere,
da nobis in spem glóriæ sine intermissióne procédere.
Per Christum.

III IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

50 PRO GRATIIS DEO REDDENDIS

602 **II**

INGRESSA Col 3, 17 602/1

Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini Iesu,
grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

SUPER POPULUM 602/2

Deus, qui fámulos tuos in tribulatióne pósitos
semper miserátus exáudis,
pro benignitáte tua grátias agéntes,
te súpplices deprecámur,
ut, líberi a malis ómnibus,
in gáudio tibi iúgiter serviámus.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 137, 1 602/3

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 602/4

Deus, Pater donórum ómnium,
a quo quidquid habémus aut sumus
descéndere confitémur,
imménsæ tuæ nos doce benefícia pietátis agnóscere,
ac te sincéro corde totáque nostra virtúte dilígere.
Per Christum.

SUPER OBLATA 602/5

Pro collátis donis sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus,
supplíciter deprecántes, ut quod imméritis contulísti,
ad nóminis tui glóriam referámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 602/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te creatórem ómnium de frúctibus glorificáre prætéritis,
et de ventúris exoráre supplíciter,
ut, cum de percéptis non invenímur ingráti,
de percipiéndis non iudicémur indígni.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Tob 13, 8a.c. 10 602/7

Benedícite Dóminum, omnes elécti,
ágite dies lætítiæ et confitémini illi.
Confitére Dómino in bono ópere
et bénedic regem sæculórum.

TRANSITORIUM Ps 115, 12-13 602/8

Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam
et nomen Dómini invocábo.

POST COMMUNIONEM 602/9

Deus, qui nobis in cibum spiritálem reddidísti
salutáre tui Fílii sacraméntum,
quod tibi in actiónem obtúlimus gratiárum,
da nobis ita virtútis et gáudii munéribus confirmári,
ut tibi servíre devótius
et nova benefícia cónsequi mereámur.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

51 PRO REMISSIONE PECCATORUM

603 **I**

INGRESSA Ps 24, 16. 18 603/1

Réspice in me et miserére mei, Dómine,
quia únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum
et dimítte univérsa delícta mea.

SUPER POPULUM 603/2

Deus, qui nullum réspuis, sed quantúmvis peccántibus,
per pæniténtiam pia miseratióne placáris,
ad preces humilitátis nostræ inténde propítius,
et illúmina corda nostra,
ut tua valeámus implére præcépta.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ier 14, 20-22 603/3

Peccávimus ante te, Deus,
ne des nos in oppróbrium propter nomen tuum,
quia tu es Dóminus Deus noster,
quem propítium exspectámus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 603/4

Ab ómnibus nos, quǽsumus, Dómine,
peccátis propitiátus absólve,
ut percépta vénia peccatórum,
líberis tibi méntibus serviámus.
Per Christum.

SUPER OBLATA 603/5

Præsens sacrifícium, Dómine, sit tibi munus accéptum,
quod pro delíctis nostris reverénter offérimus,
et tam vivéntibus quam defúnctis profíciat ad salútem.
Per Christum.

PRÆFATIO 603/6

Vere dignum et iustum est nos tibi semper,
Pater omnípotens,
hymnum prómere et cánticum laudatiónis offérre.

Qui pæniténtium cleménter peccáta dimíttis,
et reverténtes iustíficas peccatóres;
et reis non tantum pœnam tua miseratióne reláxas,
sed donas étiam prǽmia sempitérna.

Et ídeo, cum choris innúmeris angelórum,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

CONFRACTORIUM 603/7

Peccáta nostra adversántur nobis:
fáciat nobíscum Dóminus
secúndum magnam misericórdiam suam,
et recédant a nobis.

TRANSITORIUM 603/8

Peccávimus, Dómine,
peccátum nostrum contra nos est.
Pétimus deprecántes te, remítte nobis, Dómine.
Ne simul perdas nos cum peccátis nostris,
quóniam tu es Deus pæniténtium.

POST COMMUNIONEM 603/9

Præsta nobis, miséricors Deus,
ut, percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum,
illa deínceps vitáre tua grátia valeámus,
et tibi iúgiter sincéro corde servíre.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

51 PRO REMISSIONE PECCATORUM

604 **II**

INGRESSA Cf. Sap 11, 24. 25. 27 604/1

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.

SUPER POPULUM 604/2

Omnípotens ac mitíssime Deus,
preces nostras intuére propítius,
et ab omni peccáto tuórum corda líbera famulórum,
ut sancti Spíritus dignum fíeri habitáculum mereántur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ier 14, 20-22 604/3

Peccávimus ante te, Deus:
ne nos des in oppróbrium propter nomen tuum;
quia tu es Dóminus Deus noster,
quem propítium exspectámus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 604/4

Propitiáre, Dómine, pópulo tuo,
et ab ómnibus absólve peccátis,
ut, quod nostris offensiónibus promerémur,
tua constánter indulgéntia repellátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 604/5

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis et laudis offérimus,
ut et delícta nostra miserátus absólvas
et benígnus nutántia corda tu dírigas.
Per Christum.

PRÆFATIO 604/6

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
hic et ubíque semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus.

Qui peccántium non vis ánimas períre sed culpas,
et peccatóres ad pæniténtiam miserátus exspéctas.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Rom 5, 8 604/7

Comméndat suam caritátem Deus in nos,
quóniam, cum adhuc peccatóres essémus,
Christus pro nobis mórtuus est.

TRANSITORIUM Lc 15, 10 604/8

Gáudium fit coram ángelis Dei
super uno peccatóre pæniténtiam agénte,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 604/9

Præsta nobis, miséricors Deus,
ut, percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum,
illa deínceps vitáre tua grátia valeámus,
et tibi iúgiter sincéro corde servíre.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

52 AD POSTULANDAM CARITATEM

605 I

INGRESSA Io 14, 15; 13, 34a 605/1

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis.
Mandátum novum do vobis,
ut diligátis ínvicem,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 605/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui dígito tuo iustítiam tuæ legis credéntium scribis in córdibus,
da nobis fídei, spei et caritátis augméntum,
et, ut mereámur ássequi quod promíttis,
fac nos amáre quod præcipis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 605/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 605/4

Deus, vita fidélium, humílium glória, beatitúdo iustórum,
súpplicum preces sume propítius,
ut, qui promissiónes tuas sincéra sítiunt caritáte,
de tuæ semper dilectiónis abundántia repleántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 605/5

Spíritum sanctum, Dómine, benígnus emítte,
qui et hæc múnera nostra
tuum nobis effíciat sacraméntum
et ad hoc percipiéndum nostra corda purífícet.
Per Christum.

PRÆFATIO 605/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, fidéles tuos mútua fáciens lege concórdes,
pacem tuam tali fœdere nexuísti,
ut álteri quisque non molirétur inflígere,
quod sibi nollet inférri,
ac pótius bona, quæ sibi cúperet a consórte natúræ,
hæc idem ipse quoque præstáret,
quátenus dum fratérna sínguli se pietáte repériunt,
fíeret in Christi dilectióne mens una cunctórum.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 13, 35 605/7

In hoc cognóscent omnes
quia mei discípuli estis:
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 7 605/8

Diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est,
et omnis, qui díligit,
ex Deo natus est et cognóscit Deum.

POST COMMUNIONEM 605/9

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
tua fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

52 AD POSTULANDAM CARITATEM

606 II

INGRESSA Io 14, 15; 13, 34a 606/1

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis.
Mandátum novum do vobis,
ut diligátis ínvicem,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 606/2

Deus, qui diligéntibus te facis cuncta prodésse,
da córdibus nostris inviolábilem caritátis afféctum,
ut desidéria, de tua inspiratióne concépta,
nulla possint tentatióne mutári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 606/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo,
dabo vobis cor novum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 606/4

Corda nostra, quǽsumus, Dómine,
tuæ spíritu caritátis inflámma,
ut tuæ semper cogitáre valeámus plácita maiestáti,
et tibi in frátribus sincéra dilectióne servíre.
Per Christum.

SUPER OBLATA 606/5

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
concéde, ut ad omnes tuam possímus exténdere caritátem.
Per Christum.

PRÆFATIO 606/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui legem véterem, per manus Móysis,
in tábulis voluísti commendáre lapídeis,
et novam in córdibus novo fœdere,
grátia sancti Spíritus, exarásti,
ut hómines in Christo adoptiónem accíperent filiórum,
teque Patrem agnóscerent et clamárent.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 13, 35 606/7

In hoc cognóscent omnes
quia mei discípuli estis:
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 7 606/8

Diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est,
et omnis, qui díligit,
ex Deo natus est et cognóscit Deum.

POST COMMUNIONEM 606/9

Quos uno, Dómine, cælico pane satiásti,
eos, quǽsumus,
sancti Spíritus grátia tua pietáte perfúnde,
et abundánter réfice dulcédine caritátis.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

607 53 PRO CONCORDIA FOVENDA

INGRESSA Io 14, 15; 13, 34a 607/1

Si dilígitis me, mandáta mea servábitis.
Mandátum novum do vobis,
ut diligátis ínvicem,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 607/2

Deus, largítor pacis et caritátis amátor,
da servis tuis veram cum tua voluntáte concórdiam,
ut ab ómnibus quæ nos pulsant tentatiónibus liberémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 607/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo,
dabo vobis cor novum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 607/4

Deus, summa únitas et vera cáritas,
cor unum et ánimam unam tuis concéde fidélibus,
ut Ecclésiæ tuæ corpus vígeat firmitáte concórdiæ,
et, quæ confessióne nítitur veritátis,
communióne stábili solidétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 607/5

Deus, qui nos ad imáginem tuam
sacraméntis rénovas et præcéptis,
gressus nostros in sémitis tuis pérfice miserátus,
ut caritátis donum, a tua nobis bonitáte sperándum,
his quæ offérimus sacrifíciis, tríbuas apprehéndi.
Per Christum.

PRÆFATIO 607/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
et tibi hanc hóstiam immolatiónis offérre,
quæ est mira prorsus et ineffábilis divíni grátia sacraménti,
quæ, dum in tuam glóriam offértur a plúrimis,
unum Christi corpus sancti Spíritus infusióne perfícitur.

Sed et ipsi, qui súmimus communiónem huius panis et cálicis,
unum in Christo corpus crédimus copulári.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces, ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 13, 35 607/7

In hoc cognóscent omnes
quia mei discípuli estis:
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

TRANSITORIUM 1 Io 4, 7 607/8

Diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est,
et omnis, qui díligit,
ex Deo natus est et cognóscit Deum.

POST COMMUNIONEM 607/9

Sacraménto, Dómine, quod súmpsimus, unitátis,
præsta nobis, quǽsumus,
fratérna iúgiter communióne vivéntibus,
pacem habére quam trádimus,
pacem serváre quam súmimus.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

608 54 PRO FAMILIA

INGRESSA Prov 23, 24b. 25 608/1

Exsúltat gáudio pater iusti,
gáudeat pater tuus et mater tua,
et exsúltet, quæ génuit te.

SUPER POPULUM 608/2

Deus, Pater omnípotens, qui Verbum tuum super terram
íntimæ voluísti condicióne famíliæ conversári,
et suis puríssimis ac paréntum móribus
virtútes illustráre domésticas,
da, ut sánctitas in Ecclésia vígeat coniugális
prolísque flóreat amábilis disciplína.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Lc 2, 51 608/3

Descéndit Iesus cum eis et venit Názareth
et erat súbditus illis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 608/4

Benedíctio tua, clementíssime Pater,
in nostras famílias copiósa descéndat,
ut ab amóre tuo próvido
necessária semper in sǽculo adiuménta percípiant,
et in mansiónibus æternitátis tuæ perfécta lætítia potiántur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 608/5

Hóstias tibi placatiónis offérimus, Dómine,
supplíciter deprecántes,
ut, deíparæ Vírginis beatíque Ioseph interveniénte suffrágio,
famílias nostras in tua grátia fírmiter et optáta pace constítuas.
Per Christum.

PRÆFATIO 608/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, pródiens e sinu tuo
nostrámque formam consílio mirándo suscípiens,
societáti se vóluit congregáre doméstica,
ut insígni documénto natúræ órdinem commendáret,
et tuum famíliæ institútum ad primævam restitúeret dignitátem.

Ibi intemeráta cástitas flóruit coniugális,
ibi nutrício patri Unigénitus Dei súbditus obœdívit,
ibi pacis dulcédinem péperit concórdia caritátis.

Húmilis ergo domus illa quam ortu davídico
fuit sanctitáte beátior,
in qua redemptiónis nostræ mystérii custodiebántur inítia.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Lc 2, 42. 52 608/7

Dóminus Iesus, dum esset annórum duódecim,
proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia
apud Deum et hómines.

TRANSITORIUM 608/8

Magnificámus te, Dei génetrix,
quia ex te natus est Christus,
salvans omnes, qui te glorífícant.
Sancta Dómina, Dei génetrix,
sanctificatiónes tuas transmítte nobis.

POST COMMUNIONEM 608/9

Quos cæléstibus, Pater sancte, réficis sacraméntis,
propítius intuére,
ut, præcláræ famíliæ Christi méritis roboráti,
et cóniugum caritáte et offíciis filiórum
tuæ consília dilectiónis adímpleant.
Per eúndem Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

609 55 PRO CONGREGATIONE

SUPER POPULUM 609/2

Defénde, quǽsumus, Dómine,
beáta María semper vírgine intercedénte,
istam ab omni adversitáte famíliam,
et toto tibi corde prostrátam
ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 609/4

Famíliæ tuæ, Dómine, quǽsumus, esto protéctor,
et misericórdiam tuam concéde poscénti,
ut tibi semper fiat obœ́diens,
et tua dona percípiat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 609/5

Oblatiónem, Dómine, devotiónis nostræ
dignáre cleménter excípere,
et huius virtúte salubérrimi sacraménti
fámulos tuos ab omni adversitáte custódi.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 609/9

Nostræ munéribus redemptiónis accéptis,
eórum nobis, Dómine, celebratióne concéde,
tuæ semper protectiónis contra omnes adversitátes
habére subsídium.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

610 56 PRO FAMILIARIBUS ET AMICIS

SUPER POPULUM 610/2

Deus, qui caritátis dona, grátia sancti Spíritus,
tuórum fidélium córdibus infudísti,
da fámulis tuis,
pro quibus tuam deprecámur cleméntiam,
salútem mentis et córporis,
ut te tota virtúte díligant,
et quæ tibi sunt plácita
tota dilectióne perfíciant.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 610/4

Deus, qui súpplicum vota
per caritátis offícia dignáris excípere,
da fámulis tuis in tua profícere dilectióne,
et in tua protectióne lætári,
ut tibi secúra mente desérviant,
et in tua mereántur pace iúgiter permanére.
Per Christum.

SUPER OBLATA 610/5

Miserére, Dómine, fámulis tuis,
pro quibus hoc laudis sacrifícium tuæ offérimus maiestáti,
ut per hæc sancta supérnæ grátiam benedictiónis obtíneant,
et glóriam beatitúdinis consequántur ætérnæ.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 610/9

Divína libántes mystéria, Dómine, deprecámur,
ut frátribus profíciant ad prosperitátem et pacem
hæc salutária sacraménta,
quæ pro eórum dilectióne tuæ obtúlimus maiestáti.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

611 57 PRO AFFLIGENTIBUS NOS

SUPER POPULUM 611/2

Deus, qui caritátis tuæ præcépto voluísti,
ut nos affligéntibus sincérum impendámus amórem,
da nobis ita novæ legis observáre mandáta,
ut bona pro malis réddere
et álii aliórum ónera portáre studeámus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 611/4

Deus pacis et caritatís amátor et custos,
da ómnibus nos affligéntibus pacem caritatémque sincéram,
et, cunctórum eis remissiónem tríbuens peccatórum,
ab eórum nos éripe poténter insídiis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 611/5

Pacem, Dómine, cum ómnibus habére cupiéntes,
hoc sacrifícium tibi pro iis qui nobis adversántur offérimus,
et Fílii tui mortem commemorámus,
qua tibi reconciliáti sumus, cum essémus inimíci.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 611/9

His pacis nostræ mystériis,
da nos, Deus, cum ómnibus esse pacíficos,
et eos, qui nobis innóxiis adversántur,
tibi gratos effícere nobísque placátos.
Per Christum.

IV PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

612 58 AD POSTULANDAM GRATIAM BENE MORIENDI

INGRESSA 612/1

Cum fidúcia pergémus ad Redemptórem nostrum Iesum,
ad sanctórum cœtum iustorúmque convéntum.
Ibimus ubi sinum suum Abraham sanctus expándit,
ut suscípiat páuperes,
sicut suscépit et Lázarum,
in quo sinu requiéscunt,
qui in hoc sǽculo grávia
atque áspera pertulérunt.

SUPER POPULUM 612/2

Deus, qui nos ad imáginem tuam creásti,
et pro nobis Fílium tuum mortem subíre voluísti,
concéde supplícibus tuis
ita orántes omni témpore vigiláre,
ut absque peccáti mácula de hoc mundo mereámur exíre,
et in sinu misericórdiæ tuæ
cum exsultatióne quiéscere.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 22, 4 612/3

Si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala,
quóniam tu mecum es, Dómine, Deus meus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 612/4

Deus, qui fragilitátis nostræ condicióne
scis mortis esse débitum persolvéndum,
omnipoténtiæ et misericórdiæ tuæ
sic in diébus nostris iúgiter dona largíre,
ut, promissiónum spem habéntes, ad términum pergámus
seréne fílii in Patris prǽmium transitúri.
Per Christum.

SUPER OBLATA 612/5

Qui mortem nostram, Dómine, Unigéniti tui morte vicísti,
perénne nobis auxílium huius sacrifícii virtúte concéde,
ut tuæ obœdiéntes voluntáti de hoc mundo exeámus in pace,
illíus resurrectiónis fruitúri glória sempitérna.
Qui vivit.

PRÆFATIO 612/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vírginem Matrem omnésque sanctos
suæ consórtes vóluit passiónis,
ut, quo præcéssit mýstici córporis ipse caput,
illuc et vivificáta membra sequeréntur in glória.

Caput enim ídeo morti vóluit subiacére,
ut ante membra resúrgeret;
primus et in cælos triumphánter intrávit,
ut certam membra lætámque spem hereditátis acquírerent.

Tanto ígitur múnere in nostræ mortis condicióne suffúlti,
cum ángelis ac beátis te iam vidéntibus libénter adiúngimur,
concórdi voce unóque gáudio concinéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 21, 36 612/7

Vigiláte omni témpore, orántes,
ut possítis stare ante Fílium hóminis.

TRANSITORIUM Cf. Rom 14, 7-8 612/8

Nemo nostrum sibi vivit et nemo sibi móritur;
sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.

POST COMMUNIONEM 612/9

Immortalitátis pígnora, Dómine,
his mystériis consecúti,
pro nostræ mortis éxitu
pietátis tuæ auxílium súpplices implorámus,
ut, inimíci superátis insídiis,
in sinu glóriæ tuæ reficiámur ætérnæ.
Per Christum.

MISSAE VOTIVAE

1 DE SS.MA TRINITATE

Dicitur, cum colore albo, missa de sollemnitate Ss.mæ Trinitatis, p. 390.

2 DE MYSTERIO SANCTÆ CRUCIS

Dicitur, cum colore rubro, missa de festo exaltationis sanctæ Crucis, die 14 septembris, p. 725, vel prouti sequitur:

613 II

INGRESSA 613/1

O crux illa magna, fallens gáudia tartarórum,
et resólvens víncula peccatórum!
Gáudeant omnes gentes,
quia rex noster inférnum vicit.

SUPER POPULUM 613/2

Deus, cui cunctæ obœ́diunt creatúræ,
tuam súpplices ineffábilem misericórdiam exorámus,
ut, quos per lignum sanctæ crucis
Fílii tui pio sánguine redemísti,
ipsis in te credéntibus
Spíritus sancti virtúte
póculum salútis semper infúndas.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM 613/3

O crux benedícta,
quæ sola fuísti digna
portáre regem cælórum,
et Dóminum!

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 613/4

Deus, qui unigéniti Fílii tui pretióso sánguine
vivíficæ crucis vexíllum sanctificáre voluísti,
concéde, quǽsumus,
eos, qui eiúsdem sanctæ crucis honóre lætántur,
tua quoque ubíque protectióne gaudére.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA

613/5

A cunctis nos culpis, quǽsumus, Pater,
hæc purget oblátio,
quæ in ara crucis
étiam totíus mundi tulit offénsam.
Per Christum.

PRÆFATIO

613/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui salútem humáni géneris
in ligno crucis constitúere decrevísti,
ut, unde mors oriebâtur,
inde vita resúrgeret,
et qui in ligno vincébat
in ligno étiam vincerétur,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces, ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM

613/7

Laudámus te, Christe,
et hymnum dícimus tibi,
quia per crucem redemísti mundum.

TRANSITORIUM

613/8

Sicut misértus es, Deus, latróni in cruce,
meménto mei, Dómine, in regno tuo.

POST COMMUNIONEM

613/9

Adésto nobis, Dómine Deus noster,
et, quos lætári sanctæ crucis honóre fecísti,
eius quoque perpétuis defénde subsídiis.
Per Christum.

2 DE MYSTERIO SANCTÆ CRUCIS

614 III

INGRESSA 614/1

O crux illa magna, fallens gáudia tartarórum,
et resólvens víncula peccatórum!
Gáudeant omnes gentes,
quia rex noster inférnum vicit.

SUPER POPULUM 614/2

Dómine Iesu Christe,
qui de sinu Patris in terram
misericórditer descendísti,
tuúmque fudísti cruórem
ad nostra remitténda peccáta,
tuam humíliter cleméntiam deprecámur,
ut in die iudícii inter benedíctos nos advocáre dignéris.
Qui vivis et regnas.

POST EVANGELIUM 614/3

O crux benedícta,
quæ sola fuísti digna
portáre regem cælórum,
et Dóminum!

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 614/4

Deus, qui ad nostra expiánda delícta
Fílium tuum plagis quoque córporis tradidísti,
præsta, quǽsumus,
ut in nostros mortificándos sensus vígiles incumbámus,
et spíritu renováti in tua semper grátia conversémur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 614/5

Sacrifícium tibi, Dómine, reverénter oblátum,
intercedénte unigéniti tui Fílii passióne,
vivíficet nos semper et múniat.
Per Christum.

PRÆFATIO 614/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui per passiónem et crucem
imménsa mundum benignitáte redémit,
et crucis ipsíus medicámine
gustum amaríssimæ arbóris indulcávit.

Sed et mortem, quæ per lignum vénerat interdíctum,
per ligni tropǽum magna virtúte devícit,
ut suæ resurrectiónis victória
ad pátriam nos redúceret paradísi.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM 614/7

Laudámus te, Christe,
et hymnum dícimus tibi,
quia per crucem redemísti mundum.

TRANSITORIUM 614/8

Sicut misértus es, Deus, latróni in cruce,
meménto mei, Dómine, in regno tuo.

POST COMMUNIONEM 614/9

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui pro redemptióne mundi crucis patíbulum ascendísti,
et in remissiónem peccatórum nostrórum
tuum fudísti sánguinem pretiósum,
te súpplices exorámus,
ut post óbitum nostrum cæli iánuas nobis introíre concédas.
Qui vivis.

3 DE SS.MA EUCHARISTIA

Dicitur, cum colore rubro, missa de sollemnitate Sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi, p. 392, vel prouti sequitur:

615 II

INGRESSA Cf. Ps 80, 17 615/1

Cibávit eos Dóminus ex ádipe fruménti,
et de petra melle satiávit eos.

SUPER POPULUM 615/2

Deus, qui humánæ redemptiónis opus implevísti
per Unigéniti tui paschále mystérium,
concéde propítius,
ut, qui Christi mortem et resurrectiónem
in sacramentórum signis fide stábili nuntiámus,
salvatiónis tuæ contínuum experiámur augméntum.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 6, 51 615/3

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi.
Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
panis autem, quem ego dabo,
caro mea est pro mundi vita.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 615/4

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut, qui sollemnitátem córporis et sánguinis
Dómini nostri Iesu Christi cólimus veneránter,
cæléstibus desidériis semper accénsi,
fontem vitæ sitiámus ætérnæ.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 615/5

Nostræ celebrántes memoriále salútis,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut hoc pietátis sacraméntum
fiat unitátis nobis signum et vínculum caritátis.
Per Christum.

PRÆFATIO 615/6

Si adhibetur Prex eucharistica quinta alia præfatio seligatur.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus ætérnúsque sacérdos,
formam sacrifícii perénnis instítuens,
hóstiam tibi se primus óbtulit salutárem,
et primus sui memóriam præcépit offérre.

Cuius carnem pro nobis immolátam
dum súmimus, roborámur,
et fusum pro nobis sánguinem dum potámus, ablúimur.

Et ídeo, cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM 1 Cor 11, 26 615/7

Quotiescúmque manducábitis panem hunc
et cálicem bibétis,
mortem Dómini annuntiátis, donec véniat.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 10, 16 615/8

Calix benedictiónis, cui benedícimus,
communicátio sánguinis Christi est;
et panis, quem frángimus,
participátio córporis Christi est.

POST COMMUNIONEM 615/9

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine,
mensæ cæléstis participátio, quam parásti,
ut Christi córpore et sánguine pretióso,
cuncta semper in te nostra fratérnitas copulétur.
Per eúndem Christum.

616 III

Hæc missa dicitur etiam tamquam missa votiva de Domino Nostro Iesu Christo summo et æterno sacerdote.

INGRESSA Hebr 7, 24-25 616/1

Iesus eo quod manet in ætérnum,
intransgressíbile habet sacerdótium,
unde et salváre in perpétuum potest
accedéntes per semetípsum ad Deum,
semper vivens ad interpellándum pro eis.

SUPER POPULUM 616/2

Deus, qui ad glóriam tuam et géneris humáni salútem
Christum voluísti summum ætern úmque constitúere sacerdótem,
præsta, ut pópulus, quem suo tibi sánguine conquisívit,
ex eius memoriális participatióne
virtútem crucis ipsíus et resurrectiónis accípiat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Hebr 2, 9 616/3

Vidémus Iesum propter passiónem mortis
glória et honóre coronátum,
ut grátia Dei pro ómnibus gustáverit mortem.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 616/4

Exáudi nos, Pater omnípotens,
meritórum Christi mediatóris intúitu,
et, quia pro nobis ipse coram te semper vivens póntifex interpéllat,
tuæ nobis redemptiónis benefícia
in glóriam ætérnam largíre cleménter.
Per eúndem Christum.

SUPER OBLATA 616/5

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis efficáciter exercétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 616/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
tuæ laudis hóstiam iúgiter immolántes.

Cuius figúram Abel iustus instítuit,
agnus quoque legális osténdit,
Abraham celebrávit,
Melchísedech sacérdos exhíbuit,
sed verus agnus et póntifex sempitérnus
Christus implévit.

Et ídeo, cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Cor 11, 24-25 616/7

Hoc corpus est, quod pro vobis tradétur;
hic calix novi testaménti est in meo sánguine,
dicit Dóminus.
Hoc fácite, quotiescúmque súmitis,
in meam commemoratiónem.

TRANSITORIUM Hebr 5, 7 616/8

Iesus in diébus carnis suæ,
preces supplicationésque ad eum,
qui possit salvum illum a morte fácere,
cum clamóre válido et lácrimis ófferens,
exaudítus est pro sua reveréntia.

POST COMMUNIONEM 616/9

Quǽsumus, Dómine,
ut huius sacrifícii participatióne sincéra,
quod in sui commemoratiónem Fílius tuus præcépit offérri,
nosmetípsos cum illo oblatiónem tibi fácias sempitérnam.
Qui vivit.

617 4 DE SS.MO NOMINE IESU

In hac missa adhibetur color albus.

INGRESSA Phil 2, 10-11 617/1

In nómine Iesu omne genu flectátur
cæléstium et terréstrium et infernórum
et omnis lingua confiteátur:
Dóminus Iesus Christus!
in glóriam Dei Patris.

SUPER POPULUM 617/2

Deus, qui Fílio tuo nomen indidísti
ut humáni géneris illum osténderes salvatórem,
ipsíus da tanto múnere nos pérfrui abundánter in terris,
et vultu in cælis pérpetim gaudére lætífico.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 85, 12. 5 617/3

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo
et glorificábo nomen tuum in ætérnum,
quóniam tu, Dómine, suávis et mitis,
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 617/4

Deus Pater, qui salútem humáni géneris
in Iesu Fílio tuo dilectíssimo revelásti,
concéde, ut valeámus divína semper eius virtúte muníri,
ac secúris ambuláre vestígiis ad ætérna gáudia promerénda.
Per Christum.

SUPER OBLATA 617/5

Pater sancte,
qui Christo usque ad mortem obœdiénti nomen dedísti,
cuius uníus virtúte salvémur,
huius pro nobis mediatóris imménsam réspice dignitátem,
ut nobis et peccáta dimíttas
et hereditátem præpares sempitérnam.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 617/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsum enim Unigénitum tuum
verbo salvatiónis misísti mirabíliter insignítum,
ut ab iníqui servitúte nos hostis eríperet,
suóque ipsíus nómine signátos
in tuæ grátiam adoptiónis admítteret,
ac regni tui glória nos effíceret in æternitáte partícipes.

Unde quod coram illo omne genu fléctitur gratulámur,
idémque dúcimus in vita nostra dulce præsídium,
et in morte solácium fortitúdinis invocámus.

Omnibus ígitur creatúris illud celebrántibus sociámur,
chorísque cǽlitum cum exsultatióne coniúngimur,
hymnum tibi devotiónis sine término proferéntes:

CONFRACTORIUM Rom 10, 13 617/7

Omnis, quicúmque invocáverit nomen Dómini,
salvus erit.

TRANSITORIUM Ps 85, 9 617/8

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient
et adorábunt coram te, Dómine,
et glorificábunt nomen tuum.

POST COMMUNIONEM 617/9

Hóstia sumpta, Dómine,
quam Christi nomen honorántes tuæ obtúlimus maiestáti,
grátiam tuam, quǽsumus, nobis infúndat ubérrime,
ut et nostra in cælis esse scripta nómina gaudeámus.
Per eúndem Christum.

618 5 DE PRETIOSISSIMO SANGUINE D. N. IESU CHRISTI

In hac missa adhibetur color ruber.

INGRESSA Cf. Ap 5, 9-10 618/1

Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes.

SUPER POPULUM 618/2

Deus, qui pretióso Unigéniti tui sánguine
univérsos hómines redemísti,
opus in nobis misericórdiæ tuæ conserváre dignéris,
ut ex nostræ salútis mystério
fructum plúrimum consequámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 1 Petr 2, 9 618/3

Pópulus acquisitiónis, annuntiáte virtútes eius,
qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 618/4

Dómine Iesu Christe,
qui de sinu Patris pródiens in terram,
tuum voluísti pro nobis sánguinem fúndere pretiósum,
tanta te passum in remissiónem peccatórum nostrórum
humíliter deprecámur,
ut in die iudícii
nos ad déxteram cum eléctis collocáre dignéris.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 618/5

Maiestáti tuæ, Dómine,
oblatiónis nostræ múnera proferéntes,
ad novi testaménti mediatórem Iesum
his mystériis, quǽsumus, accedámus,
eiúsque aspersiónem sánguinis salutíferam innovémus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 618/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui se pro nobis óbtulit immolándum,
ut córpore eius et sánguine,
quo sumus a peccátis ómnibus liberáti,
ad ætérnam vitam sacrifíciis cæléstibus pascerémur.

Unde profúsis gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat.
Sed et supérnæ virtútes atque angélicæ cóncinunt potestátes,
hymnum glóriæ tuæ pérpetim una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Cor 11, 24-25 618/7

Hoc corpus est, quod pro vobis tradétur;
hic calix novi testaménti est in meo sánguine,
dicit Dóminus.
Hoc fácite, quotiescúmque súmitis,
in meam commemoratiónem.

TRANSITORIUM 618/8

Corpus Christi accépimus,
et sánguinem eius potávimus;
a nullo malo timébimus,
quia Dóminus nobíscum est.

POST COMMUNIONEM 618/9

Refécti, Dómine, cibo potúque cælésti,
quǽsumus, ut ab hóstium formídine nos deféndas,
quos præcláro Fílii tui sánguine redemísti.
Qui vivit.

6 DE SACRATISSIMO CORDE IESU

Dicitur, cum colore rubro, missa de sollemnitate Sacratissimi Cordis Iesu, p. 395, vel prouti sequitur:

619 II

INGRESSA 619/1

Lætémur omnes in Dómino,
memóriam celebrántes
sacratíssimi cordis Iesu Christi Dómini nostri,
in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et misericórdiæ Dei.

SUPER POPULUM 619/2

Fac nos, Dómine Deus,
cordis Fílii tui virtútibus índui et afféctibus inflammári,
ut, effécti eius imágini tua benignitáte confórmes,
ætérnæ redemptiónis mereámur esse partícipes.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Eph 2, 7 619/3

Osténde nobis, Dómine,
abundántes divítias grátiæ tuæ,
in bonitáte super nos in Christo Iesu.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 619/4

Deus, qui nobis in corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis,
thesáuros infinítos dignáris dilectiónis effúndere,
concéde, ut, nostri devótum illi præstántes amóris obséquium,
dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium.
Per Christum.

SUPER OBLATA 619/5

Deus, Pater misericordiárum,
qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos,
Unigénitum tuum, qui nos redímeret, tradidísti,
præsta, quǽsumus, ut, cum ipso in unum mirabíliter consummáti,
tuæ dignum maiestáti offerámus obséquium.
Per Christum.

PRÆFATIO 619/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia Fílius tuus, a te imménsa mundo dilectióne donátus,
vere nostros tulit ipse languóres,
vere dolóres nostros ipse portávit,
et propter nostra fuit scélera vulnerátus.

Qui et venerándi sui cordis ineffábili caritáte
benígnus ánimam pro suis pósuit inimícis,
ac se víctimam satisfactiónis exhíbuit,
ut nos tibi reconciliáret in suo sánguine peccatóres.

Quaprópter, amóris eius divítias recoléntes,
quas in Ecclésiam suam sine cessatióne diffúndit,
cum ángelis et sanctis te fruéntibus sociámur,
hymnum maiestáti tuæ cum exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Mt 11, 28 619/7

Veníte ad me, omnes,
qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Io 15, 13 619/8

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

POST COMMUNIONEM 619/9

Tuæ caritátis sacraménti effécti partícipes,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter implorámus,
ut Christo magis conformémur in terris,
et eius glóriæ consórtes fíeri mereámur in cælis.
Qui vivit.

7 DE SPIRITU SANCTO

620 **I**

In hac missa adhibetur color ruber.

INGRESSA Io 7, 37a-38b 620/1

Si quis sitit véniat ad me et bibat,
qui credit in me.
Flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 620/2

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti,
da nobis in eódem Spíritu recta sápere,
et de eius semper consolatióne gaudére.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Ez 36, 23. 24. 26 620/3

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérso mundo;
dabo vobis cor novum, allelúia, allelúia.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 620/4

Adsit nobis, Dómine, quǽsumus,
Spíritus sancti virtus,
quæ et corda nostra cleménter expúrget
et ab ómnibus tueátur advérsis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 620/5

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica,
et corda nostra sancti Spíritus illustratióne detérge.
Per Christum.

PRÆFATIO 620/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, super omnes cælos gloriósus ascéndens,
sedénsque ad déxteram in poténtia maiestátis,
promíssum Spíritum sanctum in fílios adoptiónis effúdit.

Quem in Ecclésiam iúgiter demíttis sanctificatiónis auctórem,
multíplici suo dono eiúsdem Christi divítias reveléntem,
tuǽque nobis afferéntem ineffábilis caritátis effectus.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Rom 5, 5; 8, 11 620/7

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris,
per inhabitátem Spíritum eius in nobis.

TRANSITORIUM 620/8

Accédite ad altáre Dei,
purificáte corda vestra,
et replémini Spíritu sancto,
suméntes corpus et sánguinem Christi
in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 620/9

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio,
et sui roris íntima aspersióne fecúndet.
Per Christum.

7 DE SPIRITU SANCTO

621 II

INGRESSA Eph 1, 13b-14 621/1

Credéntes in Christo,
signáti estis Spíritu promissiónis sancto,
qui est árrabon hereditátis nostræ.

SUPER POPULUM 621/2

Deus, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur,
et quem nullum potest latére secrétum,
per infusiónem Spíritus sancti
cogitatiónes purífica cordis nostri,
ut te perfécte dilígere et digne laudáre mereámur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Io 14, 26; 15, 26 621/3

Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem,
dicit Dóminus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 621/4

Illo nos igne, quǽsumus, Dómine,
Spíritus sanctus inflámmet,
quem Dóminus noster Iesus Christus misit in terram
et vóluit veheménter accéndi.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 621/5

Hæc oblátio, Dómine,
quam humíliter exhibémus,
cordis nostri máculas váleat emundáre,
ut sancti Spíritus habitátio digna efficiátur ac semper accépta.
Per Christum.

PRÆFATIO 621/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas,
mirísque modis Ecclésiæ gubernácula moderáris.

Virtúte enim Spíritus Fílii tui ita eam adiuváre non désinis,
ut súbdito tibi semper affféctu
nec in tribulatióne supplicáre defíciat,
nec inter gáudia grátias reférre desístat.

Et ídeo, cum angelórum turba atque sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 15, 26; 16, 14 621/7

Spíritus, qui a Patre procédit,
ille me glorificábit, dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Ps 103, 30 621/8

Emíttes Spíritum tuum, Dómine, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ.

POST COMMUNIONEM 621/9

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
sanctum nos Spíritum votis sédulis promeréri,
quátenus eius grátia et ab ómnibus tentatiónibus liberémur
et peccatórum nostrórum indulgéntiam mereámur accípere.
Per Christum.

7 DE SPIRITU SANCTO

622 III

INGRESSA Cf. 2 Cor 1, 21-22 622/1

Unxit nos Deus, et signávit nos
et dedit arrabónem Spíritus in córdibus nostris.

SUPER POPULUM 622/2

Deus, qui univérsam Ecclésiam tuam
in omni gente et natióne sanctíficas,
in totam mundi latitúdinem Spíritus tui dona demítte,
ut, quod in ipsis evangélicæ prædicatiónis exórdiis
tua est operáta dignátio,
nunc quoque per credéntium corda diffúndat.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. Rom 14, 17 622/3

Iustítia et pax regnum Dei est,
et gáudium in Spíritu sancto.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 622/4

Deus, cuius spíritu régimur,
cuius protectióne servámur,
prætende nobis misericórdiam tuam,
et exorábilis tuis esto supplícibus,
ut in te credéntium fides tuis semper benefíciis adiuvétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 622/5

Sacrifícia, Dómine, tuis obláta conspéctibus,
ignis Spíritus effúsus sanctíficet,
qui discipulórum Fílii tui corda succéndit.
Qui vivit.

PRÆFATIO 622/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, super omnes cælos gloriósus ascéndens,
sedénsque ad déxteram in poténtia maiestátis,
promíssum Spíritum sanctum in fílios adoptiónis effúdit.

Quem in Ecclésiam iúgiter demíttis sanctificatiónis auctórem,
multíplici suo dono eiúsdem Christi divítias reveléntem,
tuǽque nobis afferéntem ineffábilis caritátis efféctus.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni angelórum milítia sociáti,
devóta tibi mente concínimus,
uno clamántes ore atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Eph 1, 17 622/7

Spíritum sapiéntiæ et revelatiónis,
largíre nobis, Pater glóriæ,
in agnitióne Iesu Christi, Fílii tui.

TRANSITORIUM Gal 5, 25. 22 622/8

Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus.
Fructus autem Spíritus est cáritas, gáudium, pax.

POST COMMUNIONEM 622/9

Hæc nobis, Dómine, múnera sumpta profíciant,
ut illo iúgiter Spíritu ferveámus,
quem apóstolis tuis ineffabíliter infudísti.
Per Christum.

8 DE BEATA MARIA VIRGINE

Sumitur missa de communi Beatæ Mariæ Virginis (p. 806), iuxta diversa anni tempora.

623 9 DE SANCTIS ANGELIS

Dici potest, cum colore albo, missa de ss. Angelis custodibus, ut die 2 octobris (pp. 746-747), vel prouti sequitur:

INGRESSA Cf. Dan 7, 9-14 623/1

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo angelórum, psállentes in unum,
et ecce cuius impérium non exterminábitur.

SUPER POPULUM 623/2

Plebem tuam, quǽsumus, Dómine,
perpétua pietáte custódi,
ut, secúra semper et necessáriis adiúta subsídiis,
spiríttuum tibímet placitórum pia semper intercessióne lætétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 623/3

Angelum pacis et grátiæ
dona nobis, Dómine Deus noster.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 623/4

Perpétuum nobis, Dómine,
tuæ miseratiónis largíre subsídium,
quibus et angélica præstitísti suffrágia non deésse.
Per Christum.

SUPER OBLATA 623/5

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus,
supplíciter deprecántes,
ut eásdem, angélico ministério
in conspéctum tuæ maiestátis allátas,
et placátus accípias
et ad salútem nostram proveníre concédas.
Per Christum.

PRÆFATIO 623/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Cuius admirábilis sapiéntiæ ordo in salúte hóminum procuránda angelórum próvido fidelíque ministério declarátur.

Dum enim splendórem ipsi tuæ glóriæ contemplántur,
et ante te sunt iúgiter in tuis láudibus concinéndis,
vígiles in via vitæ ad regnum nos tuæ lucis addúcunt.

Quorum vócibus nostras étiam adiúngimus iubilántes,
et maiestáti tuæ hymnum adoratiónis effúndimus,
sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 137, 1 623/7

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi.

TRANSITORIUM 623/8

Angeli circumdedérunt altáre,
et Christus adminístrat panem sanctórum
et cálicem vitæ in remissiónem peccatórum.

POST COMMUNIONEM 623/9

Repléti, Dómine, benedictióne cælésti,
supplíciter implorámus,
ut, quod frágili celebrámus offício,
sanctórum angelórum nobis prodésse sentiámus auxílio.
Per Christum.

Pro opportunitate dici potest, cum colore albo, etiam missa de sollemnitate, ut die 19 martii (p. 607), vel de S. Ioseph opifice, ut die 1 maii (p. 626).

INGRESSA Cf. Lc 12, 42 624/1

Ecce fidélis servus et prudens,
quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

SUPER POPULUM 624/2

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Ioseph
sanctíssimæ Genetrícis Fílii tui sponsum es dignátus elígere,
præsta, quǽsumus,
ut, quem protectórem venerámur in terris,
intercessórem habére mereámur in cælis.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 93, 12 624/3

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine,
et de lege tua docúeris eum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 624/4

Sanctíssimæ Genetrícis tuæ sponsi,
quǽsumus, Dómine, méritis adiuvémur,
ut, quod possibílitas nostra non óbtinet,
eius nobis intercessióne donétur.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 624/5

Laudis hóstiam immolatúri, Pater sancte,
supplíciter postulámus,
ut in ministério nostro beáti Ioseph précibus foveámur,
cui dedísti Unigénitum tuum vice in terris custodíre patérna.
Qui vivit.

PRÆFATIO 624/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et in memória beáti Ioseph benedícere, prædicáre,
debitísque magnificáre præcóniis.

Qui et vir iustus, a te deíparæ Vírgini sponsus est datus,
et fidélis servus ac prudens,
super domum Christi tui
est próvide constitútus,
ut ipsum Unigénitum tuum,
sancti Spíritus obumbratióne concéptum,
patérna vice ac pietáte sédula custodíret.

Eius ígitur múnerum et virtútum fastígia recoléntes,
hymnum maiestáti tuæ cum exsultatióne concínimus,
choris sociáti angelórum sanctorúmque dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Ps 91, 13-14 624/7

Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani succréscet.
Plantátus in domo Dómini
in átriis Dei nostri florébit.

TRANSITORIUM Cf. Mt 25, 21 624/8

Euge, serve bone et fidélis:
intra in gáudium Dómini tui.

POST COMMUNIONEM 624/9

His recreáti, Dómine, vivíficis sacraméntis,
in iustítia tibi semper et sanctitáte vivámus,
beáti Ioseph exémplo et intercessióne confísi,
qui magnis tuis perficiéndis mystériis
vir iustus et obœdiens ministrávit.
Per Christum.

625 11 DE OMNIBUS SANCTIS APOSTOLIS

In hac missa adhibetur color ruber.

INGRESSA Io 15, 16 625/1

Non vos me elegístis,
sed ego elégi vos et pósui vos,
ut vos eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus.

SUPER POPULUM 625/2

Beatórum apostolórum honóre contínuo
Ecclésia tua, Dómine, semper exsúltet,
ut his præsúlibus gubernétur,
quorum doctrína gaudet et méritis.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Act 1, 8 625/3

Accipiétis virtútem superveniénte sancto Spíritu in vos
et éritis mihi testes et in Ierúsalem
et in omni Iudǽa et Samaría
et usque ad últimum terræ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 625/4

Deus, mundi creátor et rector,
qui apóstolos tuos nóminis tui glória consecrásti,
exáudi pópulum tuum,
cum sanctórum tuórum tibi patrocíniis supplicántem,
ut pacis dono profíciat ad fídei et caritátis augméntum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 625/5

Emítte in nos, Dómine, Spíritum sanctum tuum,
quem abúnde in apóstolos effudísti,
ut cognoscámus ea,
quæ per eos nobis tua largitáte donásti,
et ad glóriam tuam rite sacrifícium laudis offerámus.
Per Christum.

PRÆFATIO 625/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quóniam Ecclésiam Fílii tui
in apostólicis tribuísti consístere fundaméntis,
ut signum sanctitátis tuæ in terris manéret ipsa perpétuum,
et cæléstia præbéret cunctis homínibus documénta.

Quaprópter nunc et usque in sæculum
cum ómnibus turmis exércitus angelórum
devóta tibi mente concínimus,
clamántes atque dicéntes:

CONFRACTORIUM Io 17, 18-19 625/7

Sicut me, Pater, misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum;
et pro eis ego sanctífico meípsum,
ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte,
dicit Dóminus.

TRANSITORIUM Cf. Mt 19, 28 625/8

Vos, qui secúti estis me,
sedébitis super thronos duódecim,
iudicántes duódecim tribus Israel,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 625/9

Fac nos, Deus, cum exsultatióne et simplicitáte cordis
in apostolórum perseveráre doctrína,
communicántes in panis fractióne cæléstis,
et oratiónibus assiduitáte mentis instántes.
Per Christum.

626 12 DE S. PETRO, APOSTOLO

In hac missa adhibetur color ruber.

INGRESSA Lc 22, 32 626/1

Dicit Dóminus Simóni Petro:
Ego rogávi pro te ut non defíciat fides tua.
Et tu, aliquándo convérsus, confírma fratres tuos.

SUPER POPULUM 626/2

Deus, qui beáto Petro apóstolo tuo,
collátis clávibus regni cæléstis,
ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti,
concéde, ut intercessiónis eius auxílio
a peccatórum nostrórum néxibus liberémur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 6, 67-68 626/3

Dixit Iesus ad Duódecim:
Numquid et vos vultis abíre?
Respóndit ei Simon Petrus:
Dómine, ad quem íbimus?
Verba vitæ ætérnæ habes.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 626/4

Quas preces effúndimus, Dómine,
beátus pro nobis apóstolus Petrus fáciat gratióres,
suísque iúgiter apud te méritis intercédat,
ut una constánter fide et caritáte coniúncta inveniátur Ecclésia.
Per Christum.

SUPER OBLATA 626/5

Oblatiónem pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
súscipe in beáti Petri apóstoli commemoratióne propítius,
quem ad confiténdum te Deum vivum tuúmque Fílium
secréta revelatióne docuísti,
et gloriósa fecísti passióne magístro suo testimónium perhibére.
Qui vivit.

PRÆFATIO 626/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Et te in sanctis tuis laudáre mirábilem,
per quos potíssimum Unigéniti tui sacrum corpus exórnas
et Ecclésiæ tuæ fundaménta constítuis.

Ipsam enim, in patriárchis et prophétis
sapiénter antíquo fœdere præparátam,
novíssimis tempóribus in apóstolis præcípue condidísti.

Sed et beátum Petrum ex illis es dignátus elígere,
qui, Christi tui divinitátis confessióne conspícuus,
cæléstis superædificándæ domus ab ipso petra fíeri mererétur.

Qui étiam illum totíus tui gregis
sic præsulem custodémque fecísti,
ut fratres quoque suos valéret iúgiter confirmáre,
et, a Fílio tuo regni clávibus insignítus,
quicquid ipse statuísset in terris,
servatúrum te, Pater, sciret in cælis.

Pro cuius honóre et glória singulári,
maiestáti tuæ hæc festa persólvimus,
et choris angélicis sociámur, sine fine clamántes:

CONFRACTORIUM Io 21, 15. 17 626/7

Dicit Simóni Petro Iesus:
Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Dómine, tu ómnia scis, tu cognóscis quia amo te.
Pasce oves meas.

TRANSITORIUM Mt 16, 16. 18 626/8

Dixit Petrus ad Iesum:
Tu es Christus, Fílius Dei vivi.
Respóndit Iesus: Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

POST COMMUNIONEM 626/9

Ad convívium, Dómine, salútis admíssi,
beáti Petri apóstoli memóriam venerántes,
gratánter expóscimus,
ut Fílio tuo, qui verba solus habet vitæ,
iúgiter hæreámus,
quátenus oves gregis tui fidéles
ad páscua felíciter deducámur ætérna.
Per Christum.

627 13 DE S. PAULO, APOSTOLO

In hac missa adhibetur color ruber.

INGRESSA 2 Tim 1, 12; 4, 8 627/1

Scio cui crédidi,
et certus sum quia potens est
depósitum meum serváre in illum diem, iustus Iudex.

SUPER POPULUM 627/2

Dómine Deus, qui beátum Paulum apóstolum
ad prædicándum evangélium mirabíliter designásti,
da fide mundum ímbui univérsum,
quam ipse coram régibus gentibúsque portávit,
ut iúgiter Ecclésia tua cápiat salútis augméntum.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Gal 1, 15a-16a 627/3

Me segregávit Dóminus de útero matris meæ
et vocávit per grátiam suam,
ut reveláret Fílium suum in me,
et evangelizárem illum in géntibus.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 627/4

Deus omnípotens atque clemens,
qui virtútem et misericórdiam tuam magnam
in peccatórum conversióne maniféstas,
quǽsumus, ut illa ad te grátia nos convértat,
quæ beátum apóstolum Paulum
de persecutóre vas electiónis effécit.
Per Christum.

SUPER OBLATA 627/5

Húmili nos corde, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
illo fídei lúmine Spíritus sanctus inúndet,
quo beátum Paulum apóstolum
ad tuæ propagatiónem glóriæ collustrávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 627/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui, in apóstolo tuo Paulo grátiæ tuæ magnália
mirabíliter ostensúrus,
ipsum in beneplácito tuo ex matris útero segregásti,
ut Fílium tuum in se reveláret et evangelizáret in géntibus.

Nam, qui blasphémus prius et persecútor exstíterat,
tam fidélem se præbuit in ministério constitútus,
ut omnem in illo patiéntiam Christus Iesus exprómeret,
quátenus eos, qui in se créderent, ad vitam informáret ætérnam.

Insígne ígitur in salútem géntium vas electiónis efféctus,
ad tuam ipse misericórdiam nos éxcitat prædicándam,
quam læti cum cælítibus collaudámus sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Gal 2, 20b 627/7

In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me
et trádidit seípsum pro me.

TRANSITORIUM Gal 2, 20a 627/8

Vivo iam non ego,
vivit vero in me Christus.

POST COMMUNIONEM 627/9

Córporis et sánguinis Fílii tui, Dómine, communióne refféctis,
concéde, ut ipse Christus sit nobis vívere
nihílque ab eius nos séparet caritáte,
et, beáto monénte apóstolo,
in dilectióne cum frátribus ambulémus.
Per eúndem Christum.

628 14 DE UNO SANCTO APOSTOLO

Dicitur missa ut in eius festivitate. Si vero una cum alio apostolo celebretur, et textus missæ minus concordant cum ipso, dicitur, cum colore rubro, missa quæ sequitur.

INGRESSA Ps 95, 2b-3a 628/1

Annuntiáte de die in diem salutáre Dei,
annuntiáte inter gentes glóriam eius.

SUPER POPULUM 628/2

Ecclésiæ tuæ, Dómine, fidem róbora continénter,
qua Fílio tuo beátus N. apóstolus sinceritáte mentis adhǽsit,
ut, ipso deprecánte,
salútis fiat ipsa cunctis géntibus sacraméntum.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Mc 16, 15 628/3

Dixit eis Iesus: Eúntes in mundum univérsum
prædicáte evangélium omni creatúræ.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 628/4

Supplicatiónibus nostris quǽsumus, Dómine,
benígnus inténde,
et quanto fragilióres nos esse cognóscimus,
tanto magis necessáriis attólle suffrágiis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 628/5

Beáti N. apóstoli commemoratióne, Dómine, múnera deferéntes,
quǽsumus, ut, dignis evangélio Christi móribus conversántes,
increménto fídei, illíus exémplo, collaborémus alácriter.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 628/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui gregem tuum, Pastor ætérne, non déseris,
sed per beátos apóstolos contínua protectióne custódis,
ut iísdem rectóribus gubernétur,
quos Fílii tui vicários eídem contulísti præésse pastóres.

Et ídeo cum ángelis et archángelis,
cum thronis ac dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Cf. Io 14, 2-3 628/7

In domo Patris mei mansiónes multæ sunt.
Vado paráre vobis locum.
Et si abíero et præparávero vobis locum,
íterum vénio et accípiam vos ad meípsum,
ut, ubi sum ego, et vos sitis.

TRANSITORIUM Lc 22, 29-30 628/8

Ego dispóno vobis,
sicut dispósuit mihi Pater meus regnum,
ut edátis et bibátis
super mensam meam in regno meo,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 628/9

Súmpsimus, Dómine, pignus salútis ætérnæ,
memóriam beáti N. apóstoli celebrántes,
quod sit nobis, quæsumus,
vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ.
Per Christum.

629 15 DE OMNIBUS SANCTIS

In hac missa adhibetur color albus.

INGRESSA 629/1

Gaudent in cælis ánimæ sanctórum,
qui Christi vestígia sunt secúti;
ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

SUPER POPULUM 629/2

Fons omnis sanctitátis, Dómine,
da, ut in nostra quique vocatióne dignis móribus ambulémus,
sanctórum tuórum ómnium précibus et exémplis,
quibus divisiónes gratiárum in terra
et unam in cælo mercédem glóriæ contulísti.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 16, 33 629/3

Hæc locútus sum vobis, ut in me pacem habeátis;
in mundo pressúram habétis,
sed confídite, ego vici mundum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 629/4

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos ómnium sanctórum tuórum mérita
sub una tríbuis commemoratióne venerári,
quǽsumus, ut desiderátas nobis tuæ divítias bonitátis,
multiplicátis intercessóribus, largiáris.
Per Christum.

SUPER OBLATA 629/5

Grata tibi sint, Dómine, múnera,
quæ pro cunctórum offérimus honóre sanctórum,
et concéde, ut, quos iam crédimus de sua immortalitáte secúros,
sentiámus quoque de nostra salúte sollícitos.
Per Christum.

PRÆFATIO 629/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Nobis enim civitátem tríbuis celebráre,
quæ mater nostra est cælestísque Ierúsalem,
ubi fratrum nostrórum in ætérnum iam te coróna colláudat.

Ad quam peregríni, per fidem accedéntes, alácriter festinámus,
congaudéntes de Ecclésiæ sublímium glorificatióne membrórum,
qua simul fragilitáti nostræ adiuménta et exémpla concédis.

Et ídeo, cum ipsórum angelorúmque frequéntia,
una te magnificámus laudis voce clamántes:

CONFRACTORIUM Io 16, 27 629/7

Ipse Pater amat vos,
quia vos me amástis
et credidístis quia ego a Deo exívi.

TRANSITORIUM Mt 5, 8 629/8

Beáti mundo corde,
quóniam ipsi Deum vidébunt.

POST COMMUNIONEM 629/9

Deus, qui nos uno pane réficis unáque spei virtúte susténtas,
tua nos páriter grátia corroboráre dignéris,
ut, qui cum sanctis tuis
unum in Christo corpus unúsque spíritus facti sumus,
simul cum ipso ad glóriam resurgámus.
Qui vivit.

MISSAE DEFUNCTORUM

Quamvis integræ missæ, cum suis antiphonis, orationibus et præfationibus, commoditatis causa, proponantur, omnes textus cum aliis commutari possunt, præsertim ad orationes quod attinet, mutatis tamen genere vel numero, pro cuiusvis circumstantiæ opportunitate.

Item in orationibus adiungantur verba quæ magis apta evadant variis circumstantiis, vel quæ minus apta omittantur.

Tempore paschali in fine antiphonarum adiungi potest, pro opportunitate, Allelúia.

I IN EXSEQUIIS

1 UNIUS DEFUNCTI

630 I

INGRESSA Cf. 4 Esd 2, 34-35 630/1

Réquiem ætérnam dona ei, Dómine,
et lux perpétua lúceat ei.

SUPER POPULUM 630/2

Fámulum tuum N., quǽsumus, Dómine, súscipe miserátus,
ut, qui Fílii tui vocem audívit evígilans,
in regni tui convívium cum ipso váleat parátus intráre.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. 4 Esd 2, 34-35 630/3

Réquiem sanctam dona ei, Dómine,
et lux misericórdiæ lúceat ei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 630/4

Ecclésiæ tuæ preces, Dómine Iesu,
qui fuísti mórtuus et vivis,
benígnus exáudi,
fratrísque nostri N.,
quem libro vitæ inscríptum esse sperámus,
confitéri nomen iuxta promíssa coram Patre dignáre.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 630/5

Fámulum tuum N., Dómine,
ab ómnibus vítiis condiciónis humánæ
sacrifícium hoc absólvat,
quo peccáta mundi ábstulit univérsa
Fílius tuus pro nobis ínnocens immolátus.
Qui vivit.

PRÆFATIO 630/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
cuius império náscimur,
arbítrio régimur,
redémpti sumus mystério.

Cuius étiam præcépto ex hac luce discédimus,
et in terram de qua sumpti sumus
prævaricatiónis lege dissólvimur,
qui tamen per Christum ad resurrectiónis glóriam reparámur.

Est namque nostri mériti, Dómine, quod perímus,
tuæ vero pietátis et grátiæ
quod perpétuam cum illo revocámur ad vitam.

Et ídeo cum cælórum nos sociáre virtútibus
et in terris te iúgitur celebráre gaudémus,
maiestáti tuæ sine intermissióne clamántes:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 14, 13 630/7

Audívi vocem de cælo dicéntem:
Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

TRANSITORIUM Io 11, 25-26 630/8

Ego sum resurréctio et vita.
Qui credit in me, etsi mórtuus fúerit, vivet;
et omnis, qui vivit et credit in me,
non moriétur in ætérnum,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 630/9

Dómine Deus, cuius Fílius viáticum nobis relíquit
in sui córporis sacraménto,
concéde propítius fratri nostro N. in tua pace defúncto,
ut per illud ad ipsam Christi mensam pervéniat sempitérnam.
Qui vivit.

I IN EXSEQUIIS

1 UNIUS DEFUNCTI

631 II

INGRESSA Cf. Io 5, 28-29 631/1

Omnes, qui in monuméntis sunt,
áudient vocem Fílii Dei
et procédent, qui bona fecérunt,
in resurrectiónem vitæ,
qui vero mala egérunt,
in resurrectiónem iudícii.

SUPER POPULUM 631/2

Deus, ómnium benedictiónum fons et orígo,
qui fídei donum ac spei fratri nostro N. munificus contulísti,
da, ut ætérno caritátis tuæ gáudio perfruátur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 631/3

Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre;
nihil dignum in conspéctu tuo egi,
ídeo déprecor maiestátem tuam,
ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 631/4

Deus, qui pater misericordiárum et consolatiónis es auctor,
da fratri nostro N., ut cito consídens in tabernáculis beatórum
benígnam se a Christo iúdice audísse senténtiam gratulétur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 631/5

Hóstias tibi, Dómine, supplíciter offeréntes
pro fámuli tui N. salúte, tuam cleméntiam deprecámur,
ut, qui Fílium tuum pium crédidit salvatórem,
misericórdem quoque iúdicem váleat inveníre.
Qui vivit.

PRÆFATIO 631/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui, fidélium tuórum benígnus assúmptor,
illos ad ætérnam glóriam in Christi communióne dispónis.

Quamvis enim mortis humáno géneri illáta condício
péctora humána mentésque contrístet,
tamen cleméntiæ tuæ dono
spe futúræ immortalitátis erígimur,
et mémores salútis ætérnæ
non timémus lucis huius subíre dispéndium.

Nam misericórdiæ tuæ múnere
fidélibus vita mutátur, non tóllitur,
et in tui observatióne timóris
domicílium defúnctis perpétuæ felicitátis acquíritur.

Tanta ígitur tua dispensatióne gaudéntes,
hymnum tibi laudis cum ángelis intonámus,
et cum sanctis páriter cánimus, una voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 4 631/7

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit neque luctus neque clamor
neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt.

TRANSITORIUM Cf. Eph 2, 6-7 631/8

Conresuscitávit nos Deus,
et consedére fecit in cæléstibus in Christo Iesu,
ut osténderet abundántes divítias grátiæ suæ.

POST COMMUNIONEM 631/9

Quǽsumus, Dómine, refécti vitálibus sacraméntis,
ut frater noster N., quem tui fecísti partícipem testaménti,
huius purificátus virtúte mystérii,
in cælis Christi pace lætétur.
Qui vivit.

I IN EXSEQUIIS

1 UNIUS DEFUNCTI

632 III

INGRESSA Cf. Rom 8, 11 632/1

Deus, qui suscitávit Christum a mórtuis,
vivificábit et mortália córpora nostra,
per inhabitántem Spíritum suum in nobis.

SUPER POPULUM 632/2

Fámulo tuo N., Dómine, tuæ concéde pietátis afféctu,
ut, sicut est in baptísmo cum Christo patiénte sepúltus,
ita novus homo dénique cum ipso victóre resúrgat.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Io 5, 24 632/3

Amen amen dico vobis:
Qui verbum meum audit
et credit ei, qui misit me,
habet vitam ætérnam
et in iudícium non venit,
sed tránsiit a morte in vitam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 632/4

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere,
propitiáre fámulo tuo N., et ómnia eius peccáta dimítte,
ut, mortalitátis vínculis absolútus,
transíre mereátur ad vitam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 632/5

His sacrifíciis, Dómine, áblue fámulum tuum N.
a peccátis eius in Christi sánguine pretióso,
ut, quem aqua baptísmatis emundásti,
indesinénter purífices indulgéntia pietátis.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 632/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, Verbum caro factum, ita exinanítus habitávit in nobis,
ut mortalitátem immortális assúmeret,
et crucem passus se volens tráderet sepultúræ.

Sed inde potens magnúsque surréxit,
ut suam ac nostram extólleret dignitátem,
et corruptíbile quoque nostrum
incorruptiónem tandem posset indúere.

Quare, dispensatiónem tuam tam magníficam confiténtes,
vitámque a te sperántes felicitátis ætérnæ,
cánticum tibi laudis cum sanctis et ángelis innovámus:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Th 4, 14 632/7

Sicut Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos, qui dormiérunt,
per Iesum addúcet cum eo.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 632/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo.

POST COMMUNIONEM 632/9

Sumpto sacraménto Unigéniti tui,
qui pro nobis immolátus resurréxit in glória,
te, Dómine, pro fámulo tuo N. supplíciter exorámus,
ut, paschálibus mundátus mystériis,
futúræ resurrectiónis múnere gloriétur.
Per Christum.

I IN EXSEQUIIS

1 UNIUS DEFUNCTI

633 IV

INGRESSA 633/1

Mors Christi vita est ómnium:
morte eius signámur,
mortem eius orántes annuntiámus,
mortem eius offeréntes prædicámus.

SUPER POPULUM 633/2

Deus, cui soli cómpetit vitam præstáre post mortem,
dignáre fámulum tuum N. a peccátis ómnibus liberáre,
ut, qui resurrectiónem crédidit Christi tui,
gloriósus tibi resurrectiónis témpore coniungátur.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 26, 4 633/3

Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 633/4

Deus, qui nos crucis confirmáre mystério voluísti
atque signáre resurrectiónis Fílii sacraménto,
concéde propítius fámulo tuo N.,
ut, mortalitátis néxibus expedítus,
electórum tuórum aggregétur in æternitáte consórtio.
Per Christum.

SUPER OBLATA 633/5

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto propítius,
ut fámulum tuum N., pro quo tibi sacrifícium laudis offérimus,
sanctórum tuórum iam consórtio sociáre dignéris.
Per Christum.

PRÆFATIO 633/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mortem nostram, quæ intráverat per peccátum,
mirándæ sibi mystério dispensatiónis assúmpsit,
ut univérsum genus hóminum a peccáti sólveret servitúte.

Sed et a mórtuis tanta sua virtúte surréxit,
ut nos tibi in libertátis glóriam perhibéret,
et coherédes in regno suo stabilíret ætérno.

Et ídeo cum ángelis et sanctis te fruéntibus collætámur,
simúlque nunc tuam glóriam et in æternitáte canémus:

CONFRACTORIUM Phil 2, 8-9a 633/7

Christus Iesus humiliávit semetípsum
factus obœ́diens usque ad mortem,
mortem autem crucis.
Propter quod et Deus illum exaltávit.

TRANSITORIUM Phil 3, 20-21a 633/8

Noster municipátus in cælis est,
unde étiam salvatórem exspectámus
Dóminum Iesum Christum,
qui transfigurábit corpus humilitátis nostræ
confórme fíeri glóriæ suæ.

POST COMMUNIONEM 633/9

Sacris reparáti mystériis, te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut fámulus tuus N., a delíctis ómnibus emundátus,
ætérno ditári resurrectiónis múnere mereátur.
Per Christum.

I IN EXSEQUIIS

1 UNIUS DEFUNCTI

634 V

INGRESSA 634/1

Suffíciat nobis spes resurrectiónis,
et oculórum nostrórum diréctio
ad glóriam nostri Redemptóris,
in quo nos fide iam resurrexísse putámus.

SUPER POPULUM 634/2

Deus, Pater omnípotens,
cuius Fílium mórtuum fuísse et resurrexísse
fides nostra fatétur,
concéde propítius, ut fámulus tuus N.,
qui obdormívit in illo,
hoc mystério per illum se resúrgere gratulétur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 50, 3 634/3

Miserére mei, Deus,
secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 634/4

Da, quǽsumus, Christe Dómine,
ut fámulus tuus N. in advéntu tuo a malórum número secernátur,
et, iustæ iam adéptus vitæ prǽmia cum beátis,
lúminis tui auram semper hábeat inextínctam.
Qui vivis.

SUPER OBLATA 634/5

Præsta, Dómine, quǽsumus, cleménter acclínis,
ut fámulus tuus N., his sacrifíciis emundátus,
indulgéntiam páriter et réquiem cápiat sempitérnam.
Per Christum.

PRÆFATIO 634/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui et in terris hómines e sinu mortis miserátus erípuit,
admirándæ nobis figúram suæ resurrectiónis osténdens,
qua, primogénitus mortuórum,
se resurgéntium quoque primítias demonstrávit.

Unde fides nostra, Dómine, cælésti pígnore solidátur,
nil mentes nisi te, plenitúdinem bonitátis, exquírunt,
dolor omnis noster tua semper consolatióne lenítur.

Sed et glóriam tuam veneránter corda nostra colláudant,
cum beatórum coróna commúni lætítiæ voce clamántia:

CONFRACTORIUM 2 Tim 1, 10 634/7

Manifestáta est grátia
per illustratiónem salvatóris nostri Iesu Christi,
qui destrúxit quidem mortem,
illuminávit autem vitam et incorruptiónem per evangélium

TRANSITORIUM 1 Io 3, 2 634/8

Nunc fílii Dei sumus,
et nondum manifestátum est quid érimus;
scimus quóniam, cum ipse apparúerit, símiles ei érimus,
quóniam vidébimus eum, sicúti est.

POST COMMUNIONEM 634/9

Quǽsumus, Dómine, refécti tua pietáte mystériis,
ut fámulum tuum N., ab ángelis lucis in pace suscéptum,
in præparáta dedúci fácias habitácula beatórum.
Per Christum.

I IN EXSEQUIIS

635 2 PLURIUM DEFUNCTORUM

INGRESSA 1 Th 4, 13b-14 635/1

Fratres, de dormiéntibus ne contristémini
sicut et céteri, qui spem non habent.
Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos, qui dormiérunt,
per Iesum addúcet cum eo.

SUPER POPULUM 635/2

Fámulis tuis N. et N., Deus,
qui Unigénitum tuum in mundo fidéliter sunt conféssi,
corónam vitæ tribúere tua pietáte dignáre,
nobísque in iúdicis advéntum
pæniténtiam ágere ac vigiláre concéde.
Per eúndem Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 12-13 635/3

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo,
et glorificábo nomen tuum in ætérnum,
quia misericórdia tua magna est super me,
et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 635/4

Quǽsumus, omnípotens Deus, ut fámulos tuos N. et N.
in sinu Abrahæ, Isaac et Iacob collocáre dignéris,
quos, cum tuæ dies agnitiónis advénerit,
inter sanctos et eléctos tuos præcípias suscitári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 635/5

Hóstias, Dómine Deus, placatiónis et laudis offérimus,
ut fámulos tuos N. et N., perpétuæ misericórdiæ largitáte,
in lucis ætérnæ iam fácias regióne gaudére.
Per Christum.

PRÆFATIO 635/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius ita sumus passióne redémpti
et resurrectióne transláti in glóriam libertátis,
ut, contríta morte, cum ipso vitam consequámur ætérnam.

Quaprópter, numquam de tua misericórdia desperántes,
omnes fide signátos tuam véniam confídimus adeptúros,
ut mansiónem perpétuam in regno tuæ lucis obtíneant.

Unde, cum angelórum choris sanctorúmque coniúncti,
glóriam maiestátis tuæ celebrámus, sine fine dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 118, 154. 156 635/7

Iúdica causam meam et rédime me;
propter elóquium tuum vivífica me.
Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine;
secúndum iudícia tua vivífica me.

TRANSITORIUM 635/8

Christi mors victória nostra,
ipsíus mors sacraméntum salútis.

POST COMMUNIONEM 635/9

Consórtium, Dómine, lucis ætérnæ
fámuli tui N. et N. iam festinánter invéniant,
qui perpétuæ consecúti sunt tuæ misericórdiæ sacraméntum.
Per Christum.

II IN ANNIVERSARIO

3 UNIUS DEFUNCTI

636 I

INGRESSA Cf. Iob 19, 25-26 636/1

Scio quod redémptor meus vivit,
et in novíssimo die de terra surrectúrus sum;
et rursum circúmdabor pelle mea,
et in carne mea vidébo Deum meum.

SUPER POPULUM 636/2

Deus, glória fidélium et vita iustórum,
cuius Fílii sumus morte et resurrectióne redémpti,
propitiáre fámulo tuo N.,
ut, qui mystérium nostræ resurrectiónis agnóvit,
beatitúdinis gáudia percípere mereátur ætérnæ.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 636/3

Dómine, mitte ángelum tuum protectórem meum,
qui me súscitet de terræ púlvere,
ut possim occúrrere ad resurrectiónem cum sanctis tuis.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 636/4

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras,
quibus misericórdiam tuam supplíciter deprecámur,
ut fámulum tuum N.,
quem de hoc sǽculo migráre iussísti,
in pacis ac lucis regióne constítuas,
et sanctórum tuórum iúbeas esse consórtem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 636/5

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto propítius,
et hanc oblatiónem, quam tibi pro fámulo tuo N.
fidéliter exhibémus,
ad ætérnam eius pacem, quǽsumus, benígnus assúme.
Per Christum.

PRÆFATIO 636/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius in mortem nos sumus baptísmi rore perfúsi,
ut prióris Adæ peccáto in perpétuum morerémur,
ac secúndi lætánter resurgerémus in grátiam.

Qui suæ nos étiam vitæ vóluit esse partícipes,
ut, imménsa múnera suæ immortalitátis adéptos,
in sempitérnis de se gáudiis nos mirífice satiáret.

Unde, cum univérso choro cælitum sociáti,
glóriam maiestátis tuæ cánimus, concórdi voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Rom 14, 9 636/7

In hoc Christus et mórtuus est et vixit,
ut et mortuórum et vivórum dominétur.

TRANSITORIUM 636/8

Ibimus omnes, qui in Dómino crédimus,
eo ubi paradísus est iucunditátis,
ubi sola Dei fulgébit cláritas.
Ibimus eo ubi sérvulis suis Iesus mansiónes parávit,
ut nos simus cum illo.

POST COMMUNIONEM 636/9

Fámulo tuo N., quǽsumus, Dómine,
orátio supplicántium ex tua miseratióne profíciat,
ut eum et a peccátis ómnibus éxuas
et tuæ redemptiónis fácias esse partícipem.
Per Christum.

II IN ANNIVERSARIO

3 UNIUS DEFUNCTI

637 II

INGRESSA 637/1

De terra creásti me, carne induísti me;
redémptor meus, Christe,
resúscita me in novíssimo die.

SUPER POPULUM 637/2

Fidéli tuo N., quǽsumus, Dómine, concéde propítius,
ut, iam in Christo sacraménto baptísmatis református,
eiúsdem Unigéniti tui ætérna glória coronétur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Ps 50, 4 637/3

Relaxéntur víncula peccatórum meórum,
dum séderis in iudício, Deus.
Amplius lava me ab iniquitáte mea
et a peccáto meo munda me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 637/4

Deus, indulgentiárum Dómine, te súpplices exorámus,
ut fámulum tuum N. aspícias miserátus,
eíque refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem,
ac lúminis tríbuas claritátem.
Per Christum.

SUPER OBLATA 637/5

Múnera, quǽsumus, Dómine,
quæ tibi pro fámulo tuo N. offérimus,
placátus inténde,
ut, cæléstibus remédiis pro tua miseratióne purgátus,
semper vivus et beátus in tua glória collocétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 637/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim pro nobis vires inférni mortísque subiécit,
ut sibi commoriéntibus hoc in sǽculo lacrimárum
imménsum de sua resurrectióne pondus glóriæ largirétur.

Sed et Matrem vírginem sóciam sibi néxuit passiónis,
quæ nobis gratum in vitæ dolóre solácium,
et iánua iucunditátis patens esset in pátriam.

Quaprópter cánticis voces nostras
angelórum áddimus et sanctórum,
laudes bonitátis tuæ sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM 637/7

Non timébis, ánima,
quia Christus passus est,
per cuius passiónem nos redémpti sumus.

TRANSITORIUM Cf. Ps 30, 6a. 2a 637/8

In manus tuas, Dómine,
comméndo spíritum meum.
In te, Dómine, sperávi,
non confúndar in ætérnum.

POST COMMUNIONEM 637/9

Précibus nostris, Dómine, fámulo tuo N. propitiáre,
pro quo tibi sacrifícium laudis obtúlimus,
ut eum electórum tuórum consórtio sociáre dignéris.
Per Christum.

II IN ANNIVERSARIO

3 UNIUS DEFUNCTI

638 III

INGRESSA 638/1

Exténde, Pater, ad suscipiéndos hos páuperes, manus tuas; áperi grémium tuum, ut regni cæléstis consórtio gratuléntur, ubi nullæ nubes, neque ténebræ, neque vesper.

SUPER POPULUM 638/2

Omnípotens et miséricors Deus,
cuius Fílius est voluntárie pro nobis mortem carnis expértus,
fámulo tuo N., qui adhuc nostris vivit in córdibus,
concéde propítius,
ut admirábili eius resurrectiónis victóriæ sociétur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Ps 118, 156 638/3

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine;
secúndum iudícia tua vivífica me.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 638/4

Fámulum tuum N., Deus omnípotens, intuére cleménter,
et sanctórum illi atque electórum largíre consórtium,
rorémque misericórdiæ tuæ perénnis infúnde.
Per Christum.

SUPER OBLATA 638/5

Hóstias tibi, Dómine, húmili supplicatióne deférimus,
ut fámulus tuus N., his adiútus placatiónis offíciis,
tuam iam misericórdiam ad vitam consequátur ætérnam.
Per Christum.

PRÆFATIO 638/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui inter tristíssimos sæviéntis mortis angóres
in te credéntibus dedísti sanctórum speráre consórtium
et animárum corporúmque vigórem in æternitáte beáta.

Nobis enim, Dómine, resurrectiónis glóriam præstolári
passiónis Fílii tui múnere contulísti,
eiúsque per ævum de commúni morte victóriæ.

Et ídeo cum cælórum nos sociáre virtútibus
et in terris te iúgiter celebráre gaudémus,
maiestáti tuæ sine intermissióne clamántes:

CONFRACTORIUM 638/7

Sequántur te, Dómine Iesu,
qui tibi in fide vixérunt,
ubi réquies pura, lux est immortális, grátia perpétua;
ubi nullæ sunt lácrimæ, nullus lapsus, nullus fletus.

TRANSITORIUM Cf. Ap 21, 1. 5a. 6a 638/8

Vidi cælum novum et terram novam:
primum enim cælum et prima terra abiérunt.
Et dixit, qui sedébat super throno: Ecce nova fácio ómnia.
Facta sunt! Ego sum Alpha et Oméga, princípium et finis.

POST COMMUNIONEM 638/9

Dignáre, Dómine, his sacrifíciis tua pietáte suscéptis,
misericórdiam tuam super fámulum tuum N.
multiplicáre defúnctum,
ut, cui baptísmi grátiam contulísti,
dones et in æternitáte lætítiam.
Per Christum.

II IN ANNIVERSARIO

639 4 PLURIUM DEFUNCTORUM

INGRESSA Cf. 1 Cor 15, 20. 23 639/1
Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium.
Primítiæ Christus, deínde hi, qui sunt Christi
in advéntu eius.

SUPER POPULUM 639/2
Frátribus nostris N. et N., quǽsumus, Dómine,
quos tibi de terra vocásti, largíre cleménter,
ut, qui peccáti mortem in Christi passióne vicérunt,
in ipsíus resurrectióne nunc sine fine læténtur.
Qui tecum vivit.

POST EVANGELIUM Cf. Is 38, 20 639/3
Dómine, salvum me fac,
et psalmos nostros cantábimus
cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 639/4
Fámulis tuis N. et N. indulgéntiam,
quǽsumus, Dómine, largíre perpétuam,
et, a contágiis mortalitátis exútos,
in partem restítue salvatiónis ætérnæ.
Per Christum.

SUPER OBLATA 639/5
Hóstias, quǽsumus, Dómine,
quas tibi pro fámulis tuis N. et N. offérimus,
propitiátus inténde,
ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti,
donáre muníficus dignéris et prǽmium.
Per Christum.

PRÆFATIO 639/6
Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem salus mundi,
per quem vita ómnium,
per quem resurréctio mortuórum.

Ipse enim, nostri condicióni géneris ineffábili caritáte compátiens,
dolóres nostros tulit míserans et póndera peccatórum,
ut diræ senténtiam mortis in prǽmia nostra convérteret.

Opus vero redemptiónis ita pascháli mystério consummávit,
ut secúram nobis spei lætítiam confirmáret,
minúsque graváret óculos nostros e terréna luce discéssio.

Toto ígitur dilectiónis ímpetu tua benefícia celebrámus,
et cum cæléstibus turmis laudes tuas in exsultatióne proférimus:

CONFRACTORIUM Cf. Tit 1, 2; Gal 1, 1 639/7

Spem vitæ ætérnæ promísit nobis,
qui non mentítur Deus.
Grátias agámus illi,
qui suscitávit Iesum a mórtuis.

TRANSITORIUM Cf. 1 Cor 15, 55 639/8

Ubi est, mors, victória tua?
Ubi est, mors, stímulus tuus?
Ipse, qui mortem vicit nos redémit,
ut ex ímpiis fáceret sibi diléctos.

POST COMMUNIONEM 639/9

Précibus nostris, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis inclína,
et fámulis tuis N. et N. remissiónem tríbue peccatórum,
ut, his sacrifíciis purificáti,
beatórum pérfrui consórtio mereántur.
Per Christum.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

5 PRO UNO DEFUNCTO

640 I

INGRESSA Cf. 4 Esd 2, 34-35 640/1

Réquiem ætérnam dona ei, Dómine,
et lux perpétua lúceat ei.

SUPER POPULUM 640/2

Omnípotens sempitérne Deus,
cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur,
propitiáre fámulo tuo N.,
qui de hac vita in tui nóminis confessióne decéssit,
ut sanctórum tuórum número fácias aggregári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Cf. 4 Esd 2, 34-35 640/3

Réquiem sanctam dona ei, Dómine,
et lux misericórdiæ lúceat ei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 640/4

Fidélium, Deus, animárum cónditor et redémptor,
fámulo tuo N. cunctórum remissiónem tríbue peccatórum,
ut, quam semper in terris optávit,
indulgéntiam consequátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 640/5

Huius sacrifícii, Pater, oblatióne suscépta,
da fámulum tuum N.
abundántiæ Christi divitiárum esse consórtem,
ut cum eódem Fílio tuo resuscitári váleat
et ad eius déxteram collocári.
Qui vivit.

PRÆFATIO 640/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem salus mundi,
per quem vita ómnium,
per quem resurréctio mortuórum.

Ipse enim, nostri condicióni géneris ineffábili caritáte compátiens,
dolóres nostros tulit míserans et póndera peccatórum,
ut diræ senténtiam mortis in prǽmia nostra convérteret.

Opus vero redemptiónis ita paschāli mystério consummávit,
ut secúram nobis spei lætítiam confirmáret,
minúsque graváret óculos nostros e terréna luce discéssio.

Toto ígitur dilectiónis ímpetu tua benefícia celebrámus,
et cum cæléstibus turmis laudes tuas in exsultatióne proférimus:

CONFRACTORIUM Cf. Ap 14, 13 640/7

Audívi vocem de cælo dicéntem:
Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

TRANSITORIUM Io 11, 25-26 640/8

Ego sum resurréctio et vita.
Qui credit in me, etsi mórtuus fúerit, vivet;
et omnis, qui vivit et credit in me,
non moriétur in ætérnum,
dicit Dóminus.

POST COMMUNIONEM 640/9

Deus, qui hoc sacrifício in Ecclésia tua
spem ineffábilem resurrectiónis instáuras,
cuncta quæ mortalitátis sunt in fidéli tuo N.
déstrue miserátus,
eúmque Redemptóris glóriæ fac esse partícipem.
Qui vivit.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

5 PRO UNO DEFUNCTO

641 II

INGRESSA Cf. Io 5, 28-29 641/1

Omnes, qui in monuméntis sunt,
áudient vocem Fílii Dei
et procédent, qui bona fecérunt,
in resurrectiónem vitæ,
qui vero mala egérunt,
in resurrectiónem iudícii.

SUPER POPULUM 641/2

Absólve, Dómine, defúnctum fámulum tuum N.
ab omni vínculo delictórum,
ut, in resurrectiónis glória suscitátus,
in sempitérnæ lucis amœnitáte respíret.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM 641/3

Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre;
nihil dignum in conspéctu tuo egi,
ídeo déprecor maiestátem tuam,
ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 641/4

Maiestátem tuam, Dómine, pro fratre nostro N.
súpplices implorámus,
ut, beátæ Maríæ précibus sanctorúmque placátus,
véniam illi tríbuas peccatórum,
et cum eléctis tuis iam in ætérna Christi hereditáte constítuas.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 641/5

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.,
pro quo tibi hóstias placatiónis offérimus,
et, quia in fide cathólica in hac luce permánsit,
in futúra vita ei retribútio condonétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 641/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
cuius império náscimur,
arbítrio régimur,
redémpti sumus mystério.

Cuius étiam præcépto ex hac luce discédimus,
et in terram de qua sumpti sumus
prævaricatiónis lege dissólvimur,
qui tamen per Christum ad resurrectiónis glóriam reparámur.

Est namque nostri mériti, Dómine, quod perímus,
tuæ vero pietátis et grátiæ
quod perpétuam cum illo revocámur ad vitam.

Et ídeo cum cælórum nos sociáre virtútibus
et in terris te iúgiter celebráre gaudémus,
maiestáti tuæ sine intermissióne clamántes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 4 641/7

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit neque luctus neque clamor
neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt.

TRANSITORIUM Cf. Eph 2, 6-7 641/8

Conresuscitávit nos Deus,
et consedére fecit in cæléstibus in Christo Iesu,
ut osténderet abundántes divítias grátiæ suæ.

POST COMMUNIONEM 641/9

Quǽsumus, Dómine, fámuli tui N.
pro tua pietáte miserére,
et, hoc mystério a contágiis mortalitátis exútum,
in partem restítue salvatiónis ætérnæ.
Per Christum.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

5 PRO UNO DEFUNCTO

642 III

INGRESSA Cf. Rom 8, 11 642/1

Deus, qui suscitávit Christum a mórtuis,
vivificábit et mortália córpora nostra
per inhabitántem Spíritum suum in nobis.

SUPER POPULUM 642/2

Maiestátem tuam, Dómine Deus, devótis méntibus exorámus,
ut fámulus tuus N.,
cuius commemoratiónem spe firmíssima celebrámus,
in ætérno regno inter oves tibi plácitas collocétur.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 5, 24 642/3

Amen amen dico vobis:
Qui verbum meum audit
et credit ei, qui misit me,
habet vitam ætérnam
et in iudícium non venit,
sed tránsiit a morte in vitam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 642/4

Quǽsumus, omnípotens Pater,
ut frater noster N., mortis vínculis absolútus,
resurrectiónis Fílii tui participatióne lætétur.
Qui vivit.

SUPER OBLATA 642/5

Dómine Deus, cuius Fílius hóstiam se óbtulit tibi vivam,
Ecclésiæ tuæ sacrifícium placátus accípias,
ut fámulus tuus N., a peccátis ómnibus absolútus,
ad immortalitátis mereátur prǽmium perveníre.
Per Christum.

PRÆFATIO 642/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui mortem nostram, quæ intráverat per peccátum,
mirándæ sibi mystério dispensatiónis assúmpsit,
ut univérsum genus hóminum a peccáti sólveret servitúte.

Sed et a mórtuis tanta sua virtúte surréxit,
ut nos tibi in libertátis glóriam perhibéret,
et coherédes in regno suo stabilíret ætérno.

Et ídeo cum ángelis et sanctis te fruéntibus collætámur,
simúlque nunc tuam glóriam et in æternitáte canémus:

CONFRACTORIUM Cf. 1 Th 4, 14 642/7

Sicut Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos qui dormiérunt,
per Iesum addúcet cum eo.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 642/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo.

POST COMMUNIONEM 642/9

Sumptis, Dómine, his redemptiónis mystériis,
tuam cleméntiam obsecrámus,
ut nobis vivéntibus tutélam tuæ miseratiónis obtíneant,
et fratri nostro N. véniam sempitérnam.
Per Christum.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

6 PRO PLURIBUS VEL PRO OMNIBUS DEFUNCTIS

643 I

INGRESSA 643/1

Mors Christi vita est ómnium,
morte eius signámur,
mortem eius orántes annuntiámus,
mortem eius offeréntes prædicámus.

SUPER POPULUM 643/2

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
quibus misericórdiam tuam
pro fámulis tuis N. et N. supplíciter deprecámur,
ut eos, mortalitátis néxibus absolútos,
inter eléctos cæléstis Ecclésiæ
perpétuam habére iúbeas portiónem.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 26, 4 643/3

Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 643/4

Deus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem,
tríbue quǽsumus,
ut fámuli tui N. et N. a peccátis ómnibus exuántur,
et electórum iam societáti felíciter aggregéntur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 643/5

Adésto, Dómine, fámulis tuis N. et N.
quorum offícium commemoratiónis impéndimus,
ut, si qua in eis mácula sæculáris inhǽsit,
sacraménto tuæ pietátis indúlgeas et extérgas.
Per Christum.

PRÆFATIO 643/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim pro nobis vires inférni mortísque subiécit,
ut sibi commoriéntibus hoc in sǽculo lacrimárum
imménsum de sua resurrectióne pondus glóriæ largirétur.

Sed et Matrem vírginem sóciam sibi néxuit passiónis,
quæ nobis gratum in vitæ dolóre solácium,
et iánua iucunditátis patens esset in pátriam.

Quaprópter cánticis voces nostras
angelórum áddimus et sanctórum,
laudes bonitátis tuæ sine intermissióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Phil 2, 8-9a 643/7

Christus Iesus humiliávit semetípsum
factus obœ́diens usque ad mortem,
mortem autem crucis.
Propter quod et Deus illum exaltávit.

TRANSITORIUM Phil 3, 20-21a 643/8

Noster municipátus in cælis est,
unde étiam salvatórem exspectámus
Dóminum Iesum Christum,
qui transfigurábit corpus humilitátis nostræ
confórme fíeri córpori glóriæ suæ.

POST COMMUNIONEM 643/9

Exáudi, Deus, tuos sacraménto salútis fílios enutrítos,
et, qui Christum Unigénitum tuum
per sanctum Spíritum e mórtuis suscitásti,
fidélibus tuis N. et N. immortalitátis et vitæ concéde lætítiam.
Per eúndem Christum.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

6 PRO PLURIBUS VEL PRO OMNIBUS DEFUNCTIS

644 II

INGRESSA 644/1

Suffíciat nobis spes resurrectiónis,
et oculórum nostrórum diréctio
ad glóriam nostri Redemptóris,
in quo nos fide iam resurrexísse putámus.

SUPER POPULUM 644/2

Esto, Dómine, fámulis tuis N. et N.,
pro tua benignitáte propítius,
ut, quos regeneratiónis fonte mundásti,
ad cæléstis vitæ beatitúdinem fácias perveníre.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 50, 3 644/3

Miserére mei, Deus,
secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 644/4

Tibi, clementíssime Pater, preces supplicatiónis effúndimus,
ut fámuli tui N. et N., mortis vínculis absolúti,
tránsitum mereántur ad vitam.
Per Christum.

SUPER OBLATA 644/5

His sacrifíciis, Dómine,
defúncti fámuli tui N. et N. mundi reddántur,
sine quibus a culpa nemo liber exsístit,
ut per hæc piæ placatiónis offícia
tuam misericórdiam consequántur.
Per Christum.

PRÆFATIO 644/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui vírginem Matrem omnésque sanctos
suæ consórtes vóluit passiónis,
ut, quo præcéssit mýstici córporis ipse caput,
illuc et vivificáta membra sequeréntur in glória.

Caput enim ídeo morti vóluit subiacére,
ut ante membra resúrgeret;
primus et in cælos triumphánter intrávit,
ut certam membra lætámque spem hereditátis acquírerent.

Tanto ígitur múnere in nostræ mortis condicióne suffúlti,
cum ángelis ac beátis te iam vidéntibus libénter adiúngimur,
concórdi voce unóque gáudio concinéntes:

CONFRACTORIUM 2 Tim 1, 10 644/7

Manifestáta est grátia
per illustratiónem salvatóris nostri Iesu Christi,
qui destrúxit quidem mortem,
illuminávit autem vitam et incorruptiónem per evangélium.

TRANSITORIUM 1 Io 3, 2 644/8

Nunc fílii Dei sumus,
et nondum manifestátum est quid érimus;
scimus quóniam, cum ipse apparúerit, símiles ei érimus,
quóniam vidébimus eum, sícuti est.

POST COMMUNIONEM 644/9

Fratres nostri N. et N., quæsumus, Dómine,
sed et omnes qui in Christo felíciter quievérunt
consórtium ætérnæ lucis invéniant,
qui, in hac luce pósiti,
perpétuæ consecúti sunt tuæ misericórdiæ sacraméntum.
Per eúndem Christum.

III IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

6 PRO PLURIBUS VEL PRO OMNIBUS DEFUNCTIS

645 III

INGRESSA 1 Th 4, 13b-14 645/1

Fratres, de dormiéntibus ne contristémini
sicut et céteri, qui spem non habent.
Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit,
ita et Deus eos, qui dormiérunt,
per Iesum addúcet cum eo.

SUPER POPULUM 645/2

Deus, qui Unigénitum tuum, devícta morte,
ad cæléstia transíre fecísti,
concéde fámulis tuis N. et N.,
ut, huius vitæ mortalitáte solúta,
te conditórem et redemptórem possint perpétuo contemplári.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Ps 85, 12-13 645/3

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo,
et glorificábo nomen tuum in ætérnum,
quia misericórdia tua magna est super me,
et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 645/4

Præsta, quǽsumus, Dómine,
fámulis tuis N. et N. misericórdiam sempitérnam,
ut, mortálibus néxibus expedítos,
lux eos ætérna possídeat.
Per Christum.

SUPER OBLATA 645/5

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, his sacrifíciis culpis ómnibus exúti,
quas hic humánitus contraxérunt,
in tuórum censeántur sorte iustórum.
Per Christum.

PRÆFATIO 645/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius in mortem nos sumus baptísmi rore perfúsi,
ut prióris Adæ peccáto in perpétuum morerémur,
ac secúndi lætánter resurgerémus in grátiam.

Qui suæ nos étiam vitæ vóluit esse partícipes,
ut, imménsa múnera suæ immortalitátis adéptos,
in sempitérnis de se gáudiis nos mirífice satiáret.

Unde, cum univérso choro cælitum sociáti,
glóriam maiestátis tuæ cánimus, concórdi voce dicéntes:

CONFRACTORIUM Ps 118, 154. 156 645/7

Iúdica causam meam et rédime me;
propter elóquium tuum vivífica me.
Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine;
secúndum iudícia tua vivífica me.

TRANSITORIUM 645/8

Christi mors victória nostra,
ipsíus mors sacraméntum salútis.

POST COMMUNIONEM 645/9

Deus, qui gáudium nobis dedísti cæléstis convívii præsuméndum,
fámulis tuis N. et N. perféctam cum Christo
communiónem dignáre tribúere,
ut cum sanctis tuis resúrgere in lucem mereántur ætérnam.
Per eúndem Christum.

646 7 PRO PAPA

SUPER POPULUM 646/2

Deus, qui inter summos sacerdótes fámulum tuum N.
ineffábili tua dispositióne connumeráre voluísti,
præsta, quǽsumus,
ut, qui Unigéniti tui Fílii vices gerébat in terris,
sanctórum tuórum pontíficum consórtio
iam perpétuo congregétur.
Per eúndem Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 646/4

Præsta, Dómine, ut fámulus tuus papa noster N.,
quem Petri vicárium
tuǽque pastórem Ecclésiæ statuísti,
grátiæ tuæ miserationísque mystériis,
quæ fidénter dispensávit in terris,
lætus apud te perfruátur in cælis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 646/5

Oblatiónem súscipe, Dómine,
qua fámulum tuum papam nostrum N.
misericórdiæ tuæ commendáre præsúmimus,
ut, qui tuæ fuit in humána família miníster caritátis et pacis,
eárum fructu cum sanctis tuis perpétuo delectétur.
Per Christum.

PRÆFATIO 646/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus Ecclésiæ suæ gubernácula moderánda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.

Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos summos pontífices computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM 646/9

Divínæ tuæ communiónis refécti salúbriter sacraméntis,
quǽsumus, Dómine,
ut fámulus tuus papa noster N.,
quem Ecclésiæ tuæ
visíbile voluísti fundaméntum unitátis in terris,
ætérnæ beatitúdini tuárum óvium felíciter aggregétur.
Per Christum.

647 8 PRO EPISCOPO DIŒCESANO

SUPER POPULUM 647/2

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
fámulo tuo N. epíscopo nostro,
cui famíliæ tuæ régimen tradidísti,
ut cum multíplici fructu labóris et óptimo
gáudia Dómini sui ingrediátur ætérna.
Qui tecum vivit.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 647/4

Misericórdiam tuam, Dómine,
pro fámulo tuo epíscopo nostro N.
supplíciter implorámus,
ut veritátis possessióne tandem congáudeat,
in qua tuum fidénter pópulum confirmávit.
Per Christum.

SUPER OBLATA 647/5

Imménsam cleméntiam tuam, Dómine,
supplíciter implorámus,
ut hoc sacrifícium,
quod fámulus tuus N. epíscopus noster
pro salúte fidélium óbtulit dum esset in córpore,
ipsi nunc ante maiestátem tuam prosit ad véniam.
Per Christum.

PRÆFATIO 647/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus Ecclésiæ suæ gubernácula moderánda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.

Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos præsules computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM 647/9

Prosit, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N. epíscopo nostro
misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia,
ut Christi, in quo sperávit
et quem fidéliter prædicávit,
ætérnum cápiat his sacrifíciis beatúmque consórtium.
Per eúndem Christum.

648 9 PRO ALIO EPISCOPO

SUPER POPULUM 648/2

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N.
pontificáli dignitáte vigére fecísti,
præsta illi, quǽsumus, miserátus,
ut eórum quoque consórtio perpétuo congregétur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 648/4

Preces nostras, Dómine, quǽsumus,
quas in fámuli tui N. epíscopi commemoratióne deférimus,
propitiátus exáudi,
ut, qui nómini tuo ministérium fidéle dependit,
perpétua sanctórum societáte lætétur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 648/5

Súscipe, quǽsumus, Dómine, pro fámulo tuo epíscopo N.
quas hóstias exhibémus,
ut, cui pontificále méritum tribuísti,
donáre clemens dignéris et prǽmium.
Per Christum.

PRÆFATIO 648/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.
Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus Ecclésiæ suæ gubernácula moderánda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.
Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos prǽsules computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM 648/9

Omnipoténtiam tuam, Dómine,
et misericórdiam deprecámur,
ut fámulum tuum N. epíscopum,
quem in terris pro Christo fungi legatióne tribuísti,
his sacrifíciis emundátum,
cum ipso fácias in cæléstibus consedére.
Qui vivit.

IV ORATIONES VARIÆ PRO DEFUNCTIS

10 PRO PRESBYTERO

649 I

SUPER POPULUM 649/2

Preces nostras, quǽsumus, Dómine,
quas in fámuli tui N. presbýteri commemoratióne deférimus,
propitiátus exáudi,
ut, qui nómini tuo ministérium fidéle dependit,
perpétua sanctórum societáte lætétur.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 649/4

Largíre, quǽsumus, omnípotens Deus,
fámulo tuo N. presbýtero
quiétem beatitúdinis sempitérnæ,
ut, pro quo nunc orámus in terris,
cum eódem apud te exsultáre mereámur in cælis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 649/5

Omnípotens sempitérne Deus, concéde propítius,
ut fámulus tuus N. présbyter
per hæc adiuvétur sancta mystéria,
quátenus semper clare conspíciat
quæ hic fidéliter ministrávit.
Per Christum.

PRÆFATIO 649/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus in Ecclésia sua gubernácula moderánda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.

Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos presbýteros computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM

649/9

Sumptis salutáribus sacraméntis,
tuam cleméntiam implorámus,
ut fámulum tuum N. presbýterum,
quem mysteriórum tuórum elegísti dispensatórem in terris,
eórum fácias in cælis apérta veritáte convívam.
Per Christum.

IV ORATIONES VARIÆ PRO DEFUNCTIS

10 PRO PRESBYTERO

650 II

SUPER POPULUM 650/2

Fámuli tui N., quǽsumus, Dómine, meménto propítius,
quem in hoc sǽculo commorántem sacerdotáli múnere decorásti,
ut in cælésti sede gloriósus semper exsúltet.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 650/4

Supplicatiónibus nostris, Dómine, adésto propítius,
et fámulum tuum N., presbyterátus moderatióne perfúnctum,
in regióne vivórum ætérnis iúbeas gáudiis sociári.
Per Christum.

SUPER OBLATA 650/5

Cleméntiam tuam, Dómine, súpplices exorámus,
ut hoc sacrifícium servitútis nostræ,
pro fámulo tuo N. presbýtero confidénter oblátum,
ipsi nunc prosit ad véniam,
qui illud in Ecclésia devóta tibi mente perfécit.
Per Christum.

PRÆFATIO 650/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus in Ecclésia sua gubernácula moderánda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.

Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos presbýteros computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM 650/9

Mensæ cæléstis alimónia refécti,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut huius virtúte sacrifícii fámulus tuus N. présbyter
ante conspéctum tuum semper exsúltet,
qui sancta mystéria in Ecclésia tua fidéliter dispensávit.
Per Christum.

651 11 PRO DIACONO

SUPER POPULUM 651/2

Fámulo tuo N. diácono, Deus, concéde miséricors
tuǽ gaudére consórtio felicitátis ætérnæ,
qui a te ministérium est in Ecclésia consecútus.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 651/4

Largíre, quǽsumus, omnípotens Deus,
fámulo tuo N. diácono
quiétem beatitúdinis sempitérnæ,
ut, pro quo nunc orámus in terris,
cum eódem apud te exsultáre mereámur in cælis.
Per Christum.

SUPER OBLATA 651/5

Propitiáre, Dómine, fámulo tuo N. diácono,
pro quo hanc hóstiam salútis offérimus,
ut, qui Christo Fílio tuo ministrávit in carne,
cum fidélibus servis resúrgat in glóriam sempitérnam.
Per eúndem Christum.

PRÆFATIO 651/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ipsíus enim sapiéntiæ et misericórdiæ esse confídimus,
ut, quibus in Ecclésia sua ministéria peragénda concéssit,
illis et in cælórum aula sedem electiónis assígnet.

Quare fámulum tuum N.
cúpimus inter beátos diáconos computándum,
ut, quorum est fidéliter secútus offícium,
in commúni coróna uno cum eis prǽmio perfruátur.

Simul autem et nos cum cælítibus sociámur,
tuámque glóriam sempitérnam celebrámus in gáudio,
cum illis páriter sine fine canéntes:

POST COMMUNIONEM 651/9

Per hæc sacra quæ súmpsimus, Dómine,
fámuli tui N. diáconi miserére,
ut, quem inter servos Ecclésiæ tuæ vocásti,
a vínculis mortis absólvas,
et cum iis, qui bene ministráverint,
partem in ætérnis gáudiis habére concédas.
Per Christum.

IV ORATIONES VARIÆ PRO DEFUNCTIS

652 12 PRO RELIGIOSO

SUPER POPULUM 652/2

Præsta, quǽsumus, Dómine, ut fámulus tuus N.,
qui pro Christi amóre per viam perféctæ caritátis incéssit,
in glóriæ tuæ lætétur advéntu,
et cum frátribus suis de regni tui beatitúdine gáudeat sempitérna.
Per Dóminum.

653 13 PRO IUVENE DEFUNCTO

SUPER POPULUM 653/2

Deus, qui ómnium hóminum vitam moderáris et témpora,
hunc fámulum tuum N.,
quem consummátum in brevi deflémus,
tibi humíliter commendámus,
ut in beatitúdine domus tuæ perénni vigére fácias iuventúte.
Per Dóminum.

IV ORATIONES VARIÆ PRO DEFUNCTIS

654 14 PRO DEFUNCTO QUI IN SERVITIO EVANGELII LABORAVIT

SUPER POPULUM 654/2

Misericórdiam tuam, Dómine,
pro fámulo tuo N. súpplices deprecámur,
ut, qui pro evangélio dilatándo laborávit assíduus,
ad prǽmia regni mereátur intráre secúrus.
Per Dóminum.

655 15 PRO DEFUNCTO POST LONGAM INFIRMITATEM CONSUMPTO

SUPER POPULUM 655/2

Deus, qui fámulo tuo N. dedísti
in ærúmnis tibi et infirmitáte servíre,
concéde, quǽsumus,
ut, qui Fílii tui secútus est patiéntiæ documéntum,
eiúsdem glóriæ consequátur et prǽmium.
Qui tecum vivit.

656 16 PRO DEFUNCTO REPENTINA MORTE SUBLATO

SUPER POPULUM 656/2

Imménsam, Dómine, tuæ bonitátis osténde virtútem,
ut, qui fratrem nostrum N. repentína flemus morte sublátum,
ad tuum confidámus transísse consórtium.
Per Dóminum.

657 17 PRO CONIUGIBUS DEFUNCTIS

SUPER POPULUM 657/2a

Fámulos tuos N. et N., quǽsumus, Dómine, miserátus absólve,
ut, quos coniugális amor in terris fidéliter sociávit,
in ætérna vita tuæ caritátis plenitúdo coniúngat.
Per Dóminum.

vel 657/2b

Fámulum tuum (Fámulam tuam) N., quǽsumus, Dómine,
miserátus absólve,
et fámulam tuam (fámulum tuum) N.
sólita pietáte intuére propítius,
ut, quos coniugális amor in terra fidéliter sociávit,
in ætérna vita tuæ caritátis plenitúdo coniúngat.
Per Dóminum.

658 18 PRO PARENTIBUS

SUPER POPULUM 658/2

Deus, qui universórum es cónditor
ac tuórum es beatitúdo sanctórum,
concéde propítius,
ut patrem meum matrémque,
suæ iam vocatiónis opéribus cum fidelitáte perfúnctos,
in beáta resurrectióne cum eléctis tuis fácias præsentári.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 658/4

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre iussísti,
defunctórum patris mei et matris
cleménter peccáta dimítte,
meque cum illis felicitáti coniúnge sanctórum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 658/5

Sacrifícium, Dómine,
quod tibi pro patre meo et matre óffero,
súscipe miserátus,
eísque in regióne vivórum concéde gáudium sempitérnum,
meque cum illis felicitáti coniúnge sanctórum.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 658/9

Cæléstis, Dómine, participátio sacraménti
patri meo et matri defúnctis réquiem obtíneat
lucémque perpétuam,
et me cum illis glória corónet ætérna.
Per Christum.

IV ORATIONES VARIÆ PRO DEFUNCTIS

659 ## 19 PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS, PROPINQUIS ET BENEFACTORIBUS

SUPER POPULUM 659/2

Deus, véniæ largítor et humánæ salútis amátor,
tuam cleméntiam exorámus,
ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres,
qui ex hoc sǽculo transiérunt,
beáta María semper vírgine intercedénte
cum ómnibus sanctis tuis,
ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 659/4

Deus, vita vivéntium, spes moriéntium,
salus ómnium in te sperántium, concéde propítius,
ut fratres, propínqui et benefactóres nostri,
a mortalitátis ténebris absolúti,
beáta María semper vírgine intercedénte,
in perpétua cum sanctis tuis luce læténtur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 659/5

Deus, cuius misericórdiæ non est númerus,
preces humilitátis nostræ propítius dignáre suscípere,
et frátribus, propínquis et benefactóribus nostris,
quibus confessiónem tui nóminis concessísti,
per hæc sacraménta salútis,
in cælis iam tríbue consórtium beatórum.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 659/9

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut fratres, propínqui et benefactóres nostri,
pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus maiestáti,
huius virtúte sacraménti a peccátis ómnibus expiáti,
iam lucis perpétuæ, te miseránte, beatitúdinem consequántur.
Per Christum.

INGRESSA Mt 25, 34 660/1

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.

SUPER POPULUM 660/2

Omnípotens sempitérne Deus,
qui pópulum tuum quondam, Iordáne transiécto,
terram fecísti promissiónis intráre,
præsta, quǽsumus,
ut, significatiónis antíquæ et veritátis mystério patefácto,
párvulus iste N.,
qui sacraménto baptísmatis est adoptiónis tuæ fílius constitútus,
regno cælésti mereátur ascríbi.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Mc 10, 14 660/3

Sínite párvulos veníre ad me, dicit Dóminus.
Ne prohibuéritis eos;
tálium est enim regnum Dei.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 660/4

Præsta supplicántibus nobis, Dómine,
apud quem mórtui vivunt et plena felicitáte lætántur,
ut párvulus iste N.,
qui temporále lumen amísit,
ætérni splendóris solácio potiátur.
Per Christum.

SUPER OBLATA 660/5

Ascéndant preces ad te, Dómine,
quas in istíus párvuli depositióne deférimus,
et hóstia salutáris, quæ innocéntiam rédolet puerílem,
tuæ, quǽsumus, pláceat maiestáti.
Per Christum.

PRÆFATIO 660/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui Ecclésiæ sponsæ suæ omniúmque matri vivéntium
tantam índidit pietátem,
ut, defunctórum paréntibus parvulórum iure compátiens,
in tui tamen nóminis honórem
de illórum innocéntium salúte lætétur.

Magnum est enim, Dómine, et ineffábile sacraméntum,
ut, quos interísse púeros mundus exístimat,
hæc sancta génetrix illos pro cælis magis se gáudeat acquisísse.

Sed et nos de secúra filiórum eius beatitúdine gratulántes,
corónis angelórum adiúncti coram Agno in æternitáte canéntium,
perénnem laudis hymnum tuæ fúndimus maiestáti:

CONFRACTORIUM 660/7

Apériat ei Dóminus parádisi iánuam,
ut ad illam pátriam pervéniat
ubi mors non est,
ubi ætérnum gáudium persevérat.

TRANSITORIUM Rom 6, 8 660/8

Si mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo.

POST COMMUNIONEM 660/9

Panis angélicus,
quem hódie in istíus párvuli depositióne percépimus,
gratam tibi puritátem confírmet in nobis,
ut ad cæléstis Agni dapes perveniámus ætérnas.
Qui vivit.

661 21 ALIÆ ORATIONES
IN EXSEQUIIS PARVULI BAPTIZATI

SUPER POPULUM 661/2

Deus, qui ad te hunc párvulum
in ipso vitæ límine, sapiéntiæ tuæ consíliis advocásti,
concéde propítius,
ut, quem adoptiónis effecísti tibi fílium
et in regno tuo iam crédimus commorári,
cum ipso nos étiam ætérnæ vitæ simus aliquándo consórtes.
Per Dóminum.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 661/4

Scrutátor córdium, Deus, et piíssime consolátor,
qui horum paréntum fidem in veritáte novísti,
præsta, ut infántem suum,
quem plorant hac luce defúnctum,
tuæ séntiant pietáti pro ætérna mansióne commíssum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 661/5

Hæc múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica,
ut, quem paréntes a te donátum tibi reddunt fidénter infántem,
ipsum læti in regno tuo mereántur amplécti.
Per Christum.

POST COMMUNIONEM 661/9

Divíno múnere satiáti, te, Dómine, deprecámur,
ut, qui hunc infántem ad mensam tríbuis regni cæléstis accúmbere,
eándem et nos aliquándo participáre concédas.
Per Christum.

662 22 IN EXSEQUIIS PARVULI NONDUM BAPTIZATI

Si quis parvulus, quem parentes baptizari volebant, ante baptismum mortuus fuerit, ordinarius loci, adiunctis pastoralibus consideratis, permittere potest ut eius exsequiæ celebrentur in ipsa domo defuncti, aut etiam iuxta illum typum exsequiarum, qui de more pro ceteris in regione adhibetur.

In huiusmodi exsequiis habeatur de more liturgia verbi, prouti in rituali describitur. Si tamen opportuna aliquando iudicatur missæ celebratio, adhibeantur textus qui sequuntur.

In catechesi autem advigilandum est, ne doctrina de necessitate baptismi in mentibus fidelium obscuretur.

INGRESSA Cf. 1 Tim 2, 3-6 662/1

Salvátor noster Deus omnes hómines vult salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre.
Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum,
homo Christus Iesus,
qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus.

SUPER POPULUM 662/2

Tuórum, Dómine, súscipe vota fidélium,
ut, quos permíttis infántis sibi erépti desidério contristári,
eósdem concédas in tuæ spem miseratiónis fidénter attólli.
Per Dóminum.

POST EVANGELIUM Io 6, 37 662/3

Omne, quod dat mihi Pater,
ad me véniet, dicit Dóminus,
et eum, qui venit ad me, non eíciam foras.

AD COMPLENDAM LITURGIAM VERBI 662/4

Scrutátor córdium, Deus, et piíssime consolátor,
qui horum paréntum fidem in veritáte novísti,
præsta, ut infántem suum,
quem plorant hac luce defúnctum,
tuæ séntiant pietáti pro ætérna mansióne commíssum.
Per Christum.

SUPER OBLATA 662/5

Hanc oblatiónem, Deus,
dignáre in nostræ signum devotiónis excípere,
ut, qui tuæ providéntiæ consíliis submíttimur confidéntes,
tuæ quoque pietátis dulcédine sublevémur.
Per Christum.

PRÆFATIO 662/6

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque, grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem salus mundi,
per quem vita ómnium,
per quem resurréctio mortuórum.

Unde et nos, Dómine, cum ángelis et sanctis cánimus univérsis,
ac tibi confitémur in exsultatióne dicéntes:

CONFRACTORIUM Ap 21, 4 662/7

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit neque luctus neque clamor
neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt.

TRANSITORIUM Cf. 1 Petr 1, 21 662/8

Deus suscitávit Christum a mórtuis
et dedit ei glóriam,
ut fides nostra et spes esset in Deum.

POST COMMUNIONEM 662/9

Córporis, Dómine, et sánguinis Fílii tui communióne recépta,
te fidéliter deprecámur,
ut, quos in spem vitæ ætérnæ
sacris dignátus es nutríre mystériis,
in huius tríbuas vitæ mæróribus confortári.
Per Christum.

APPENDIX

BENEDICTIO ET IMPOSITIO CINERUM

Ritus benedictionis et impositionis cinerum fit post missam feriæ secundæ hebdomadæ primæ Quadragesimæ. Si videtur eum præmitti missæ, actus pænitentialis locum tenet.

Fieri etiam potest suadentibus rationibus pastoralibus post missas dominicæ primæ Quadragesimæ, exclusa tamen missa vespertina sabbati.

Benedictio et impositio cinerum fieri potest etiam sine missa, quo in casu opportune præmittetur liturgia verbi Dei, adhibendo ingressam, super populum, lectiones cum suis cantibus, ut in missa. Sequitur deinde homilia atque benedictio et impositio cinerum. Ritus concluditur oratione universali.

Deum Patrem, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur, 663/A
ut hos cíneres, quos pæniténtiæ causa
capítibus nostris libénter impónimus,
grátiæ suæ benedícere ubertáte dignétur.

Et, post brevem orationem in silentio, prosequitur:

Deus pietátis et cleméntiæ, 663/2a
qui Ninivítis cínere et cilício indútis
et misericórdiam tuam clamántibus subvenísti,
exáudi nos propítius et concéde,
ut hanc creatúram cíneris,
quo peccatóres utúntur tuam indulgéntiam deprecántes,
benedícere ✠ et sanctificatiónis tuæ grátiam
super eum dignéris infúndere,
ut, quisquis illo aspérsus fúerit,
remissiónem a te percípiat delictórum.
Per Christum.
℟ Amen.

vel 663/2b

Deus, qui humiliatióne flécteris et satisfactióne placáris,
aurem précibus nostris tuæ pietátis inclína,
et super fámulos tuos, horum cínerum aspersióne contáctos,
grátiam tuæ benedictiónis ✠ effúnde propítius,
ut, quadragesimálem observántiam prosequéntes,
ad Fílii tui paschále mystérium celebrándum
purificátis mereántur méntibus perveníre.
Per Christum.
℟ Amen.

vel 663/2c

Deus, qui non mortem
sed conversiónem desíderas peccatórum,
preces nostras cleménter exáudi,
et hos cíneres,
quos capítibus nostris impóni húmili mente decérnimus,
benedícere ✠ pro tua pietáte dignáre,
ut, qui nos cínerem esse
et in púlverem cognóscimus reversúros,
quadragesimális exercitatiónis stúdio
peccatórum véniam cónsequi valeámus
et novitátem vitæ ad Fílii tui resurgéntis imáginem.
Qui vivit.
℟ Amen.

Et aspergit cineres aqua benedicta, nihil dicens.

Deinde sacerdos imponit cineres omnibus astantibus, qui ad ipsum accedunt, dicens singulis:

Mc 1, 15 663/B

Pænitémini et crédite evangélio.

vel: Cf. Gen 3, 19 663/C

Meménto, homo, quia pulvis es,
et in púlverem revertéris.

Interim cantantur pro opportunitate sequentes antiphonæ:

ANTIPHONA I Cf. Ioel 2, 12; Ez 33, 11 663/D

Convertímini ad me in toto corde vestro, dicit Dóminus,
in ieiúnio et in fletu et in planctu,
quia nolo mortem peccatóris,
sed ut convertátur et vivat.

ANTIPHONA II Cf. Ps 58, 6; 80, 11; Is 63, 14; Bar 2, 12; Tob 8, 10 663/E

Dómine, Deus virtútum, Deus Israel,
qui eduxísti pópulum tuum de terra Egýpti,
et fecísti tibi nomen glóriæ,
peccávimus, ímpie égimus, iniquitátem fécimus:
miserére nobis, Salvátor mundi.

ANTIPHONA III Cf. Ps 102, 14. 3 663/F

Meménto, Dómine, quia pulvis sumus,
propitiáre ómnibus iniquitátibus nostris.

ANTIPHONA IV Ps 50, 11 663/G

Avérte fáciem tuam a peccátis meis,
et omnes iniquitátes meas dele.

Quæ repeti potest post singulos versus psalmi 50 Miserére mei, Deus.

ORDO AD FACIENDAM ET ASPERGENDAM AQUAM BENEDICTAM

Ritus benedictionis et aspersionis aquæ benedictæ fieri potest in omnibus missis dominicæ, iis etiam quæ horis vespertinis sabbati anticipantur, in omnibus ecclesiis et oratoriis.

Huiusmodi ritus locum tenet actus pænitentialis initio missæ peragendi.

Post salutationem, sacerdos, stans ad sedem, ad populum conversus, habens ante se vas cum aqua benedicenda, populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Dóminum Deum nostrum, 664/A
fratres caríssimi,
supplíciter deprecémur,
ut hanc creatúram aquæ benedícere dignétur,
in baptísmi nostri memóriam aspergéndam super nos.
Ipse autem nos adiuváre dignétur,
ut fidéles Spirítui, quem accépimus, maneámus.

Et post brevem pausam silentii prosequitur, manibus iunctis:

Omnípotens sempitérne Deus, 664/2a
qui voluísti ut per aquam,
fontem vitæ ac purificatiónis princípium,
étiam ánimæ mundaréntur
æternǽque vitæ munus excíperent,
dignáre, quǽsumus, hanc aquam ✠ benedícere,
qua vólumus hac die tua, Dómine, communíri.
Fontem vivum in nobis tuæ grátiæ renovári
et ab omni malo spíritus et córporis
per ipsam nos deféndi tua benignitáte concéde,
ut mundis tibi córdibus propinquáre
tuámque digne salútem valeámus accípere.
Per Christum.

℟ Amen.

vel

vel 664/2b

Dómine Deus omnípotens,
qui es totíus vitæ córporis et ánimæ fons et orígo,
hanc aquam, te quǽsumus, ✠ benedícas,
qua fidénter útimur
ad nostrórum implorándam véniam peccatórum,
et advérsus omnes morbos inimicíque insídias
tuæ defensiónem grátiæ consequéndam.

Præsta, Dómine, misericórdiæ largítor ætérne,
ut aquæ vivæ semper nobis sáliant in salútem,
atque mundo tibi corde appropinquáre possímus,
et omnis córporis animǽque perícula devitémus.

Per Christum.

℟ Amen.

vel, tempore paschali: 664/2c

Dómine Deus omnípotens,
pópuli tui précibus adésto propítius;
et nobis, qui mirábile nostræ creatiónis opus,
sed et redemptiónis nostræ mirabílius memorámus,
hanc aquam ✠ benedícere tu dignáre.
Ipsam enim tu fecísti,
ut et arva fecunditáte donáret,
et levámen corpóribus nostris munditiámque præbéret.

Aquam étiam tuæ minístram misericórdiæ condidísti;
nam per ipsam solvísti tui pópuli servitútem,
illiúsque sitim in desérto cum delectatióne sedásti;
per ipsam novum fœdus nuntiavérunt prophétæ,
quod eras cum homínibus initúrus;
per ipsam dénique, quam Christus in Iordáne sacrávit,
in regeneratiónis lavácro
corrúptam natúræ nostræ substántiam renovásti.

Sit ígitur hæc aqua nobis suscépti memoriále baptísmatis,
et cum frátribus nostris, qui sunt in páschate baptizáti,
gáudia nos benígnus tríbuas sociáre.

Per Christum.

℟ Amen.

Postea, accepto aspersorio, sacerdos aspergit se et ministros, deinde clerum et populum, pro opportunitate transeundo per ecclesiam.

Interim peragitur unus e cantibus qui sequuntur, vel alius cantus aptus:

EXTRA TEMPUS PASCHALE

ANTIPHONA I Ps 50, 9 — 664/B

Aspérge me, Dómine, hyssópo et mundábor:
lavábis me, et super nivem dealbábor.

ANTIPHONA II Cf. Ez 36, 25-26 — 664/C

Effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris,
et dabo vobis cor novum, dicit Dóminus.

HYMNUS Cf. 1 Petr 1, 3 — 664/D

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum magnam misericórdiam suam
regenerávit nos in spem vivam
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis,
in hereditátem incorruptíbilem,
conservátam in cælis propter nos
in salútem parátam revelári in témpore novíssimo.

TEMPORE PASCHALI

ANTIPHONA I Cf. Ez 47, 1-2. 9 — 664/E

Vidi aquam egrediéntem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt,
et dicent: Allelúia, allelúia.

ANTIPHONA II Cf. 1 Petr 2, 9 — 664/F

Vos genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta,
virtútes annuntiáte eius,
qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum, allelúia.

ANTIPHONA III — 664/G

E látere tuo, Christe, fons aquæ prorúmpit,
quo abluúntur mundi sordes et vita renovátur, allelúia.

Ad sedem reversus, et cantu expleto, sacerdos, stans versus populum, manibus iunctis, dicit:

Deus omnípotens nos puríficet a peccátis, 664/2d
et per huius eucharístiæ celebratiónem
nos tales dignétur effícere
qui mensæ regni sui simus in æternitáte partícipes.

℟ Amen.

Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus Glória in excélsis Deo.

RITUS AD DEPUTANDUM MINISTRUM SACRAE COMMUNIONIS AD ACTUM DISTRIBUENDAE

Ordinarii locorum facultate fruuntur permittendi singulis sacerdotibus sacra munera exercentibus ut deputare valeant personam idoneam, quæ in casibus veræ necessitatis, ad actum, sanctam communionem distribuat.

Personam quæ, iis in casibus, ad sanctam communionem distribuendam ad actum deputatur, mandatum accipere expedit iuxta ritum qui sequitur.

Post verba: Pax et communicátio..., qui sanctam communionem distribuere debet, ad altare accedit et coram celebrante sistit, qui eum benedicit his verbis:

Benedícat ✠ te Dóminus 665
ad corpus Christi frátribus tuis nunc ministrándum.

Et ipse respondet:

℟ Amen.

Postquam vero sacerdos de more ipse Sacramentum sumpsit, sanctæ communionis ministrum, si hic sanctissimam eucharistiam suscepturus sit, communicat; ac deinde pyxidem vel vas cum hostiis ei porrigit, et una cum eodem ad communionem fidelibus ministrandam accedit.

SPECIMINA FORMULARUM PRO ORATIONE UNIVERSALI

666 1 FORMULA GENERALIS

I

℣ Divínæ pacis et indulgéntiæ múnere supplicántes,
ex toto corde et ex tota mente,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro Ecclésia tua sancta cathólica,
quæ hic et per univérsum orbem diffúsa est,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro Papa nostro N. et Pontífice nostro N.
et omni clero eórum,
omnibúsque sacerdótibus ac minístris,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro iis, qui in potestáte nos regunt.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro pace ecclesiárum,
vocatióne géntium et quiéte populórum,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro civitáte hac et conversatióne eius,
omnibúsque habitántibus in ea,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro áerum tempérie
ac frúctuum fecunditáte terrárum,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro virgínibus, víduis, órphanis,
captívis ac pæniténtibus,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro navigántibus, iter agéntibus, in carcéribus,
in vínculis, in metállis, in exsíliis constitútis,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Pro iis, qui in sancta tua Ecclésia
fructus misericórdiæ largiúntur,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Exáudi nos, Deus, in omni oratióne
atque deprecatióne nostra,
precámur te.
℟ Dómine, miserére.

℣ Dicámus omnes:
℟ Dómine, miserére.
Kýrie eléison. Kýrie eléison. Kýrie eléison.

667 1 FORMULA GENERALIS

II

℣ Dicámus omnes.
℟ Kýrie eléison.

℣ Dómine, Deus omnípotens patrum nostrórum.
℟ Kýrie eléison.

℣ Réspice de cælo
et de sede sancta tua.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro Ecclésia tua sancta cathólica,
quam conserváre dignéris.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro Papa nostro N.
et Pontífice nostro N.
et sacerdótio eórum.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro univérsis epíscopis,
cuncto clero et pópulo.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro reipúblicæ moderántibus.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro civitáte hac
omnibúsque habitántibus in ea.
℟ Kýrie eléison.

℣ Pro áerum tempérie et fecunditáte terrárum.
℟ Kýrie eléison.

℣ Líbera nos, qui liberásti fílios Israel.
℟ Kýrie eléison.

℣ In manu forti et bráchio excélso.
℟ Kýrie eléison.

℣ Exsúrge, Dómine, ádiuva nos,
et líbera nos propter nomen tuum.
Kýrie eléison. Kýrie eléison. Kýrie eléison.

668 1 FORMULA GENERALIS

III

A (Admonitio prævia)

Ad Deum Patrem omnipoténtem,
qui vult omnes hómines salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre,
tota mentis nostræ, fratres caríssimi, dirigátur orátio.

B (1ª series intentionum)

Pro Ecclésia sancta Dei:
ut eam Dóminus custodíre et fovére dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟ Præsta, ætérne omnípotens Deus.

C (2ª series intentionum)

Pro totíus orbis pópulis:
ut inter eos Dóminus concórdiam serváre dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟ Præsta, ætérne omnípotens Deus.

D (3ª series intentionum)

Pro ómnibus qui váriis premúntur necessitátibus:
ut omnes Dóminus subleváre dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟ Præsta, ætérne omnípotens Deus.

E (4ª series intentionum)

Pro nobismetípsis ac pro nostra communitáte:
ut nos omnes Dóminus hóstiam sibi acceptábilem
dignétur admíttere,
Dóminum deprecémur.
℟ Præsta, ætérne omnípotens Deus.

669 1 FORMULA GENERALIS

IV

A

Fratres, in hac pública et commúni oratióne
quam nunc incípimus,
non quisquis pro se, nec tantum pro necessáriis suis,
sed omnes pro toto pópulo exorémus Christum Dóminum.

B 1

Pro cuncto pópulo christiáno,
divínæ bonitátis abundántiam deprecémur.
℟ Christe, audi nos vel Exáudi, Christe.

2

Pro ómnibus nondum credéntibus,
largitórem spiritálium múnerum implorémus.
℟ Christe, audi nos.

C 1

Pro rei públicæ moderatóribus,
Dómini poténtiam implorémus.
℟ Christe, audi nos.

2

Pro áeris tempérie ac frúctuum ubertáte,
rectórem mundi Dóminum implorémus.
℟ Christe, audi nos.

D 1

Pro frátribus nostris, qui huic sacro cœtui interésse non possunt,
inspectórem ómnium implorémus.
℟ Christe, audi nos.

2

Pro refrigério fidélium animárum,
univérsæ carnis iúdicem implorémus.
℟ Christe, audi nos.

E 1

Pro nobis ómnibus plena fide supplicántibus,
et Dómini egéntibus misericórdia,
Salvatóris cleméntiam implorémus.
℟ Christe, audi nos.

2

Pro nobis et necessáriis nostris
Dómini exspectántibus bonitátem,
Christi Dómini misericórdiam implorémus.
℟ Christe, audi nos.

670 2 TEMPORE ADVENTUS

A

Advéntum Dómini nostri Iesu Christi,
fratres caríssimi, votis ómnibus præstolántes,
ipsíus misericórdiam impénsius implorémus,
ut, sicut ipse ad evangelizándum paupéribus
et sanándos contrítos corde venit in mundum,
ita, nostris quoque tempóribus,
cunctis egéntibus velit præbére salútem.

B 1

Ut Ecclésiam suam sanctam vísitet sempérque custódiat,
Dóminum deprecémur.
℟ Kýrie eléison.

2

Ut románum pontíficem,
antístitem nostrum, universúmque órdinem episcopátus
donis rémpleat spirituálium gratiárum,
Dóminum deprecémur.
℟ Kýrie eléison.

C 1

Ut témpora nostra sint, ipsíus protectióne, tranquílla,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

2

Ut mentes eórum, qui in potestáte nos regunt,
secúndum voluntátem suam dírigat
ad ómnium bonum promovéndum,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

D 1

Ut morbos áuferat,
famem depéllat,
omnémque tribulatiónem benígnus avértat,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

2

Ut omnes persecutióne vexátos
misericórditer liberáre dignétur,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

E 1

Ut caritátis suæ testes coram ómnibus homínibus
in veritáte maneámus,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

2

Ut nos in suo advéntu vigilántes invéniat,
Dóminum deprecémur.

℟ Kýrie eléison.

671 3 TEMPORE NATIVITATIS

A

Hac die (hac nocte, hoc témpore), fratres caríssimi,
qua (quo) appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei,
non in opéribus iustítiæ nostræ
sed in eius misericórdia confidéntes,
preces Deo nostro súpplices effundámus.

B

Pro Ecclésia Dei:
ut íntegra fide sustíneat et lætánter excípiat
quem immaculáta virgínitas
verbo concépit et ineffabíliter generávit,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

C

Pro univérsi orbis proféctu et tranquillitáte:
ut temporále donum in prǽmium tránseat sempitérnum,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

D

Pro iis, qui fame, infirmitáte vel solitúdine tribulántur:
ut per mystérium nativitátis (manifestatiónis) Christi
tam mente quam córpore subleventur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

E

Pro congregatiónis nostræ famíliis:
ut Christum recipiéntes
illum étiam in paupéribus discant excípere,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

I

A

Omni quidem témpore, fratres caríssimi,
preces debémus effúndere,
sed in his præcípue diébus quadragésimæ
vigilántius cum Christo et instántius
ad Deum oratiónes dirígere nos opórtet.

B

Pro univérso pópulo christiáno,
ut ex omni verbo, quod procédit de ore Dei,
in hoc sacro témpore ubérius nutriátur,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

C

Pro univérso mundo,
ut, tranquillitáte et pace serváta,
vere fiant dies nostri acceptábile grátiæ tempus et salútis,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

D

Pro peccatóribus et neglegéntibus,
ut hoc propitiatiónis témpore revertántur ad ipsum,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

E

Pro nobismetípsis,
ut in præcórdiis nostris
tandem detestatiónem nostrórum súscitet peccatórum,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

673 4 TEMPORE QUADRAGESIMÆ

II

A

Appropinquánte, dilectíssimi, sollemnitáte pascháli,
Dóminum impénsius implorémus,
ut et nos omnes,
et baptizatórum multitúdo et mundus univérsus,
abundántius huius sacri mystérii partícipes evadámus.

B

Ut catechúmenis,
sacro initiándis baptísmo próxima sollemnitáte pascháli,
fidem et intelléctum augére dignétur,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

C

Ut, adiútis pópulis qui subsídio égeant aliéno,
pax et secúritas ubíque iugi stabilitáte firméntur,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

D

Ut omnes afflícti et tentáti
ipsíus grátia roboréntur,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

E

Ut nos omnes
discámus fructum abstinéntiæ in bonum indigéntium erogáre,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

A

Hoc passiónis témpore,
quo Christus Patri suo preces supplicationésque
cum clamóre válido et lácrimis óbtulit,
Deum húmiles exorémus,
ut, pro reveréntia Fílii sui,
preces quoque nostras cleménter exáudiat.

B

Ut sponsa Christi Ecclésia
hoc passiónis témpore ipsíus sánguine plénius emundétur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

C

Ut per sánguinem crucis Christi
ómnia in mundo pacificári váleant in salútem,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

D

Ut omnes, qui infirmitáte et labóribus
sunt passiónis Christi partícipes,
fortitúdinem et patiéntiam assequántur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

E

Ut omnes per domínicam passiónem et crucem
ad resurrectiónis glóriam perducámur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

675 6 TEMPORE PASCHALI

A

In hoc pascháli gáudio, fratres caríssimi,
Deum instántius exorémus,
ut, qui preces supplicationésque dilécti Fílii sui propítius audívit,
humilitátem quoque nostram dignétur aspícere.

B

Pro nostrárum pastóribus animárum,
ut gregem ipsis a pastóre bono commíssum
régere váleant providénter,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

C

Pro univérso mundo,
ut pace a Christo donáta veráciter perfruátur,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

D

Pro frátribus nostris afflíctis,
ut eórum tristítia vertátur in gáudium,
quod ab eis tóllere nemo possit,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

E

Pro congregatióne nostra,
ut testimónium resurrectiónis Christi
cum fidúcia magna perhíbeat,
Dóminum deprecémur.
℟ Dómine, miserére.

I

A

In unum congregáti, fratres caríssimi,
ad Dei nostri benefícia recolénda,
rogémus eum, ut ipse nobis vota subíciat,
quæ digne possit audíre.

B

Pro pontífice nostro N. et antístite nostro N. et omni clero
cum pópulo ipsórum gubernáculis commendáto,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

C

Pro moderatóribus rerum publicárum eorúmque minístris
bonum commúne curántibus,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

D

Pro navigántibus, iter agéntibus,
et captívis vel in cárcere custodítis,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

E

Pro nobis ómnibus
fide, devotióne et Dei dilectióne ac timóre
in hac aula sacratíssima congregátis,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

II

A

Omnes huc convénimus, fratres caríssimi,
ad redemptiónis nostræ recolénda mystéria;
rogémus ergo Deum omnipoténtem,
ut mundus univérsus
his totíus benedictiónis et vitæ fóntibus irrigétur.

B

Pro ómnibus qui seípsos Deo vovérunt,
ut, ipso adiuvánte, propósitum suum in fidelitáte custódiant,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

C

Pro pace géntium,
ut, omni perturbatióne remóta,
líberis ipsi méntibus pópuli servíre mereántur,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

D

Pro sénibus, qui solitúdine vel infirmitáte labórant,
ut fratérna nostra caritáte firméntur,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

E

Pro nobis hic congregátis,
ut sic sciámus bonis uti præséntibus,
quibus nos Deus fovére non désinit,
ut iam possímus inhærére perpétuis,
Dóminum exorémus.

℟ Dómine, miserére.

A

Deum Patrem omnipoténtem,
qui Christum Fílium suum suscitávit a mórtuis,
pro salúte vivórum atque mortuórum fidéliter invocémus.

B

Ut pópulum christiánum in fide et unitáte stabíliat,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

C

Ut ab omni bellórum nequítia orbem éruat univérsum,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

D

Ut frátribus, qui carent ópere, victu vel tecto,
se patrem dignétur osténdere,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

E 1

Ut huic defúncto N.,
qui olim per baptísmum ætérnæ vitæ semen accépit,
perpétuam velit societátem donáre sanctórum,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

2

Ut eum, qui manducávit corpus Christi,
panem vitæ ætérnæ,
resúscitet in novíssimo die,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

(vel, pro presbytero:)

Ut eum, qui in Ecclésia sacerdótii munus exércuit,
fáciat divíni cultus in cælis esse partícipem,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

3

Ut animábus fratrum, propinquórum
et benefactórum nostrórum
mercédem labóris attríbuat,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

4

Ut omnes, qui dormiérunt in spe resurrectiónis,
in lúmine sui vultus accípiat,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

F

Ut fratres nostros, qui in afflictióne versántur,
ádiuvet et propítius consolétur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

G

Ut omnes, qui huc in fide et devotióne convenérunt,
in gloriósum suum regnum congregáre dignétur,
Dóminum deprecémur.

℟ Dómine, miserére.

PRAEPARATIO AD MISSAM

679 1 ORATIO S. AMBROSII

Summe sacérdos et vere póntifex Iesu Christe,
qui te obtulísti Deo Patri in ara crucis
hóstiam puram et immaculátam pro nobis míseris peccatóribus,
et qui dedísti nobis carnem tuam ad manducándum
et sánguinem tuum ad bibéndum,
et posuísti mystérium in virtúte Spíritus sancti,
dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis,
in mei memóriam faciétis;
rogo per tuum sánguinem pretiósum,
magnum salútis nostræ prétium,
rogo per hanc miram et ineffábilem caritátem,
qua nos míseros et indígnos sic amáre dignátus es,
ut laváres nos a peccátis nostris in sánguine tuo;
doce me, servum tuum indígnum,
quem inter cétera dona tua
ad offícium sacerdotále vocáre dignátus es,
nullis meis méritis,
sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ,
doce me, quæso, per Spíritum tuum,
tantum mystérium tractáre ea reveréntia et honóre,
eáque devotióne et timóre,
quibus opórtet et decet.

Fac me, Dómine Iesu Christe, per grátiam tuam,
semper illud de tanto mystério crédere et intellégere,
sentíre et fírmiter retinére,
dícere et cogitáre,
quod tibi placet et éxpedit ánimæ meæ.

Intret Spíritus tuus bonus in cor meum,
qui sonet ibi sine sono,
et sine strépitu verbórum
loquátur omnem veritátem tantórum mysteriórum.
Profúnda sunt nimis et sacro tecta velámine.

Propter magnam deméntiam tuam
concéde mihi hódie et semper
missárum sollémnia puro corde et pura mente celebráre.
Líbera cor meum ab immúndis et nefándis,
vanis et obnóxiis cogitatiónibus.
Muni me beatórum angelórum pia et fida tutéla,
atque fortíssima custódia,
ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant
per virtútem tanti mystérii,
et per manum sancti ángeli tui.

Repélle a me, Dómine Iesu Christe,
et a cunctis servis tuis
duríssimum spíritum supérbiæ, cenodóxiæ, invídiæ,
iracúndiæ, fornicatiónis et immundítiæ,
dubietátis et blasphémiæ.
Confundántur qui nos persequúntur,
péreant illi, qui cuncta pérdere festínant.

Amen.

680 2 ORATIO S. AMBROSII

Ad mensam dulcíssimi convívii tui,
pie Dómine Iesu Christe,
ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens,
sed de tua confídens misericórdia et bonitáte,
accédere véreor et contremísco.

Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum,
mentem et linguam non caute custodítam.
Ergo, o pia Déitas, o treménda maiéstas,
ego miser, inter angústias deprehénsus,
ad te fontem misericórdiæ recúrro,
ad te festíno sanándus,
sub tuam protectiónem fúgio;
et, quem Iúdicem sustinére néqueo,
Salvatórem habére suspíro.

Tibi, Dómine, plagas meas osténdo,

tibi verecúndiam meam détego.
Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo,
spero in misericórdias tuas, quarum non est númerus.
Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ,
Dómine Iesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo,
crucifíxus propter hóminem.
Exáudi me sperántem in te,
miserére mei pleni miśériis et peccátis,
tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis.

Salve, salutáris víctima,
pro me et omni humáno género in patíbulo crucis obláta.
Salve, nóbilis et pretióse sanguis,
de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Iesu Christi prófluens,
et peccáta totíus mundi ábluens.
Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quam tuo sánguine redemísti.
Pǽnitet me peccásse,
cúpio emendáre quod feci.
Aufer ergo a me, clementíssime Pater,
omnes iniquitátes et peccáta mea,
ut, purificátus mente et córpore,
digne degustáre mérear Sancta sanctórum.

Et concéde, ut hæc sancta prælibátio córporis et sánguinis tui,
quam ego indígnus súmere inténdo,
sit peccatórum meórum remíssio,
sit delictórum perfécta purgátio,
sit túrpium cogitatiónum effugátio
ac bonórum sénsuum regenerátio,
operúmque tibi placéntium salúbris efficácia,
ánimæ quoque et córporis
contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio.

Amen.

681 3 ORATIO S. THOMÆ DE AQUINO

Omnípotens sempitérne Deus,
ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi:
accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ,
immúndus ad fontem misericórdiæ,
cæcus ad lumen claritátis ætérnæ,
pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ.

Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam,
quátenus meam curáre dignéris infirmitátem,
laváre fœditátem, illumináre cæcitátem,
ditáre paupertátem, vestíre nuditátem,
ut panem angelórum, Regem regum et Dóminum dominántium
tanta suscípiam reveréntia et humilitáte,
tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide,
tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ.

Da mihi, quæso, domínici córporis et sánguinis
non solum suscípere sacraméntum,
sed étiam rem et virtútem sacraménti.

O mitíssime Deus,
da mihi corpus unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi,
quod traxit de vírgine María, sic suscípere,
ut córpori suo mýstico mérear incorporári
et inter eius membra connumerári.

O amantíssime Pater,
concéde mihi diléctum Fílium tuum,
quem nunc velátum in via suscípere propóno,
reveláta tandem fácie perpétuo contemplári.
Qui tecum vivit et regnat
in sǽcula sæculórum.

Amen.

4 ORATIO AD B. MARIAM VIRGINEM

O Mater pietátis et misericórdiæ,
beatíssima virgo María,
ego miser et indígnus peccátor
ad te confúgio toto corde et afféctu,
et precor pietátem tuam,
ut, sicut dulcíssimo Fílio tuo
in cruce pendénti astitísti,
ita et mihi, mísero peccatóri,
et sacerdótibus ómnibus,
hic et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus,
cleménter assístere dignéris,
ut, tua grátia adiúti,
dignam et acceptábilem hóstiam
in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis
offérre valeámus.
Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

683 1 ORATIO S. THOMÆ DE AQUINO

Grátias tibi ago,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum,
nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ
satiáre dignátus es pretióso córpore et sánguine Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Et precor, ut hæc sancta commúnio
non sit mihi reátus ad pœnam,
sed intercéssio salutáris ad véniam.
Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis.
Sit vitiórum meórum evacuátio,
concupiscéntiæ et libídinis exterminátio,
caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obœdiéntiæ,
omniúmque virtútum augmentátio;
contra insídias inimicórum ómnium,
tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio;
mótuum meórum, tam carnálium quam spiritálium,
perfécta quietátio;
in te uno ac vero Deo firma adhǽsio,
atque finis mei felix consummátio.

Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium
me peccatórem perdúcere dignéris,
ubi tu, cum Fílio tuo et Spíritu sancto,
sanctis tuis es lux vera, satíetas plena,
gáudium sempitérnum, iucúnditas consummáta
et felícitas perfécta.

Per Christum Dóminum nostrum.

Amen.

Transfíge, dulcíssime Dómine Iesu,
medúllas et víscera ánimæ meæ
suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere,
vera serenáque et apostólica sanctíssima caritáte,
ut lángueat et liquefíat ánima mea
solo semper amóre et desidério tui,
te concupíscat et defíciat in átria tua,
cúpiat dissólvi et esse tecum.

Da, ut ánima mea te esúriat,
panem angelórum,
refectiónem animárum sanctárum,
panem nostrum quotidiánum supersubstantiálem,
habéntem omnem dulcédinem et sapórem,
et omne delectaméntum suavitátis.

Te, in quem desíderant ángeli prospícere,
semper esúriat et cómedat cor meum,
et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ.
Te semper sítiat, fontem vitæ,
fontem sapiéntiæ et sciéntiæ,
fontem ætérni lúminis,
torréntem voluptátis,
ubertátem domus Dei.

Te semper ámbiat, te quærat, te invéniat,
ad te tendat, ad te pervéniat,
te meditétur, te loquátur,
et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui,
cum humilitáte et discretióne,
cum dilectióne et delectatióne,
cum facilitáte et afféctu,
cum perseverántia usque in finem;
et tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea,
divítiæ meæ, delectátio mea, iucúnditas mea,
gáudium meum, quies et tranquíllitas mea,
pax mea, suávitas mea, odor meus,
dulcédo mea, cibus meus, reféctio mea,
refúgium meum, auxílium meum,

sapiéntia mea, pórtio mea,
possésio mea, thesáurus meus,
in quo fixa et firma
et immobíliter semper sit radicáta mens mea et cor meum.
Amen.

685 3 ASPIRATIONES AD SS.MUM REDEMPTOREM

Anima Christi, sanctífica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inébria me.
Aqua láteris Christi, lava me.
Pássio Christi, confórta me.
O bone Iesu, exáudi me.
Intra tua vúlnera abscónde me.
Ne permíttas me separári a te.
Ab hoste malígno defénde me.
In hora mortis meæ voca me.
Et iube me veníre ad te,
ut cum sanctis tuis laudem te
in sǽcula sæculórum.
Amen.

686 4 OBLATIO SUI

Súscipe, Dómine, univérsam meam libertátem.
Accipe memóriam, intelléctum atque voluntátem omnem.
Quidquid hábeo vel possídeo, mihi largítus es:
id tibi totum restítuo,
ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum.
Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones,
et dives sum satis,
nec áliud quidquam ultra posco.

687 5 ORATIO AD D.N. IESUM CHRISTUM CRUCIFIXUM

En ego, o bone et dulcíssime Iesu,
ante conspéctum tuum génibus me provólvo,
ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor,
ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus,
atque veram peccatórum meórum pæniténtiam,
éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere;
dum magno ánimi afféctu et dolóre
tua quinque vúlnera mecum ipse consídero ac mente contémplor,
illud præ óculis habens,
quod iam in ore ponébat tuo David prophéta de te, o bone Iesu:
Fodérunt manus meas et pedes meos:
dinumeravérunt ómnia ossa mea (Ps 21, 17).

688 6 ORATIO UNIVERSALIS SUB NOMINE CLEMENTIS PP. XI VULGATA

Credo, Dómine, sed credam fírmius;
spero, sed sperem secúrius;
amo, sed amem ardéntius;
dóleo, sed dóleam veheméntius.
Adóro te ut primum princípium;
desídero ut finem últimum;
laudo ut benefactórem perpétuum;
ínvoco ut defensórem propítium.
Tua me sapiéntia dírige,
iustítia cóntine, cleméntia soláre,
poténtia prótege.
Offero tibi, Dómine, cogitánda, ut sint ad te;
dicénda, ut sint de te;
faciénda, ut sint secúndum te;
ferénda, ut sint propter te.
Volo quidquid vis,
volo quia vis,
volo quómodo vis,
volo quámdiu vis.

Oro, Dómine: intelléctum illúmines,
voluntátem inflámmes, cor emúndes,
ánimam sanctífices.

Défleam prætéritas iniquitátes,
repéllam futúras tentatiónes,
córrigam vitiósas propensiónes,
éxcolam idóneas virtútes.

Tríbue mihi, bone Deus, amórem tui, ódium mei,
zelum próximi, contémptum mundi.

Stúdeam superióribus obœdíre,
inferióribus subveníre,
amícis consúlere, inimícis párcere.

Vincam voluptátem austeritáte,
avarítiam largitáte, iracúndiam lenitáte,
tepiditátem fervóre.

Redde me prudéntem in consíliis,
constántem in perículis, patiéntem in advérsis,
húmilem in prósperis.

Fac, Dómine, ut sim in oratióne atténtus,
in épulis sóbrius, in múnere sédulus,
in propósito firmus.

Curem habére innocéntiam interiórem,
modéstiam exteriórem,
conversatiónem exemplárem,
vitam regulárem.

Assídue invígilem natúræ domándæ,
grátiæ fovéndæ, legi servándæ,
salúti promeréndæ.

Discam a te quam ténue quod terrénum,
quam grande quod divínum,
quam breve quod temporáneum,
quam durábile quod ætérnum.

Da, ut mortem prævéniam,
iudícium pertímeam, inférnum effúgiam,
paradísum obtíneam.

Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

689 7 ORATIO AD B. MARIAM VIRGINEM


O María, virgo et mater sanctíssima,
ecce suscépi dilectíssimum Fílium tuum,
quem immaculáto útero tuo concepísti,
genuísti, lactásti,
atque suavíssimis ampléxibus strinxísti.
Ecce, cuius aspéctu lætabáris,
et ómnibus delíciis replebáris,
illum ipsum tibi humíliter et amánter repræsénto et óffero,
tuis bráchiis constringéndum,
tuo corde amándum,
sanctissimǽque Trinitáti in suprémum latríæ cultum,
pro tui ipsíus honóre et glória
et pro meis totiúsque mundi necessitátibus, offeréndum.

Rogo ergo te, piíssima mater,
ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum,
uberémque grátiam ipsi deínceps fidélius serviéndi,
ac dénique grátiam finálem,
ut eum tecum laudáre possim
per ómnia sǽcula sæculórum.


Amen.

CANTUS
IN MISSALI OCCURRENTES


690 ANNUNTIATIO PASCHÆ
IN EPIPHANIA DOMINI




Nó- ve-rit cá- ri- tas ve- stra, fratres ca-rís-si-mi, quod




an- nu- én- te De- i et Dó-mi-ni no-stri Ie- su Chri- sti



mi- se- ri- cór- di- a, di- e ... men- sis a- prí- lis
sis már- ti- i



Pa- scha Dó-mi- ni cum gáu- di- o ce- le- brá-bi- mus.



℟ De- o grá-ti- as.

691 INVITATORIUM AD CRUCEM ADORANDAM FERIA VI IN PARASCEVE

Ec-ce li- gnum Cru- cis, in quo sa- lus mun-di

pe- pén- dit.

Ve- ní- te, a- do- ré- mus.

692 PRÆCONIUM PASCHALE IN VIGILIA DOMINICÆ RESURRECTIONIS

Exsúl-tet iam angé- li- ca turba cæ- ló- rum; exsúl-

tent di- ví- na my- sté- ri- a, et pro tan- ti Re- gis

vi- ctó- ri- a tu- ba ín-to-net sa- lu- tá- ris. Gáude-

at se tot tel- lus ir- ra- di- á- ta ful- gó- ri- bus,

et, æ- tér-ni Re- gis splendó- re lustrá- ta, to- tí- us

or- bis sén- ti- at a- mi- sís- se ca- lí- gi- nem.

Læ- té- tur et ma- ter Ecclé- si- a, tan-ti lú- mi- nis

a- dor-ná- ta ful-gó- re, et ma-gnis po- pu- ló- rum

vó- ci- bus hæc au- la re- súl- tet. Qua-pró-pter,

a-stán-ti- bus vo- bis, fra-tres ca- rís- si- mi, ad tam mi-ram

sancti hu- ius lú- mi- nis cla- ri- tá- tem, u- na me- cum,

quæ- so, De- i omni- po- tén- tis mi- se- ri- cór- di- am

in-vo- cá- te, ut qui me non me- is mé- ri- tis

intra le- vi- tá- rum núme- rum di-gná- tus est aggre-gá-re,

lú- mi- nis su- i grá- ti- am in-fundéndo, cé- re- i

hu- ius lau-dem implé- re præ- cí- pi- at. Præ-stán- te

Dó- mi- no no-stro Ie- su Chri- sto Fí- li- o su- o,

se- cum vi- vén- te at- que re- gnán- te De- o, in

u- ni- tá- te Spí- ri- tus san- cti, per óm- ni- a

sǽ- cu- la sæ- cu- ló- rum. ℟ A- men.

℣ Dó- mi- nus vo- bís- cum. ℟ Et cum spí- ri- tu tu- o.

℣ Sur- sum cor- da. ℟ Ha- bé- mus ad Dó- mi- num.

℣ Grá- ti- as a- gá- mus Dó- mi- no De- o no- stro.

℟ Di- gnum et iu- stum est. ℣ Di- gnum et iu- stum est,

ve- re qui- a di- gnum et iu- stum est, æ- quum et

sa- lu- tá- re, nos ti- bi semper, hic et u- bí-que,

grá- ti- as á- ge- re, Dó- mi- ne, sancte Pa- ter-,

omní-po- tens æ-tér-ne De- us. Qui po-pu-ló-

rum Pa-scha cun-ctó-rum, non pé-cu-dum cru- ó-re nec

ádi- pe, sed U-ni-gé-ni-ti tu- i Dó-mi-ni no- stri

Ie-su Chri-sti sán-gui-ne cor-po-ré-que di-

cá-sti, ut, sup-pló-so ri-tu gen-tis in-grá-tæ, le-gi

grá-ti- a suc-cé-de- ret, et u-na ví-cti-ma, per semet-í-psam

tu- æ ma-ie-stá-ti se-mel oblá-ta, mun-di to- tí- us ex-

pi- á- ret of- fén-sam. Hic est Agnus la-pí-de- is

præ-fi-gurá-tus in tá-bu- lis, non ad-dú-ctus e gré-gi-bus,

sed e-vé-ctus e cæ-lo; nec pa-stó-re ín-di-gens, sed

Pastor bo-nus ipse tan-túm-mo- do; qui á-ni-mam su- am

pro su- is pó-su- it ó-vi-bus et rur-sus as- súmpsit,

ut no-bis et hu-mi-li-tá-tem di-ví-na di-gná-ti- o et

spem re-sur-ré-cti- o cor-po-rá-lis os- tén-de- ret. Qui

co-ram ton-dén-te se non vo-cem quǽ-ru-li ba-lá-tus e-

mí-sit, sed e-van-gé-li-co pro-cla-má-vit o-rá-cu-lo di-cens:

A-mo-do vi-dé-bi-tis Fí-li- um hó-mi-nis se-dén-tem

ad déxte- ram ma- ie- stá-tis. I-pse no-

bis et te re-con-cí-li-at, Pa-ter om-ní-po-tens, et

pa-ri te-cum ma-ie-stá-te ful-tus in-dúl-get. Nam,

quæ pá-tri-bus in fi-gú-ra con-tin-gé-bant, no-bis in

ve-ri-tá-te pro- vé-ni- unt. Ec-ce iam ignis co-

lúm-na re-splén-det, quæ ple-bem Dó-mi-ni be-á-tæ

no-ctis tém-po-re ad sa-lu-tá-ri-a flu-én-ta præcé-dat,

in qui-bus per-se-cú-tor mér-gi-tur et Christi pó-pu-lus

li-be-rá-tus e-mér-git. Nam, san-cti Spí-ri-tus un-da

concé-ptus, per Adam natus ad mor-tem per Chri-stum

re-gí-gni-tur ad vi-tam. Sol-vá-mus í-gi-tur

vo-lun- tá- ri- e ce-le- brá- ta ie- iú- ni- a, qui- a Pa-

scha nostrum im-mo-lá- tus est Chri-stus; nec so- lum cór

po-re e-pu- lé-mur A-gni, sed é-ti- am i-ne-bri- é-

mur et sán-gui- ne. Hu-ius e-nim tan-túmmodo cru- or

non cre- at pi- á-cu- lum bi-bén-ti-bus, sed sa-lú-tem.


I-pso quo- que ve- scá-mur et á- zy-mo, quó- ni- am

non de so-lo pa-ne vi-vit ho-mo, sed de om- ni


ver-bo De- i. Sí-qui-dem hic est pa-nis, qui

de-scén-dit e cæ-lo, lon-ge præ-stán-ti- or il- lo


quondam mannæ im-bre fru-gí-flu- o, quo tunc I-sra- el



e- pu- lá-tus in- té- ri- it. Hoc ve- ro qui vé- sci- tur cór-



po- re, vi- tæ pe-rén-nis pos-sés-sor ex- sí- stit.




Ec-ce vé-te-ra tran-si- é-runt, facta sunt óm-ni- a no-va.




Nam cir-cum-ci-si- ó-nis mo- sá- i-cæ mucro iam scábru- it,



et Ie-su Na-ve a- cú-ta lá- pi- dum ob- so- lé- vit a- spé-




ri- tas, Chri-sti ve- ro pó- pu- lus in-si- gní- tur fron- te,



non ín-gui- ne, la- vá- cro, non vúl- ne- re, chrí- sma-



te, non cru- ó- re. De- cet er-go in hoc Dómi-



ni Sal-va-tó-ris nostri ve- sper- tí- næ re- sur-re-cti- ó-nis



ad- vén- tu cé- re- am nos a- do-lé-re pin- gué- di- nem,

cu- i súp-pe-tit can-dor in spé- ci- e, su- á-vi- tas in

o-dó-re, splen- dor in lú- mi- ne; quæ nec marcescén-ti

li-quó-re dé-flu- it, nec offén-sam te- tri ni-dó- ris

ex- há-lat. Quid e-nim ma-gis ac-cómmodum, ma-

gís-que fe- stí-vum, quam Ies-sé- i- co flo- ri fló-re- is excu-

bémus et te-dis? Præ-sér-tim cum et Sa-pi- énti- a de

se- me-tí- psa ce- cí-ne- rit: E-go sum flos agri et

lí- li- um con- vál- li- um. Ce-ras í-gi-tur nec pi-nus

exú- sta de-sú- dat, nec crebris sauci- á-ta bi-pénni-bus

ce-drus il-lá-cry-mat, sed est il-lis ar-cá-na de vir- gi-

ni-tá-te cre-á-ti- o; et i-psæ tran-sfi-gu-ra-ti-ó-ne

ní-ve-i can-dó-ris al- béscunt. E-ándem ve-ro

pa-pý-rum lí-qui-da fon-tis unda prodú-cit, quæ instar

in-són-tis á-ni-mæ nul-lis ar-ti-cu-lá-tur si-nu-á-ta

compá-gi-bus, sed vir-gi-ná-li cir-cumsé-pta ma-té-ri-e,


fit ho-spi-tá-lis ígni-bus, a-lúmna ri- vó-rum.

De-cet er-go ad-véntum Sponsi dulci-á-tis Ec-clé-si-æ


lu-mi-ná-ri-bus op-pe-rí-ri, et lar-gi-tá-tem san-cti-tá-

tis ac-cé-ptam, quan-ta va-let de-vo-ti-ó-nis do-te, pen-


sá-re, nec sanctas in-terpo-lá-re té-ne-bris ex-cú-bi-as,



sed te-dam sa-pi- én-ter per-pé-tu- is præ-pa-rá-re lu-mí-



ni- bus, ne, dum ó-le-um can-dé-lis adiúngi-tur, ad-vén-




tum Dó-mi-ni tar-do pro-sequámur ob-sé-qui- o, qui




cer-te in ictu ó-cu-li, ut co-rúscus, ad- vé-ni- et.




I-gi-tur in hu-ius di- é- i véspe-re cuncta vene-rá-bi-lis




sa-cra-mén-ti ple-ni-tú-do col-lí-gi- tur, et,quæ divér-sis




sunt præ- fi- gu- rá- ta vel ge- sta tem- pó- ri- bus,



hu-ius noctis currí-cu-lo de-vo lú- ta sup- plén-tur.



Nam pri-mum hoc ve-sper-tí-num lu-men, si-cut il-la



dux Ma-gó-rum stel-la, præ-cé-dit. De- índe mý-sti-cæ

re-ge-ne-ra-ti- ó-nis un-da sub- sé- qui-tur, ve-lut, dignán-

te Dó-mi-no, flu- én-ta Ior-dá-nis. Tér-ti- o re-surrecti- ó-

nem Chri-sti vox a-postó-li-ca sa-cer-dó- tis an-

nún- ti- at. Tum ad to-tí- us mysté-ri- i supplemén-tum

Chri-sto vé-sci-tur tur- ba fi- dé- li- um. Quæ summi sa-

cer-dó-tis et an-tí-sti-tis tu- i Am-bró-si- i o-ra-ti- óne

san-cti-fi-cá-ta vel mé-ri- tis, re- sur-re-cti- ó-nis domí-

ni- cæ di- em, Chri-sto in ómni- bus pro- spe- rán-

te, su- scí- pi- at. Per bo-num et be-ne- dí-ctum

Fí- li- um tu- um Dó-mi-num no-strum Ie-sum Chri-stum,

cum quo be- á-tus vi-vis et regnas De- us, in u- ni-tá-te

Spí- ri-tus sancti, per óm- ni- a sǽ-cu-la sæ- cu- ló- rum.

℟ A- men.

693 NUNTIUS RESURRECTIONIS IN VIGILIA PASCHALI

Chri-stus Dó- mi-nus re-sur- ré-xit. ℟ De- o grá- ti- as.

vel, tono antiquiore:

De- o grá- ti- as.

OFFERTORIA VETERIS MISSALIS AMBROSIANI

ORDINE ALPHABETICO DISPOSITA

(ex « MISSALE AMBROSIANUM
iuxta ritum Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis.
Editio quinta post typicam.
Mediolani, Daverio, MCMLIV »)

S. Cæciliæ virg. et mart. (22 nov.)
S. Agnetis virg. et mart. (21 ian.)
In vigilia Assumptionis B.M.V. (14 aug.)
S. Euphemiæ virg. et mart. (16 sept.)
S. Theclæ virg. et mart. (24 sept.)
Comm. Sanctorum: in natali unius virginis martyris
Comm. Sanctorum: in natali unius virginis

Ps 44, 15-16

Afferéntur regi vírgines,
próximæ eius afferéntur tibi
in lætítia et exsultatióne:
adducéntur in templum regis Dómino.

Dominica III Adventus

Cf. Ioel 3, 17-18; Ios 1, 1-2

Alienígenæ non transíbunt
per Ierúsalem ámplius.
Et in illa die
stillábunt montes dulcédinem,
et colles fluent lac.
Allelúia, allelúia.
℣ Locútus est Dóminus ad Iesum,
fílium Nave, dicens:
Surge, et áccipe plebem, et legem,
et transi Iordánem,
et tu compartíeris terram plebis huius.
Et in illa die
stillábunt montes dulcédinem,
et colles fluent lac.
Allelúia, allelúia.

Feria III in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali et missa de octava in omni ecclesia

Cf. 2 Par 29, 26-27

Allelúia. Stetérunt levítæ
in vasis David,
et sacerdótes in tubis
offérre holocaustómata super altáre
in die sollémni azymórum septem dies.
Allelúia, allelúia.

In elevatione corporum Ss. Ambrosii, Protasii et Gervasii (14 maii)

Eccli 49, 18

Ambrósius firmaméntum gentis,
rector fratrum, stabiliméntum pópuli.
Allelúia.
℣ Et ossa ipsíus visitáta sunt,
et post mortem prophetavérunt.
Allelúia.

In die sancto
Paschæ Resurrectionis D.N.I.C.:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali et missa de sollemnitate paschali
Cf. Mt 28, 5-6. 7; Lc 24, 36

Angelus Dómini descéndit de cælo,
et dixit muliéribus: Quem quǽritis?
Surréxit, sicut dixit.
Allelúia.
℣ I. Eúntes dícite discípulis eius:
Ecce præcédit vos in Galilǽam,
ibi eum vidébitis, sicut dixit.
Allelúia.
℣ II. Iesus stetit in médio eórum,
et dixit eis: Pax vobis;
vidéte quia ipse ego sum, sicut dixit.
Allelúia.

Missa votiva,
sed ritu solemni, de sancta virgine Maria
Cf. Prov 8, 25-28

Ante colles ego parturiébar;
adhuc terram non fécerat,
quando parábat cælos, áderam;
dum valláret mari términos,
et legem póneret aquis,
ego eram.

In festo dedicationis S. Mariæ ad Nives (5 aug.)
In vigilia Nativitatis B.M.V. (7 sept.)
Missæ feriales ac votivæ, sabbato: De sancta virgine Maria

Beáta et venerábilis Virgo,
quæ sine tactu pudóris
mater invénta es Salvatóris:
iacébat in præsépio,
et fulgébat in cælo.
℣ Cæli terrǽque, maris,
inférni creátor,
auctor perpétuus,
Dóminus imménsæ maiestátis:
iacébat in præsépio,
et fulgébat in cælo.

In sollemnitate Visitationis B.M.V. (2 iulii)
In festo sanctissimi Nominis B.M.V. (12 sept.)

Beáta et venerábilis Virgo,
quibus te láudibus prǽferam, néscio.
Quem cæli non cápiunt,
tuis grémiis continétur.
℣ Benedícta tu inter mulíeres,
et benedíctus fructus ventris tui,
qui est Christus Dóminus.
Quem cæli non cápiunt,
tuis grémiis continétur.

S. Martini episc. et conf. (11 nov.)
Cf. Matth 25, 40

Beáti Martíni méritum
factúmque laudámus.
Páuperem nudum chlámyde indútum
audit Iesum,
clara voce dicéntem:
Martínus adhuc cathecúmenus
hac me veste contéxit.
℣ Vere memor Dóminus
dictórum suórum,
qui ante predíxerat:
Quámdiu fecístis uni ex mínimis istis,
mihi fecístis.
Martínus adhuc cathecúmenus
hac me veste contéxit.

Missa votiva pro sponso et sponsa
Ps 127, 5-6

Benedícat te Dóminus ex Sion,
et vídeas quæ bona sunt Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ,
et vídeas fílios filiórum tuórum:
pax super Israel.

In festo Ss. Angelorum Custodum (2 oct.)
Ps 102, 22

Benedícite Dóminum,
ómnia ópera eius,
in omni loco dominatiónis eius:
bénedic, ánima mea, Dóminum.

Dominica XII post Pentecosten
Ps 84, 2

Benedixísti, Dómine, terram tuam,
avertísti captivitátem ab Iacob.

Dominica IV Adventus
Cf. Ps 84, 2. 8. 10

Benedixísti, Dómine, terram tuam;
avertísti captivitátem ab Iacob.
℣ Osténde nobis, Dómine,
misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis,
ut inhábitet glória in terra nostra;
avertísti captivitátem ab Iacob.

Missæ feriales ac votivæ, feria tertia: De Angelis

Cæléstis milítiæ princeps,
magne Míchael,
deprecáre Christum
pro afflictórum gémitu,
Redemptórem mundi.

Feria II in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali et missa de octava in omni ecclesia
Cf. 1 Esd 6, 22

Celebravérunt fílii Israel Pascha
in die sollémni azymórum septem dies.
Allelúia, allelúia.

Dominica V Adventus
Cf. Is 35, 4; 7, 13-14

Confortámini, et iam nolíte timére:
ecce enim Dóminus iudícium retríbuet.
Ipse véniet, et salvos nos fáciet.
℣ Audíte ítaque, domus David:
Non pusíllum vobis
certámen præstáre homínibus,
quóniam Dóminus præstat certámen.
Proptérea dabit vobis signum:
Ecce Virgo in útero concípiet.
Ipse véniet, et salvos nos fáciet.

Missa feriæ V in Cena Domini
Cf. Ier 20, 10. 11. 12

Contuméliam, et terróres
passus sum ab eis,
qui erant pacífici mei
et custodiéntes latus meum,
dicéntes: Decipiámus eum,
et prævaleámus ei.
Sed tu, Dómine, mecum esto,
sicut pugnátor fortis;
cadant in oppróbrium sempitérnum,
et vídeam vindíctam in eis,
quia tibi reveláví causam meam.

Missa votiva contra paganos

Convertámur ad Dóminum
Deum nostrum,
et effundámus coram ipso
preces nostras cum lácrymis.
Credo, recordábitur,
et miserébitur nostri.

Missæ feriales ac votivæ, feria quinta: De Spiritu sancto
Ps 50, 12-13

Cor mundum crea in me, Deus,
spíritum rectum
ínnova in viscéribus meis.
Ne proiícias me a fácie tua,
Spíritum sanctum tuum
ne áuferas a me.
Allelúia.

In inventione S. Stephani protomart. (3 aug.)

Corónam glóriæ
ponam super caput eius,
dicit Dóminus,
et índuam illum stola cándida,
quia servávit mandáta mea,
et propter nomen meum
effúsus est sanguis eius in terra.

Dominica post Ascensionem Domini

Curváti sunt cæli,
dum calcáret cápita núbium
Creátor astrórum.
Et dum ascénderet cælos
Dominátor ómnium,
terróre concússus est
númerus angelórum,
laudántium et dicéntium:
Quantus sit iste, cui throni
et dominatiónes occúrrunt?
Allelúia, allelúia.

S. Thomæ ep. et mart. (29 dec.)
S. Clementis papæ et mart. (23 nov.)
In vigilia S. Andreæ apostoli (29 nov.)
S. Victoris martyris (8 maii)
S. Apollinaris episc. et mart. (23 iulii)
In decollatione S. Ioannis Bapt. (29 aug.)
Comm. Sanctorum: in vigilia unius apostoli
Comm. Sanctorum: in natali unius martyris et pontificis
Ps 20, 3. 4

Desidérium ánimæ eius
tribuísti ei, Dómine,
et voluntáte labiórum eius
non fraudásti eum.
Posuísti in cápite eius
corónam de lápide pretióso.

Dominica IV post Epiphaniam
Dominica V post Pascha
In vigilia Ascensionis Domini
Dominica XI post Pentecosten
Ps 92, 1-2

Deus enim firmávit orbem terræ,
qui non commovébitur.
Paráta sedes tua, Deus, ex tunc:
a sæculo tu es.

In festo S. Caroli episc. et conf. (4 nov.)
Is 3, 10

Dícite iusto quóniam bene,
quóniam fructum
adinventiónum suárum cómedet.

Dominica IV in Quadragesima
De Cæco
Cf. Ex 33, 17; 34, 8. 9; 32, 14

Dixit Dóminus ad Móysen:
Invenísti grátiam in conspéctu meo,
et scio te præ ómnibus.
Et festínans Móyses,
inclinávit se in terram,
et adorávit, dicens:
Scio, quia misericors es in míllibus,
áuferens iniquitátes et peccáta.
℣ Et placátus factus est Dóminus
de malignitáte,
quam dixit fácere pópulo suo.

Dominica III in Quadragesima
De Abraham
Cf. Ex 16, 9; 32, 14

Dixit Móyses et Aáron
ad omnem synagógam filiórum Israel:
Accédite ante Deum.
Maiéstas Dómini appáruit in nube,
et exaudívit murmuratiónem vestram
in témpore.
℣ Et placátus factus est Dóminus
de malignitáte,
quam dixit fácere pópulo suo.

In festo S. Raphaelis archangeli (24 oct.)
Tb 12, 12. 6

Dixit Ráphael ángelus ad Tobíam:
Quando orábas cum lácrymis,
et sepeliébas mórtuos,
et derelinquébas prándium tuum,
et mórtuos abscondébas per diem
in domo tua,
et nocte sepeliébas eos,
ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.
℣ Benedícite Deum cæli,
et coram ómnibus vivéntibus
confitémini ei,
quia fecit vobíscum
misericórdiam suam;
ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Dominica I post Epiphaniam
Dominica V post Pentecosten
Dominica II post Decollationem
Ps 6, 5. 3

Dómine, convértere
et éripe ánimam meam;
salvum me fac
propter misericórdiam tuam.
℣ Miserére mihi, Dómine,
quóniam infírmus sum;
sana me, Dómine,
quóniam conturbáta sunt
ómnia ossa mea;
salvum me fac
propter misericórdiam tuam.

In festo Sacratissimi Cordis Iesu
Cf. 1 Par 29, 17-18

Dómine Deus,
in simplicitáte cordis mei
lætus óbtuli univérsa;
et pópulum tuum vidi
cum ingénti gáudio
tibi offérre donária.
Dómine Deus,
custódi hanc voluntátem cordis eórum.
Allelúia.

Sanctissimi Nominis Iesu (2 ian.)
Ps 112, 3

Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum
in univérsa terra.
℣ A solis ortu usque ad occásum
laudáte nomen Dómini
in univérsa terra.

In commemoratione omnium fidelium defunctorum (2 nov.): ad I missam
Missa pro episcopo defuncto
Missa pro defuncto sacerdote
Missa in die obitus, seu depositionis unius defuncti

Dómine Iesu Christe, rex glóriæ,
líbera ánimas
ómnium fidélium defunctórum
de pænis inférni
et de profúndo laci;
líbera eas de ore leónis,
ne absórbeat eas tártarus,
ne cadant in obscúrum,
sed sígnifer sanctus Míchael
repræséntet eas in lucem sanctam,
quam olim Abrahæ promisísti
et sémini eius.
℣ Hóstias et preces
tibi, Dómine, laudis offérimus:
tu súscipe pro animábus istis,
quarum hódie memóriam fácimus;
fac eas, Dómine,
de morte transíre ad vitam ætérnam,
quam olim Abrahæ promisísti
et sémini eius.

Dominica III post Epiphaniam
In Ascensione Domini
Dominica X post Pentecosten
Ps 92, 1-2

Dóminus regnávit, decórem índuit;
índuit Dóminus fortitúdinem,
et præcínxit se virtútem.
Ex tunc a sǽculo tu es.

In festo S. Andreæ apostoli (30 nov.)
Cf. Matth 4, 18-19; Ps 60, 2

Dum perambuláret Dóminus
supra mare secus litus Galilǽæ,
vidit Petrum et Andréam
rétia mitténtes in mare.
Vocávit eos, dicens:
Veníte post me,
fáciam vos piscatóres hóminum.
℣ Exáudi, Deus, deprecatiónem meam,
inténde oratióni meæ.
A fínibus terræ
vocávit eos,
dicens: Veníte post me,
fáciam vos piscatóres hóminum.

In Nativitate Domini
In aurora
Ad missam de octava (in festo S. Eugenii pont., conf.)
Cf Lc 2, 10-11. 13-14

Ecce annúncio vobis
gáudium magnum,
quod erit omni pópulo:
quia natus est hódie Salvátor mundi.
Allelúia.
℣ Facta est multitúdo angelórum
laudántium Deum,
et dicéntium:
Glória in altíssimis Deo,
et in terra pax,
quia natus est hódie Salvátor mundi.
Allelúia.

In Nativitate Domini
In die
In festo S. Stephani protomart. (26 dec.)
Cf. Ap 13, 5; 21, 1-3. 22; 4, 8; 5, 5

Ecce apértum est
templum tabernáculi testimónii,
et Ierúsalem nova descéndit de cælo,
in qua est sedes Dei et Agni,
et servi eius ófferunt ei múnera,
dicéntes:
Sanctus, sanctus,
sanctus Dóminus Deus omnípotens,
qui erat, et qui est,
et qui ventúrus est.
℣ Et ecce sedet in médio eius
super thronum maiestátis suæ Agnus:
et vox sonat ante eum, dicens:
Vicit Leo de tribu Iuda, Radix David.
Et quátuor animália
réquiem non habent,
dicéntia sedénti super thronum:
Sanctus, sanctus,
sanctus Dóminus Deus omnípotens,
qui erat, et qui est,
et qui ventúrus est.

Dominica VI Adventus
Missa in ecclesia hyemali
In missa ad Sanctam Mariam
Cf. Ioel 3, 16. 18

Ecce Dóminus de Sion véniet,
et de Ierúsalem dabit vocem suam,
et exsultábunt ante illum cæli, et terra.

Et in illa die
stillábunt montes dulcédinem,
et omnes colles fluent lac et mel.
℣ Et fons de domo Dómini egrediétur,
et irrigábit torréntem spinárum.
Et in illa die
stillábunt montes dulcédinem,
et omnes colles fluent lac et mel.

Feria V in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali
et missa de octava in omni ecclesia
Esth 14, 5; 9, 28

Ego audívi a patre meo,
quia tu, Dómine, assumpsísti Israel
ex ómnibus géntibus,
et patres nostros
ex omni progénie eórum
in hæreditátem ætérnam,
et fecísti eis quæcúmque locútus es.
Et per síngulas generatiónes
cunctæ in toto orbe provínciæ
celebrábunt.
Allelúia, allelúia.

Dominica II post Epiphaniam
Dominica II post Pentecosten
Dominica XIV post Pentecosten
Dominica I post Dedicationem
Ps 29, 7-8. 3

Ego autem dixi in mea abundántia:
Non movébor in ætérnum.
Dómine, in voluntáte tua
præstitísti decóri meo virtútem.
Dómine, clamávi ad te et sanásti me.

Missa in Dominica Palmarum
Ps 142, 9. 10. 5. 7

Eripe me, Dómine, de inimícis meis;
doce me fácere voluntátem tuam,
quia tu es Deus meus.
℣ In factis
mánuum tuárum meditábor,
velóciter exáudi me,
quia tu es Deus meus.

In die sancto Pentecostes
Missa de sollemnitate Pentecostes
Cf. Lev 23, 41; 16, 29; Ex 14, 13-14

Erit hic vobis dies memoriális,
allelúia,
et diem festum celebrábitis
sollémnem Dómino,
in progénies vestras
legítimum
sempitérnum diem.
Allelúia, allelúia.
℣ Allelúia.
Dixit Móyses ad pópulum:
Bono ánimo estóte,
advéniet vobis salus a Dómino Deo,
et pugnábit pro vobis.
In progénies vestras
legítimum
sempitérnum diem.
Allelúia, allelúia.

Dominica I post Pentecosten
Dominica XIII post Pentecosten
Ps 29, 2-3

Exaltábo te, Dómine,
quóniam suscepísti me,
nec delectásti inimícos meos super me.
Dómine, clamávi ad te,
et sanásti me.

Dominica V post Epiphaniam
Dominica IV post Pascha
Dominica III post Pentecosten
Dominica XV post Pentecosten
Ps 16, 1. 7

Exáudi, Dómine, iustítiam meam,
inténde deprecatiónem meam.
Mirífica misericórdias tuas,
qui salvos facis
sperántes in te, Dómine.

In festo S. Laurentii martyris (10 aug.)
Cf. Iob 16, 20; 23, 10-11; 29, 12-13

Exaudíta est orátio mea, Dómine,
et ídeo peto,
ut detur locus voci meæ in cælo,
quia ibi est iudex meus,
et cónscius meus in excélso.
Ascéndat ad Dóminum
deprecátio mea.
℣ I. Probávit me Dóminus
sicut aurum.
Vias eius custodívi,
et a præcéptis eius non discéssi.
Ascéndat ad Dóminum
deprecátio mea.

℣ II. Liberávi páuperem
de manu poténtis,
et órphanum, qui sine adiutório fuit,
ego eram illi auxiliátor.
Os autem víduæ benedíxit me semper.
Ascéndat ad Dóminum
deprecátio mea.

In vigilia Ss. apostolorum Simonis et Iudæ (27 oct.)

Ps 149, 5-6

Exsultábunt sancti in glória;
lætabúntur in cubílibus suis.
Exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

In festo S. Annæ matris B.M.V. (26 iulii)
Comm. Sanctorum: in natali unius matronæ

Prov 31, 30-31

Fallax grátia,
et vana est pulchritúdo:
múlier timens Dóminum,
ipsa laudábitur.
℣ Date ei de fructu mánuum suárum,
et laudent eam in portis ópera eius.
Múlier timens Dóminum,
ipsa laudábitur.

Missæ feriales ac votivæ, feria quinta: Ad postulandam caritatem

Fratres, sit nobis cor unum in Deo,
et ánima una.
Auctor pacis, Rex ætérne,
ab omni malo tu nos defénde.

Ss. Babylæ et trium parvulorum (24 ian.)
Ss. Vitalis et Valeriæ mart. (28 aprilis)
In festo Ss. apostolorum Philippi et Iacobi (1 maii)
Ss. Sisinii, Martyrii et Alexandri martyrum (29 maii)
In vigilia Ss. Protasii et Gervasii martyrum (18 iunii)
Ss. Ioannis et Pauli martyrum (26 iunii)
In vigilia Ss. apostolorum Petri et Pauli (28 iunii)
In vigilia Ss. Nazarii et Celsi martyrum (27 iulii)
In festo Ss. Nazarii et Celsi martyrum (28 iulii)
Ss. Cornelii et Cypriani mart. et pontif. (19 sept.)
Ss. Mauritii et sociorum martyrum (22 sept.)
Ss. Cosmæ et Damiani martyrum (22 oct.)
In festo Ss. apostolorum Simonis et Iudæ (28 oct.)
In vigilia omnium Sanctorum (31 oct.)
Ss. Vitalis et Agricolæ martyrum (6 nov.)
Comm. Sanctorum: in natali plurium martyrum

Ps 5, 12-13

Gloriabúntur in te omnes,
qui díligunt nomen tuum,
quóniam tu, Dómine, benedíces iustos.
Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ
coronásti nos.

In sollemnitate Transfigurationis D.N. Iesu Christi (6 aug.)

Ps 111, 3

Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius
manet in sǽculum sǽculi.
Allelúia.

Feriæ hebdom. V in Quadragesima

Cf. Lev 23

Hæc dicit Dóminus:
Erit vobis sábbatum venerábile,
et vocábitur sanctum;
et offerétis ad vésperum
holocaustómata vestra.
Quia in die illa propitiábitur vobis
Salvátor vester.
℣ Locútus est Móyses fíliis Israel,
dicens:
Quartodécimo die ad vésperum
Pascha Dómini est,
et in quintodécimo
solemnitátem celebrábitis
altíssimo Deo.
Quia in die illa propitiábitur vobis
Salvátor vester.

Dominica V in Quadragesima
De Lazaro

Cf. Lev 23

Hæc dicit Dóminus:
Erit vobis sábbatum venerábile,
et vocábitur sanctum;
et offerétis ad vésperum
holocaustómata vestra.
Quia in die illa propitiábitur vobis
Salvátor vester.

℣ I. Locútus est Móyses fíliis Israel, dicens:
Quartodécimo die ad vésperum
Pascha Dómini est,
et in quintodécimo
solemnitátem celebrábitis
altíssimo Deo.
Quia in die illa propitiábitur vobis
Salvátor vester.
℣ II. In die octávo ventúro
súmite vobis ramos palmárum,
et secúndum legem,
quam præcépi vobis,
solemnitátem celebrábitis
altíssimo Deo.
Quia in die illa propitiábitur vobis
Salvátor vester.

Sabbato in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali
et missa de octava in omni ecclesia
Cf. Ex 13, 6. 5

In die sollemnitátis vestræ,
dicit Dóminus,
indúcam vos
in terram fluéntem lac et mel.
Allelúia.

S. Gabrielis archangeli (5 dec.)
Cf. Luc 1, 10-11

Ingrésso Zacharía templum Dómini,
appáruit ei Gábriel angelus,
stans a dextris altáris incénsi.

In festo Ss. Rosarii B.M.V. (feria II post dominicam I octobris)
Eccli 24, 25; 39, 17

In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis;
ego quasi rosa plantáta,
super rivos aquárum fructificávi.

Missæ feriales ac votivæ, feria sexta:
De Passione Domini et Quinque Plagis

Insurrexérunt in me viri iníqui,
absque misericórdia
quæsiérunt me interfícere,
et non pepercérunt
in fáciem meam spúere;
lánceis suis vulneravérunt me,
et concússa sunt ómnia ossa mea.

In festo Omnium Sanctorum (1 nov.)
Apoc 7, 9-10

Interrogávi ángelum, dicens:
Quis est iste,
qui sanctis dedit corónam?
et dixit mihi:
Fílius Dei est,
quem conféssi sunt in sǽcula.
℣ In cospéctu Agni
stetérunt ante thronum,
et palmæ in mánibus eórum.
Clamábant voce magna, dicéntes:
Fílius Dei est,
quem conféssi sunt in sǽcula.

Dominica VI post Pentecosten
Dominica III post Decollationem
Ps 30, 15-16

In te sperávi, Dómine;
dixi: Deus meus tu es:
in mánibus tuis témpora mea.

In festo ordinationis S. Ambrosii episc., conf., doct. et patroni (7 dec.)
Ps 88, 21-22

Invéni David servum meum,
et in óleo unxi eum,
Manus enim mea auxiliábitur ei,
et bráchium meum
confortábit eum.

S. Antonini martyris (13 nov.)
S. Romani martyris (18 nov.)
S. Sebastiani martyris (20 ian.)
S. Vincentii lev. et mart. (22 ian.)
In festo S. Matthiæ apostoli (7 febr.)
S. Georgii martyris (24 aprilis)
In festo S. Marci evangelistæ (25 aprilis)
In translatione S. Nazarii mart. (10 maii)
In festo S. Barnabæ apostoli (11 iunii)
S. Viti martyris (15 iunii)
S. Iuliani martyris (22 iunii)
In vigilia S. Ioannis Baptistæ (23 iunii)
In festo S. Thomæ apostoli (3 iulii)
In festo S. Iacobi apostoli (25 iulii)
In vigilia S. Laurentii martyris (9 aug.)
S. Hippolyti martyris (13 aug.)
In festo S. Bartholomæi apostoli (24 aug.)
S. Genesii martyris (25 aug.)
S. Alexandri martyris (26 aug.)
In festo S. Matthæi apost. et evang. (21 sept.)
In festo S. Lucæ evang. (18 oct.)
Comm. Sanctorum: in vigilia unius martyris

Comm. Sanctorum: in natali unius martyris

Ps 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine,
lætábitur iustus,
et super salutáre tuum
exultábit veheménter.
Desidérium ánimæ eius
tribuísti ei, Dómine.

In festo S. Ioseph, sponsi B.M.V. et Eccl. Cath. Patroni (19 martii)

Matth 2, 14-15

Ioseph consúrgens,
accépit púerum
et Maríam matrem eius nocte,
et secéssit in Ægýptum,
et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Feria IV in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali et missa de octava in omni ecclesia

Esth 9, 28

Isti sunt dies,
quos nulla umquam delébit oblívio,
et per síngulas generatiónes
cunctæ in toto orbe provínciæ
celebrábunt,
Allelúia, allelúia.

Dominica in Sexagesima
Dominica II post Pascha

Ps 65, 1-2. 16

Iubiláte Dómino Deo univérsa terra,
psalmum dícite nómini eius.
Veníte et audíte, et enarrábo vobis,
omnes qui timétis Deum,
quanta fecit Dóminus ánimæ meæ.

Dominica in Quinquagesima

Ps 50, 17

Lábia mea apéries, Dómine,
et os meum annunciábit laudem tuam.

Sabbato in traditione Symboli
Missæ feriales ac votivæ, feria quarta
Ad postulandam sapientiam

Ps 18, 8

Lex Dómini irreprehensíbilis,
convértens ánimas;
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis.

In commemoratione omnium fidelium defunctorum (2 nov.): ad II et ad III missam
Missa in anniversario unius defuncti
Missa in anniversario plurium defunctorum
Missa quotidiana pro pluribus defunctis

Ps 56, 2

Líbera me, Dómine Deus,
in die illa treménda iudícii,
quando ángeli ófferent tibi
chirógrapha peccatórum hóminum.
℣ Miserére mei, Deus, miserére mei,
quóniam in te confídit ánima mea,
quando ángeli ófferent tibi
chirógrapha peccatórum hóminum.

S. Agathæ virg. et mart. (5 febr.)

Lux dum exuberásset in cárcere,
beáta Agatha apériens os suum, dixit:
Grátias tibi, Deus,
Pater cæli et terræ,
qui misísti apóstolum tuum.
Et consolátus est me,
et curávit
ómnia membra mea Dóminus.

Ss. Cyrilli et Methodii episc. et conf. (6 iulii)

Ps 67, 36

Mirábilis Deus in sanctis suis,
Deus Israel ipse dabit virtútem,
et fortitúdinem plebi suæ;
benedíctus Deus.

Missæ feriales ac votivæ, feria secunda: Pro pænitentia et remissione peccatorum

Sap. 11, 24-25

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum, quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum
propter pæniténtiam,
et parcens illis,
quia tu es Dóminus Deus noster.

In festo septem Dolorum B.M.V. (15 sept.)

Baruch 4, 12. 20; Ps 12, 2

Nemo gáudeat super me desolátam:
ego enim derelícta sum sola.
Et clamábo ad Altíssimum
in diébus meis.

℣ Quámdiu ponam consílium
in ánima mea,
dolórem in corde meo per diem?
Et clamábo ad Altíssimum
in diébus meis.

S. Iustini martyris (14 aprilis)
1 Cor 2, 2

Non enim iudicávi
me scire áliquid inter vos
nisi Iesum Christum,
et hunc crucifíxum.
Allelúia.

In sollemnitate inventionis S. Crucis (3 maii)
In sollemnitate exaltationis S. Crucis (14 sept.)
Missæ feriales ac votivæ, feria sexta: De Cruce

Nos autem gloriári opórtet
in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
in quo est salus,
vita et resurréctio nostra,
per quem salváti et liberáti sumus.
Allelúia, allelúia.

Commune in anniversario dedicationis Ecclesiæ
Cf. 2 Mach 2, 9

Obtulit sacérdos
sacrifícium dedicatiónis
et consummatiónis templi Dómini;
sicut Móyses orávit ad Dóminum.

S. Marthæ virginis (29 iulii)
Cf. Ioan 11, 21

Occurrérunt María et Martha
ad Iesum, dicéntes:
Dómine, Dómine, si fuísses hic,
Lázarus non esset mórtuus.
Respóndit Iesus:
Martha, si credíderis,
vidébis glóriam Dei.

Comm. Sanctorum: in natalis unius doctoris pontificis
Sap 7, 7-8

Optávi, et datus est mihi sensus,
et invocávi,
et venit in me spíritus sapiéntiæ;
et præpósui illam regnis et sédibus,
et divítias nihil esse duxi
in comparatióne illíus.

Dominica III octobris
Cf. Ex 33, 12. 13. 20-22

Orávit Móyses ad Dóminum,
et dixit:
Si invéni grátiam in conspéctu tuo,
osténde mihi te ipsum maniféste,
ut vídeam te.
Et locútus est ad eum Dóminus,
dicens:
Non póteris vidére fáciem meam;
non enim vidébit me homo,
et vívere potest.
Sed esto super altitúdinem lápidis,
et prótegat te déxtera mea,
donec pertránseam.
℣ Dum pertransíero,
áuferam manum meam
et tunc vidébis glóriam meam.
Fácies autem mea non vidébitur tibi,
quia ego sum Deus,
osténdens mirabília in terra.
Tunc Móyses
fecit sacrifícium matutínum
in odórem suavitátis Dómino Deo
in conspéctu filiórum Israel.

Missa votiva pro pace

Orémus Dóminum, ut cónterat bella,
et donet pacem in univérsa terra.

In Epiphania Domini et infra octavam
Ps 71, 7-8

Oriétur in diébus eius iustítia
et abundántia pacis,
donec extollátur luna.
℣ Et dominábitur a mari
usque ad mare,
et a flúmine usque ad términos terræ,
et abundántia pacis,
donec extollátur luna.

Dominica IV post Pentecosten
Dominica I post Decollationem
Ps 16, 5-7

Pérfice gressus meos in sémitis tuis,
ut non moveántur vestígia mea.
Inclína aurem tuam,
et exáudi verba mea.

Miríﬁca misericórdias tuas,
qui salvos facis
sperántes in te, Dómine.

Immaculatæ Conceptionis B.M.V. (8 dec.)
Cf. Rom 5, 12; Luc 1, 30

Per unum hóminem
peccátum in hunc mundum intrávit,
in quo omnes peccavérunt.
Ne tímeas, María,
invenísti grátiam apud Deum.
Nihil inquinátum in te incúrrit:
vestiméntum tuum cándidum
quasi nix,
et fácies tua sicut sol.
℣ Erípuit Dóminus ánimam tuam
de morte,
et contra inimícum
factus est protéctor tuus.
Ne tímeas, María,
invenísti grátiam apud Deum.
Nihil inquinátum in te incúrrit:
vestiméntum tuum cándidum
quasi nix,
et fácies tua sicut sol.

Dominica in Septuagesima
Dominica VII post Pentecosten
Dominica I octobris
Dominica II post Dedicationem
Ps 118, 57-58. 32

Pórtio mea, Dómine,
dixi custodíre legem tuam.
Deprecátus sum
fáciem tuam, Dómine,
de toto corde meo,
dum dilatáres cor meum.

In festo D.N. Iesu Christi Regis
Ps 2, 8

Póstula a me,
et dabo tibi gentes hæreditátem tuam,
et possessiónem tuam términos terræ.

Dominica I post Pascha, in albis depositis
Cf. 2 Par 35, 10. 11

Præparátum est ministérium Dómini,
et celebravérunt Pascha fílii Israel;
et offerébant holocáusta Dómini
super altáre.
Allelúia, allelúia.

Dominica II in Quadragesima
De Samaritana
Cf. Ex 32, 11. 12. 13. 14

Precátus est Móyses
in conspéctu Dómini Dei sui,
et dixit: Quare, Dómine, irásceris
in pópulo tuo?
Parce iræ ánimi tui.
Meménto Abraham, Isaac, et Iacob,
quibus iurásti dare terram
fluéntem lac et mel.
℣ Et placátus factus est Dóminus
de malignitáte,
quam dixit fácere pópulo suo.

In festo S. Ioannis Baptistæ (24 Iunii)
Ierem 1, 5

Priúsquam formárem te in útero,
novi te;
et ántequam exíres de ventre,
sanctificávi te,
et prophétam in géntibus pósui te.

Dominica I Adventus
Cf. Ps 88, 2-3

Pronunciábo veritátem tuam, Dómine,
in ore meo,
quóniam dixísti:
In ætérnum misericórdia ædificábitur.

In conversione S. Pauli apostoli
(25 ian.)
Cf. Gal 2, 8-9

Qui operátus est Petro
in apostolátum,
operátus est et mihi inter gentes.
Et cognovérunt grátiam Dei,
quæ data est mihi.
℣ Missus sum apóstolus a Dómino
prædicáre homínibus viam salútis.
Et cognovérunt grátiam Dei,
quæ data est mihi.

Ss. Faustini et Iovitæ martyrum (4 ian.)
In festo Ss. Protasii et Gervasii martyrum
(19 iunii)
Ss. Naboris et Felicis martyrum (12 iulii)
Ss. Mammetis et Agapiti martyrum
(18 aug.)
Comm. Sanctorum: plurium martyrum
Ps 5, 4. 13

Quóniam ad te orábo, Dómine, mane,
et exáudies vocem meam.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Feria VI in Albis:
Missa pro baptizatis in ecclesia hyemali et missa de octava in omni ecclesia
Ps 77, 65

Resurréxit
tamquam dórmiens Dóminus,
tamquam potens crapulátus a vino.
Allelúia.

In festo Corporis Christi
Cf. Lev 21, 6; Ioan 6, 58

Sacerdótes Dómini
incénsum et panem ófferunt Deo.
Ideo sancti erunt Deo suo,
et non pólluent nomen eius.
Allelúia.
℣ Sicut vivens misit me Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui mandúcat me,
et ipse vivet propter me.
Allelúia, allelúia.

Dominica I in Quadragesima
Ps 90, 4-5. 13-14. 5

Scápulis suis
obumbrábit tibi Dóminus,
et sub pennis eius sperábis.
Scuto circúmdabit te véritas eius.
℣ Super áspidem et basilíscum
ambulábis,
et conculcábis leónem et dracónem.
Quóniam in me sperávit,
liberábo eum.
Scuto circúmdabit te véritas eius.

Dominica VI post Epiphaniam
Dominica IX post Pentecosten
Dominica V post Decollationem
Dominica II octobris
Dominica III post Dedicationem
In dedicatione ecclesiæ S. Michaelis archangeli (29 sept.)
Ps 136, 5-6

Si oblítus fúero tui, Ierúsalem,
obliviscátur me déxtera mea.
Adhǽreat lingua mea fáucibus meis,
si tui non memínero, Ierúsalem.

Dominica II Adventus
Cf. Ps 9, 11-12

Sperent in te omnes,
qui novérunt nomen tuum, Dómine,
quóniam non derelínques
quæréntes te.
Psállite Dómino, qui hábitat in Sion,
quóniam non est oblítus
oratiónes páuperum.

In Nativitate Domini
In nocte sancta
Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me,
propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me,
sanáre contrítos corde.

Ss. Innocentium martyrum (28 dec.)

Splendet Ægýpti campus
de candidáta turba infántum:
pretiósa córpora pro Christo occísa
iacébant ab Heróde.

S. Ioannis ap. et evang. (27 dec.)
Cf. Ap 8, 3-4; 5, 1-5

Stetit ángelus super aram Dei,
habens thuríbulum áureum,
et datæ sunt ei supplicatiónes multæ,
ut daret de oratiónibus sanctórum
ad altáre Dei,
quod est ante thronum.
Et ascéndit fumus supplicatiónum
de manu ángeli
in conspéctu Dei.
Allelúia, allelúia, allelúia.
℣ Vidi librum in déxtera Dei
sedéntis super thronum,
scriptum intus et foris,
signátum signis septem.
Et audívi ángelum fortem,
prædicántem voce magna:
Quis dignus est aperíre librum,
et sólvere signa eius?
Nec quisquam póterat,
neque in cælo, neque in terra,
neque sub terra,
aperíre librum, aut prospícere illum.
Et ego flebam multum,
quod nemo dignus invéntus esset
aperíre líbrum,
aut prospícere illum.
Dicit ad me unus de senióribus:
Ne fléveris,
ecce vicit Leo de tribu Iuda,

Radix David,
aperíre librum
et sólvere signa eius
in conspéctu Dei.
Allelúia, allelúia, allelúia.

Dominica III post Pascha
Dominica VIII post Pentecosten
Dominica IV post Decollationem
Ps 136, 1

Super flúmina Babylónis,
illic sédimus et flévimus,
dum recordarémur tui, Sion.
Allelúia.

In festo annunciationis B.M.V. Sollemnitas Domini (25 martii)
Missa votiva de annunciatione sanctæ virginis Mariæ
Cf. Lc 2, 26-42

Súscipe verbum, virgo María,
quod tibi per ángelum
a Dómino transmíssum est;
cóncipe per aurem,
Deum páries et hóminem,
ut bénedícta dicáris
inter omnes mulíeres.
℣ Spíritus sanctus in te descéndit,
María:
ne tímeas, habes in útero Fílium Dei,
ut benedícta dicáris
inter omnes mulíeres.

In Natali Cathedræ S. Petri Romæ (18 ian.)
In festo Ss. apostolorum Petri et Pauli (29 iunii)
Cf. Matth 16, 18-19

Tu es Petrus,
et super hanc petram
ædificábo Ecclésiam meam,
et portæ ínferi non prævalébunt
advérsus eam.
Et tibi dabo claves regni cælórum.
℣ Quæcúmque ligáveris super terram,
erunt ligáta et in cælis;
et quæcúmque sólveris super terram,
erunt solúta et in cælis.
Et tibi dabo claves regni cælórum.

In Dominica I post Pentecosten
Missa de Sanctissima Trinitate
Missa votiva de Sanctissima Trinitate
Cf. Ioan 14, 6

Tu es via, tu es véritas,
tu es vita mundi, Dómine.

S. Mariæ Magdalenæ (22 iulii)
Ioan 20, 2

Tulérunt Dóminum meum,
et néscio ubi posuérunt eum.
Noli flere, Maria:
resurréxit Dóminus.
Allelúia, allelúia.
℣ Venit María plorans
vidére sepúlcrum;
dicit ei ángelus:
Noli flere, María:
resurréxit Dóminus.
Allelúia, allelúia.

In festo S. Familiæ I.M.I.
Luc 2, 22

Tulérunt Iesum paréntes eius
in Ierúsalem,
ut sísterent eum Dómino.

In circumcisione et oct. Nativitatis (1 ian.)
Deut 32, 37-38

Ubi sunt nunc dii eórum,
in quibus confidebátis in eis,
quorum ádipem sacrificiórum edebátis
et bibebátis vinum libatiónum eórum?
Surgant nunc et ádiuvent vos,
et fiant vobis protectóres.

In vigilia ordinationis S. Ambrosii episc., conf. et patroni (6 dec.)
S. Dionysii episc. et conf. (25 maii)
Ss. Machabæorum mart. et S. Eusebii episc. et conf. (1 aug.)
S. Ægidii abbatis sac. et conf. (1 sept.)
In festo S. Ioachimi conf. et patris B.M.V. (9 sept.)
S. Satyri conf. (17 sept.)
S. Francisci conf. (4 oct.)
S. Monæ episc. et conf. (12 oct.)
In vigilia S. Martini episc. et conf. (10 nov.)
Comm. Sanctorum: in natali unius conf. et pont.
Comm. Sanctorum: in natali unius item conf. et pont.
Comm. Sanctorum: in natali unius conf. sacerd.
Comm. Sanctorum: in natali unius conf. vel abbatis
Ps 88, 25

Véritas mea
et misericórdia mea cum ipso,

et in nómine meo
exaltábitur cornu eius.

S. Philippi Nerii sacerd. et conf. (26 maii)
Ps 118, 32

Viam mandatórum tuórum cucúrri,
cum dilatáres cor meum, Dómine.
Allelúia.

De octava nativitatis Domini
S. Silvestri papæ (31 dec.)
In festo Christophoriæ
Ps 97, 3-4. 2

Vidérunt omnes fines terræ
salutáre Dei nostri:
iubiláte Deo, omnis terra.
℣ Notum fecit Dóminus salutáre suum,
ante conspéctum géntium
revelávit iustítiam suam.

Præsentationis B.M.V. (21 nov.)
In festo Assumptionis B.M.V. (15 aug.)
In festo Nativitatis B.M.V. (8 sept.)
Cf. Cant 3, 6; 2, 1; Eccli 50, 8

Vidi speciósam sicut colúmbam,
ascendéntem désuper rivos aquárum,
cuius inæstimábilis odor
erat magnus in vestiméntis eius.
Et sicut dies verni circúmdabant eam
flores rosárum et lília convállium.
℣ Ascendébat per desértum
sicut vírgula fumi
ex aromátibus myrrhæ et thuris.
Et sicut dies verni circúmdabant eam
flores rosárum et lília convállium.

Dominica II post Nativitatem Domini
Sollemnitas Purificationis B.M.V.
(2 febr.)
Ps 67, 25-26. 16-17

Visi sunt gressus tui, Dómine,
gressus Dei mei regis,
qui est in sancto.
Prævenérunt príncipes
coniúncti psalléntibus.
℣ Montem Dei, montem úberem,
mons caseátus, mons uber.
Ut quid suspicámini,
montes, montem,
in quo beneplácuit Deo habitáre in eo?
Prævenérunt príncipes
coniúncti psalléntibus.

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM

Abundii et Felicis, episcoporum (31 aug.) 718
Achillei et Nerei, martyrum (12 maii) 632
Agathæ, virginis et martyris (5 febr.) 598
Agnetis, virginis et martyris (21 ian.) 580
Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris (15 nov.) 779
Alexandri, martyris (26 aug.) 713
Alexandri Sauli, episcopi (11 oct.) 752
Alexandri, Sisinii, Martyrii martyrum, et Vigilii episcopi (29 maii) . 640
Alfonsi Mariæ de' Liguori, episcopi et Ecclesiæ doctoris (1 aug.) . . 692
Aloisii Gonzaga, religiosi (21 iun.) 652
Aloisii Guanella, presbyteri (24 oct.) 762
Aloisii Orione, presbyteri (26 oct.) 762
Ambrosii, episcopi et Ecclesiæ doctoris (7 dec.) 790
– Vigilia 788
Anatalonis et omnium Ss. Mediolanensium Episcoporum (25 sept.) . 736
Andreæ, apostoli (30 nov.) 784
Angelæ Merici, virginis (27 ian.) 587
Angelorum Custodum (2 oct.) 746
Annæ et Ioachim, parentum B. Mariæ Virg. (26 iul.) 684
Anselmi de Luca, episcopi (8 oct.) 752
Anselmi, episcopi et Ecclesiæ doctoris (21 apr.) 618
Ansgarii, episcopi (3 febr.) 598
Antonii, abbatis (17 ian.) 757
Antonii de Padova, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (13 iun.) . . . 649
Antonii Mariæ Claret, episcopi (24 oct.) 762
Antonii Mariæ Zaccaria, presbyteri (5 iul.) 671
Arialdi, diaconi et martyris (27 iun.) 659
Athanasii, episcopi et Ecclesiæ doctoris (2 maii) 628
Augustini Cantuariensis, episcopi (27 maii) 639
Augustini, episcopi et Ecclesiæ doctoris (28 aug.) 714

Babilæ episcopi et Trium Puerorum, martyrum (23 ian.) 582
Barnabæ, apostoli (11 iun.) 648
Bartholomæi, apostoli (24 aug.) 711
Bartholomeæ Capitanio et Vincentiæ Gerosa, virginum (18 maii) . . 635
Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum (2 ian.) 574

Bassiani, episcopi (19 ian.) 577
Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (23 maii). 635
Benedicti, abbatis (11 iul.) 672
Bernardi, abbatis et Ecclesiæ doctoris (20 aug.) 707
Bernardini Senensis, presbyteri (20 maii) 635
Birgittæ, religiosæ (23 iul.) 682
Blasii, episcopi et martyris (3 febr.) 598
Bonaventuræ, episcopi et Ecclesiæ doctoris (15 iul.) 677
Bonifatii, episcopi et martyris (5 iun.) 647
Brunonis, presbyteri (6 oct.) 750

Cæciliæ, virginis et martyris (22 nov.) 782
Caietani, presbyteri (7 aug.). 696
Callisti I, papæ et martyris (14 oct.) 753
Camilli de Lellis, presbyteri (14 iul.) 676
Caroli Borromeo, episcopi (4 nov.) 773
Caroli Lwanga et sociorum, martyrum (3 iun.). 646
Casimiri (10 oct.) 752
Catharinæ et Iulianæ, virginum (27 apr.) 621
Catharinæ Senensis, virginis et Ecclesiæ doctoris (29 apr.) 623
Celsi et Nazarii, martyrum (28 iul.) 686
Claræ, virginis (11 aug.) 699
Clementis I, papæ et martyris (23 nov.). 782
Columbani, abbatis (23 nov.) 782
Commemorationis omnium fidelium defunctorum (2 nov.) 767
Contardi Ferrini (16 oct.) 755
Cornelii, papæ, et Cypriani, episcopi (16 sept.). 729
Cosmæ et Damiani, martyrum (26 sept.). 737
Crucis sanctæ exaltationis (14 sept.) 725
Cypriani, episcopi, et Cornelii, papæ (16 sept.). 729
Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiæ doctoris (26 iun.) 659
Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiæ doctoris (9 apr.) . . . 615
Cyrilli, monachi et Methodii, episcopi (14 febr.) 601

Damasi I, papæ (11 dec.) 794
Damiani et Cosmæ, martyrum (26 sept.). 737
Dedicationis basilicæ lateranensis (9 nov.) 775
–– S. Mariæ (5 aug.) 694
–– S. Pauli, apostoli (18 nov.) 780
–– S. Petri, apostoli (18 nov.) 780
– ecclesiæ maioris (dom. III oct.). 397
Defunctorum fidelium omnium commemoratio (2 nov.) 767
Dionysii, episcopi (25 maii). 636
Dionysii episcopi et sociorum, martyrum (9 oct.) 752
Dominici, presbyteri (8 aug.) 696

Elisabeth Hungariæ (17 nov.) 780
Elisabeth Lusitaniæ (4 iul.) 671
Ephræm, diaconi et Ecclesiæ doctoris (9 iun.) 647
Eusebii Vercellensis, episcopi (2 aug.) 693
Eustorgii I, episcopi (18 sept.) 731

Fabiani, papæ et martyris, (18 ian.) 577
Felicis et Abundii, episcoporum (31 aug.) 718
Felicis et Naboris, martyrum (12 iul.) 674
Felicitatis et Perpetuæ, martyrum (7 febr.) 599
Fidelis de Sigmaringen, presbyteri et martyris (24 apr.) 618
Franciscæ Cabrini, virginis (13 nov.) 779
Franciscæ Romanæ, religiosæ (8 apr.) 615
Francisci Assisiensis (4 oct.) 748
Francisci de Paola, eremitæ (2 apr.) 612
Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiæ doctoris (24 ian.) 582
Francisci Xavier, presbyteri (3 dec.) 786

Gabrielis, Michaelis et Raphaelis, archangelorum (29 sept.) 740
Galdini, episcopi (18 apr.) 616
Georgii, martyris (23 apr.) 618
Gerardi de Monza (6 iun.) 647
Gertrudis, virginis (16 nov.) 780
Gervasii et Protasii, martyrum (19 iun.) 650
Gregorii Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris (3 sept.) 719
Gregorii Nazianzeni et Basilii Magni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum (2 ian.) 574
Gregorii VII, papæ (24 maii) 636

Hedvigis, religiosæ (12 oct.) 752
Henrici (13 iul.) 676
Hieronymi Emiliani (8 febr.) 600
Hieronymi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (30 sept.). 742
Hilarii, episcopi et Ecclesiæ doctoris (13 ian.) 575
Hippolyti presbyteri et Pontiani papæ, martyrum (13 aug.). . . . 699
Homoboni (13 nov.) 779
Honorati de Vercelli, episcopi (29 oct.) 764

Iacobi, apostoli (25 iul.) 682
Iacobi et Philippi, apostolorum (3 maii) 629
Ianuarii, episcopi et martyris (19 sept.) 733
Iesu Christi Domini Nostri:
– Annuntiatio (25 mart.) 610
– Ascensio 356
–– Vigilia 354
– Baptisma (dom. post Epiph.) 121
– Corpus et Sanguis (fer. V post Trinit.) 392
– Cor sacratissimum (fer. VI post dom. II post Pentec.) 395
– Dedicatio ecclesiæ maioris (dom. III oct.) 397
– Epiphania. 118
–– Vigilia 116
– Exaltatio sanctæ Crucis (14 sept.) 725
– Familia (dom. IV ian.) 388
– Nativitas (25 dec.) 92
–– Vigilia (24 dec.) 90
–– Octava (1 ian.) 112

Iesu Christi Domini Nostri:
– Præsentatio (2 febr.) 591
– Resurrectio 261
–– Vigilia paschalis 242
– Regis universorum (dom. ultima « per annum ») 400
– Transfiguratio (6 aug.). 694
Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris (17 oct.) 757
Ignatii de Loyola, presbyteri (31 iul.) 690
Innocentium, martyrum (28 dec.) 102
Ioachim et Annæ, parentum B. Mariæ Virg. (26 iul.) 684
Ioannæ Franciscæ de Chantal, religiosæ (12 dec.) 795
Ioannis a cruce, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (14 dec.) 796
Ioannis a Deo, religiosi (28 nov.) 783
Ioannis, apostoli et evangelistæ (27 dec.) 100
Ioannis Baptistæ de la Salle, presbyteri (7 apr.) 615
Ioannis Baptistæ Nativitas (24 iun.) 657
– Vigilia 655
– Passio (29 aug.). 716
Ioannis Bosco, presbyteri (31 ian.) 590
Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiæ doctoris (13 sept.) . . . 724
Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (4 dec.). . . . 787
Ioannis de Brébeuf et Isaac Jogues presbyterorum et sociorum, martyrum (19 oct.). 762
Ioannis de Capestrano, presbyteri (23 oct.) 762
Ioannis de Kęty, presbyteri (16 dec.). 798
Ioannis Eudes, presbyteri (19 aug.) 706
Ioannis Fisher episcopi et Thomæ More, martyrum (22 iun.) . . . 654
Ioannis Leonardi, presbyteri (9 oct.) 752
Ioannis Mariæ Vianney, presbyteri (4 aug.). 693
Ioannis I, papæ et martyris (18 maii) 635
Iosaphat, episcopi et martyris (12 nov.) 778
Ioseph Benedicti Cottolengo, presbyteri (30 apr.) 625
Ioseph de Calasanz, presbyteri (25 aug.). 713
Ioseph, sponsi B. Mariæ Virginis (19 mart.) 607
– opificis (1 maii) 626
Irenæi, episcopi et martyris (28 iun.). 661
Isaac Jogues et Ioannis de Brébeuf presbyterorum et sociorum, martyrum (19 oct.). 762
Isidori, episcopi et Ecclesiæ doctoris (4 apr.) 612
Iudæ et Simonis, apostolorum (28 oct.) 763
Iulianæ et Catharinæ, virginum (27 apr.) 621
Iustini, martyris (1 iun.) 644

Laurentii de Brindisi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (21 iul.) . . . 680
Laurentii, diaconi et martyris (10 aug.) 697
Leonis Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris (10 nov.) 775
Lucæ, evangelistæ (18 oct.) 759
Luciæ, virginis et martyris (13 dec.) 795
Ludovici (25 aug.). 713

Marcellinæ, virginis (17 iul.) 678
Marcellini et Petri, martyrum (2 iunii) 646
Marci, evangelistæ (25 apr.). 619
Margaritæ Mariæ Alacoque, virginis (13 oct.) 753
Margaritæ Scotiæ (16 nov.) 780
Mariæ Annæ Sala, virginis (24 nov.) 783
Mariæ Goretti, virginis et martyris (6 iul.) 672
Mariæ Magdalenæ (22 iul.) 680
Mariæ Magdalenæ de' Pazzi, virginis (23 maii). 635
Mariæ Virginis:
– Assumptio (15 aug.) 704
–– Vigilia (14 aug.) 702
– Conceptio immaculata (8 dec.) 792
– Cor immaculatum (sab. post dom. II post Pentec.) 666
– Dedicatio basilicæ (5 aug.) 694
– Ecclesiæ matris 818
– de Lourdes (11 febr.) 601
– de Monte Carmelo (16 iul.) 678
– Nativitas (8 sept.) 720
– Nomen (12 sept.) 722
– Perdolentis (15 sept.) 727
– Præsentatio (21 nov.) 781
– Reginæ (22 aug.) 709
– a Rosario (7 oct.) 750
– Visitatio (31 maii) 642
Marthæ (29 iul.) 688
Martini de Porres, religiosi (3 nov.) 772
Martini I, papæ et martyris (13 apr.). 616
Martini Turonensis, episcopi (11 nov.) 776
Martyrii, Alexandri, Sisinii martyrum, et Vigilii episcopi (29 maii) . 640
Matthæi, apostoli et evangelistæ (21 sept.) 734
Matthiæ, apostoli (14 maii) 633
Mauritii et sociorum, martyrum (22 sept.) 735
Methodii, episcopi et Cyrilli, monachi (14 febr.) 601
Michaelis, Gabrielis et Raphaelis, archangelorum (29 sept.) 740
Monicæ (27 aug.) 714

Naboris et Felicis, martyrum (12 iul.) 674
Nazarii et Celsi, martyrum (28 iul.) 686
Nerei et Achillei, martyrum (12 maii) 632
Nicolai, episcopi (6 dec.). 787
Norberti, episcopi (6 iun.) 647

Pancratii, martyris (12 maii) 633
Patricii, episcopi (18 febr.) 602
Pauli a Cruce, presbyteri (19 oct.). 761
Pauli, apostoli, conversionis (25 ian.) 584
Pauli et Petri, apostolorum (29 iun.) 664
–– Vigilia (28 iun.) 662
–– Dedicatio basilicarum (18 nov.) 780

Pauli Miki et sociorum, martyrum (6 febr.) 599
Paulini Nolani, episcopi (22 iun.) 654
Perpetuæ et Felicitatis, martyrum (7 febr.) 599
Petri, apostoli, cathedræ (22 febr.) 603
Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (15 dec.) 798
Petri Chanel, presbyteri et martyris (28 apr.) 623
Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiæ doctoris (30 iul.) 690
Petri Damiani, episcopi et Ecclesiæ doctoris (21 febr.) 603
Petri de Verona, presbyteri et martyris (6 apr.) 613
Petri et Marcellini, martyrum (2 iun.) 646
Petri et Pauli, apostolorum (29 iun.) 664
-- Vigilia (28 iun.) 662
-- Dedicatio basilicarum (18 nov.) 780
Philippi et Iacobi, apostolorum (3 maii) 629
Philippi Neri, presbyteri (26 maii). 638
Pii V, papæ (30 apr.). 625
Pii X, papæ (21 aug.) 708
Polycarpi, episcopi et martyris (23 febr.) 605
Pontiani papæ et Hippolyti presbyteri, martyrum (13 aug.). 699
Protasii et Gervasii, martyrum (19 iun.) 650
Protomartyrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ (30 iun.) 666

Raimundi de Penyafort, presbyteri (7 ian.) 574
Raphaelis, Michaelis et Gabrielis, archangelorum (29 sept.) 740
Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiæ doctoris (20 sept.) 733
Rochi (16 aug.) 706
Romualdi, abbatis (18 iun.) 650
Rosæ de Lima, virginis (23 aug.) 711

Sanctorum omnium (1 nov.) 765
Satyri (17 apr.). 730
Scholasticæ, virginis (10 febr.) 600
Sebastiani, martyris (20 ian.) 578
Septem Fundatorum Ordinis Servorum B.M.V. (17 febr.) 602
Silvestri I, papæ (31 dec.) 799
Simonis et Iudæ, apostolorum (28 oct.) 763
Simpliciani, episcopi (14 aug.) 699
Sisinii, Martyrii, Alexandri martyrum, et Vigilii episcopi (29 maii) . 640
Stanislai, episcopi et martyris (11 apr.) 616
Stephani Hungariæ (16 aug.) 706
Stephani, protomartyris (26 dec.) 98
Syri, episcopi (9 dec.). 794

Teresiæ a Iesu Infante, virginis (1 oct.) 744
Teresiæ de Avila, virginis et Ecclesiæ doctoris (15 oct.). 753
Theclæ, virginis et martyris (24 sept.) 735
Thomæ, apostoli (3 iul.) 669
Thomæ Becket, episcopi et martyris (29 dec.) 799
Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris (28 ian.) . . . 588

Thomæ More et Ioannis Fischer episcopi, martyrum (22 iun.) . . . 654
Timothei et Titi, episcoporum (26 ian.) 586
Titi et Timothei, episcoporum (26 ian.) 586
Trium Puerorum et Babilæ episcopi, martyrum (23 ian.) 582
Turibii de Mongrovejo, episcopi (19 febr.) 602

Venceslai, martyris (28 sept.) 739
Victoris, martyris (8 maii) 631
Vigilii episcopi, et Sisinii, Martyrii et Alexandri martyrum (29 maii). 640
Vincentiæ Gerosa et Bartholomeæ Capitanio, virginum (18 maii) . . 634
Vincentii de Paul, presbyteri (27 sept.) 738
Vincentii, diaconi et martyris (22 ian.) 582
Vincentii Ferrer, presbyteri (5 apr.) 612

Xisti II papæ et sociorum, martyrum (7 aug.) 696

Zenonis de Verona, episcopi (12 apr.) 616

INDEX GENERALIS

Decretum Ioannis Colombo Cardinalis V
Decretum S. Congregationis pro Cultu Divino VIII
Institutio Missalis Ambrosiani XI

Procemium XI
I De celebrationis eucharisticæ momento et dignitate . XV
II De structura Missæ eiusque elementis et partibus . XVI
III De officiis et ministeriis in Missa XXV
IV De diversis formis Missam celebrandi XXVIII
V De ecclesiarum dispositione et ornatu ad Eucharistiam celebrandam XLVI
VI De iis quæ ad Missæ celebrationem requiruntur . . L
VII De Missa eiusque partibus eligendis LIII
VIII De Missis et orationibus ad diversa et de Missis defunctorum LVI

Normæ universales de anno liturgico et de calendario . . . LIX
I De anno liturgico LIX
II De calendario. LXIV

Calendarium Ambrosianum LXVIII

PROPRIUM DE TEMPORE

Tempus Adventus 3
Tempus Nativitatis 89
Tempus Quadragesimæ 137
Hebdomanda in Authentica 203
Sacrum Triduum paschale 266
Tempus paschale 241
Tempus « per annum » 385
In sollemnitatibus et festis Domini « per annum » occurrentibus . . 387
Dominicæ « per annum » 403

ORDO MISSÆ

Ordo Missæ cum populo . . . 472
Prex eucharistica I . . . 491
Prex eucharistica I in cantu . . . 498
Prex eucharistica II . . . 505
Prex eucharistica II in cantu . . . 509
Prex eucharistica III . . . 512
Prex eucharistica III in cantu . . . 516
Prex eucharistica IV . . . 519
Prex eucharistica IV in cantu . . . 524
Prex eucharistica V . . . 527
Prex eucharistica V in cantu . . . 531
Prex eucharistica VI . . . 535
Prex eucharistica VI in cantu . . . 539
Ordo Missæ sine populo . . . 553
Benedictiones sollemnes . . . 559

PROPRIUM SANCTORUM

Ianuarius . . . 574
Februarius . . . 591
Martius . . . 607
Aprilis . . . 612
Maius . . . 626
Iunius . . . 644
Iulius . . . 669
Augustus . . . 692
September . . . 719
October . . . 744
November . . . 765
December . . . 786

COMMUNE SANCTORUM

Commune dedicationis ecclesiæ . . . 802
Commune beatæ Mariæ Virginis . . . 806
Commune Martyrum . . . 820
Commune Pastorum . . . 834
Commune Doctorum Ecclesiæ . . . 850
Commune Virginum . . . 856
Commune Sanctorum et Sanctarum . . . 860

MISSÆ RITUALES

1 Pro electione seu inscriptione nominis . . . 886
2 In scrutiniis peragendis . . . 888
3 In conferendo baptismate . . . 892

4 In conferenda confirmatione 901
5 In ministranda prima communione parvulis 910
6 In ministranda unctione infirmorum 914
7 Ad ministrandum viaticum 918
8 In conferendis sacris ordinibus. 920
9 Missæ pro sponsis 922
1 In celebratione matrimonii I. 922
1 In celebratione matrimonii II 928
1 In celebratione matrimonii III 933
2 In anniversario matrimonii. 938
3 In XXV anniversario matrimonii. 940
4 In L anniversario matrimonii 943
10 In benedictione abbatis et abbatissæ 945
11 In consecratione virginum I 947
12 In consecratione virginum II. 951
1 In die primæ professionis religiosæ 955
2 In die professionis perpetuæ I 960
2 In die professionis perpetuæ II. 965
3 In die renovationis votorum 970
4 In XXV vel L anniversario professionis religiosæ 975
13 In die dedicationis ecclesiæ. 976
1 In dedicatione ecclesiæ 976
2 In dedicatione altaris 980

MISSÆ ET ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

I Pro sancta Ecclesia
1 Pro Ecclesia universali I 984
1 Pro Ecclesia universali II 986
1 Pro Ecclesia universali III 988
1 Pro Ecclesia universali IV 990
2 Pro libertate Ecclesiæ 992
3 Pro ecclesia locali 993
4 Pro papa, præsertim in anniversario electionis 995
5 Pro episcopo, præsertim in anniversario ordinationis . . . 998
6 Pro eligendo papa vel episcopo 1001
7 Pro concilio vel synodo. 1004
8 Pro sacerdotibus 1006
9 Pro seipso sacerdote, præsertim in missis quæ sine populo celebrantur I. 1008
9 Pro seipso sacerdote, præsertim in missis quæ sine populo celebrantur II 1009
9 Pro seipso sacerdote, in anniversario propriæ ordinationis, præsertim in missis quæ sine populo celebrantur III . . . 1010
10 Pro ministris Ecclesiæ. 1011
11 Pro vocationibus ad sacros ordines. 1012
12 Pro religiosis. 1014
13 Pro vocationibus ad vitam religiosam 1016
14 Pro apostolica actuositate. 1019

15 Pro institutione christiana 1021
16 In professione fidei adulescentium 1023
17 Pro christiana senectute 1025
18 Pro unitate christianorum I 1028
18 Pro unitate christianorum II 1030
18 Pro unitate christianorum III 1032
19 Pro evangelizatione populorum I 1034
19 Pro evangelizatione populorum II 1036
20 Pro christianis persecutione vexatis. 1038
21 In conventu spirituali vel pastorali 1040
22 Pro spiritualibus exercitiis 1042
23 In conventibus vel exercitiis sacerdotalibus I 1044
23 In conventibus vel exercitiis sacerdotalibus II. 1046
23 In conventibus vel exercitiis sacerdotalibus III 1048

II Pro rebus publicis

24 Pro patria vel civitate 1050
25 Pro rem publicam moderantibus 1050
26 Pro cœtu moderatorum nationum 1050
27 Pro supremo nationis moderatore 1051
28 Pro populorum progressione 1052
29 Pro pace servanda 1053
30 Ad promovendam iustitiam 1056
31 Pro civium libertate 1058
32 Tempore belli vel eversionis 1060

III In variis circumstantiis publicis

33 Initio anni civilis 1062
34 Initio anni scholastici 1064
35 Pro humano labore sanctificando I 1067
35 Pro humano labore sanctificando II 1070
35 Pro humano labore sanctificando III. 1072
36 In conserendis agris I 1074
36 In conserendis agris II 1076
37 Post collectos fructus terræ 1078
38 Tempore famis, vel pro fame laborantibus I 1080
38 Ab ipsis esurientibus dicenda II 1082
39 Pro profugis et exsulibus 1084
40 Pro captivitate detentis I 1086
40 Pro captivitate detentis II 1087
41 Pro detentis in carcere 1088
42 In laudem Conditoris totius naturæ 1089
43 Pro infirmis I 1092
43 Pro infirmis II. 1094
44 Pro morientibus 1096
45 Tempore terræmotus 1098
46 Ad petendam pluviam 1098
47 Ad postulandam serenitatem 1098
48 Ad repellendas tempestates 1098
49 In quacumque necessitate I 1099

49 In quacumque necessitate II 1101
50 Pro gratiis Deo reddendis I 1103
50 Pro gratiis Deo reddendis II 1105

IV Pro quibusdam necessitatibus particularibus
51 Pro remissione peccatorum I 1107
51 Pro remissione peccatorum II 1109
52 Ad postulandam caritatem I 1111
52 Ad postulandam caritatem II 1113
53 Pro concordia fovenda. 1115
54 Pro familia 1117
55 Pro congregatione 1119
56 Pro familiaribus et amicis 1120
57 Pro affligentibus nos 1121
58 Ad postulandam gratiam bene moriendi 1122

MISSÆ VOTIVÆ

1 De Ss.ma Trinitate 1126
2 De misterio sanctæ Crucis II. 1126
2 De misterio sanctæ Crucis III 1128
3 De Ss.ma Eucharistia II 1130
3 De Ss.ma Eucharistia III 1132
4 De Ss.mo nomine Iesu 1134
5 De pretiosissimo Sanguine D.N.I.C. 1136
6 De sacratissimo Corde Iesu II 1138
7 De Spiritu sancto I. 1140
7 De Spiritu sancto II 1142
7 De Spiritu sancto III 1144
8 De b. Maria Virgine 1145
9 De sanctis angelis. 1146
10 De s. Ioseph 1148
11 De omnibus sanctis apostolis 1150
12 De s. Petro, apostolo. 1152
13 De s. Paulo, apostolo 1154
14 De uno sancto apostolo 1156
15 De omnibus sanctis 1158

MISSÆ DEFUNCTORUM

I In exequiis
1 Unius defuncti I 1162
1 Unius defuncti II 1164
1 Unius defuncti III 1166
1 Unius defuncti IV 1168
1 Unius defuncti V 1170
2 Plurium defunctorum 1172

II In anniversario
3 Unius defuncti I 1174
3 Unius defuncti II 1176
3 Unius defuncti III 1178
4 Plurium defunctorum 1180

III In variis commemorationibus
5 Pro uno defuncto I 1182
5 Pro uno defuncto II 1184
5 Pro uno defuncto III 1186
6 Pro pluribus vel pro omnibus defunctis I 1188
6 Pro pluribus vel pro omnibus defunctis II 1190
6 Pro pluribus vel pro omnibus defunctis III 1192

IV Orationes variæ pro defunctis
7 Pro papa 1194
8 Pro episcopo diœcesano 1196
9 Pro alio episcopo 1198
10 Pro presbyterio I 1200
10 Pro presbyterio II 1202
11 Pro diacono 1204
12 Pro religioso 1205
13 Pro iuvene defuncto 1205
14 Pro defuncto qui in servitio evangelii laboravit 1206
15 Pro defuncto post longam infirmitatem consumpto 1206
16 Pro defuncto repentina morte sublato 1206
17 Pro coniugibus defunctis 1207
18 Pro parentibus 1208
19 Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus 1209
20 In exsequiis parvuli baptizati 1210
21 Aliæ orationes in exsequiis parvuli baptizati 1212
22 In exsequiis parvuli nondum baptizati 1213

APPENDIX

Benedictio et impositio cinerum 1216
Ordo ad faciendam et aspergendam aquam benedictam 1219
Ritus ad deputandum ministrum sacræ communionis ad actum distribuendæ 1223
Specimina formularum pro oratione universali 1224
1 Formula generalis I 1224
1 Formula generalis II 1226
1 Formula generalis III 1227
1 Formula generalis IV 1228
2 Tempore Adventus 1229
3 Tempore Nativitatis 1231
4 Tempore Quadragesimæ I 1232
4 Tempore Quadragesimæ II 1233

5 In feriis Hebdomadæ Authenticæ 1234
6 Tempore paschali. 1235
7 Tempore « per annum » I 1236
7 Tempore « per annum » II 1237
8 In missis defunctorum 1238
Preparatio ad Missam. 1240
1 Oratio S. Ambrosii 1240
2 Oratio S. Ambrosii 1241
3 Oratio S. Thomæ de Aquino 1243
4 Oratio ad b. Mariam Virginem 1244
Gratiarum actio post Missam 1245
1 Oratio S. Thomæ de Aquino 1245
2 Oratio S. Bonaventuræ 1246
3 Aspirationes ad Ss.mum Redemptorem 1247
4 Oblatio sui. 1247
5 Oratio ad D.N. Iesum Christum Crucifixum 1248
6 Oratio universalis sub nomine Clementis PP. XI vulgata . . 1248
7 Oratio ad b. Mariam Virginem 1250
Cantus in Missali occurrentes 1251
Annuntiatio Paschæ in Epiphania Domini. 1251
Invitatorium ad Crucem adorandam feria VI in Parasceve . . 1252
Præconium paschale in vigilia dominicæ resurrectionis. . . . 1252
Nuntius resurrectionis in vigilia paschali 1264
Offertoria veteris Missalis Ambrosiani 1265

Index alphabeticus celebrationum 1287

UBI FIDES IBI LIBERTAS

STAMPATO A CASALE MONFERRATO NELLO STABILIMENTO GRAFICO
DELLA CASA EDITRICE MARIETTI S.p.A. - TORINO